SCRIPTORVM

PVBLICE PROPOSITORVM

A GVBERNATORIBVS
studiorum, in Academia
VVitebergensi.

TOMVS SEXTVS.

COMPLECTENS TEMPVS
à die LVCÆ EVANGELISTÆ,
Anni 1563. vsq; ad Calendas Maij, qui
dies est sanctorum Apostolorum
Philippi & Iacobi, Anni
1566.

VVITEBERGÆ
EXCVDEBAT IOHAN.
SCHVVERTEL.

ANNO M. D. LXVIII.

493-4 CF 1.

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-62-quod/start.htm?image=00000003

Nutzungsbedingungen für Online-Angebote der Herzog August Bibliothek Wolfenbüttel

Die Online-Angebote der Wolfenbütteler Digitalen Bibliothek der Herzog August Bibliothek (http://digbib.hab.de) sind urheberrechtlich geschützt und unterliegen Nutzungsrechten. Soweit nicht anders vermerkt, stehen sie unter einer Creative Commons Namensnennung-Weitergabe unter gleichen Bedingungen 3.0 Deutschland Lizenz (CC BY-SA).



Unter diese fallen online frei verfügbare Imagedigitalisate, Strukturdaten, Volltexte, Daten aus Datenbanken (in der über OAI abfragbaren Form), Ton- und Videodokumente sowie aktuelle Publikationen. Bitte beachten Sie, dass für über die Webseiten der Herzog August Bibliothek angebotene Dokumente Dritter andere Rechte gelten können.

Erläuterung

Die Online verfügbaren digitalen Angebote der Wolfenbütteler Digitalen Bibliothek stehen allen Interessierten weltweit frei unter einer CC BY-SA Lizenz zur Nutzung zur Verfügung. Neben den in http://creativecommons.org/licenses/by-sa/3.0/de/legalcode ausgeführten allgemeinen Einschränkungen ist bei einer Nachnutzung Voraussetzung, dass a) der Urheber in der nachfolgend beschriebene Form genannt ist und dass b) das Angebot unter den gleichen Bedingungen, d.h. vor allem frei und unentgeltlich, erfolgt.

a) Bei der **Namensnennung** (BY) ist Folgendes zu beachten (vgl. CC BY-SA, Abschnitt 4.a und 4.c). In Digitalisaten angebrachte Herkunftsnachweise – typischerweise die Fußleiste - dürfen als Nachweis nicht entfernt werden.[1] Zugleich muss auf der Angebotsseite an geeigneter Stelle, in jedem Fall aber innerhalb der Domain des Angebotes ein Nachweis in der folgenden Form angebracht werden: Sofern ein eigener persistenter Link (PURL, URN, etc.) verwendet wird, muss der persistente Link der Wolfenbütteler Digitalen Bibliothek über, unter oder neben dem eigenen persistenten Link stehen.

Im Druck:

Herzog August Bibliothek Wolfenbüttel <[Persistent URL[2]]>

© Herzog August Bibliothek Wolfenbüttel <http://diglib.hab.de/inkunabeln/14-astron/start.htm> 

oder

© HAB Wolfenbüttel: 14 Astron. <http://diglib.hab.de/inkunabeln/14-astron/start.htm> 

[1] Beigefügte Maßtäbe unterliegen nicht dieser Beschränkung und dürfen entfernt werden.
[2] Zum Zitieren Wolfenbütteler Digitalisate s.: http://diglib.hab.de/?link=033

Im Internet (HTML Quelltext):

© Herzog August Bibliothek Wolfenbüttel <Persistent URL>

oder

© HAB Wolfenbüttel <[Signatur]> 

Z.B. Herzog August Bibliothek Wolfenbüttel <<a href="
http://diglib.hab.de/inkunabeln/14-astron/start.htm">14 Astron. 

Wenn sich auf der Seite eine zusätzliche Angabe zur Autorin oder Autor eines Beitrages findet, z.B. © [Autorname] ist folgende Form einzuhalten:

Im Druck:

© [Autorname]. Work originally *published by HAB Wolfenbüttel <Persistent URL>* 

Im Internet (HTML Quelltext):

© [Autorname]. Work originally published by HAB Wolfenbüttel <Persitent URL oder Signatur> 

Z.B © Flemming Schock. Work originally published by HAB Wolfenbüttel <<a href="
http://diglib.hab.de/edoc/ed000155/start.htm "> http://diglib.hab.de/edoc/ed000155/start.htm
> 

b) Bei der Bereitstellung unter **gleichen Bedingungen** ist zu beachten, dass das Werk *frei*, *unentgeltlich* und im Geiste der *Förderung der Kultur und Wissenschaften* zur Verfügung gestellt werden muss. Sofern dies gewährleistet ist, ist auch eine kommerzielle Nutzung, z.B. in der Wikipedia oder einem Open Access, unter CC BY-SA publizierenden wissenschaftlichen Verlag möglich. Nicht unter diese Lizenz fallen typische kommerzielle Produkte wie Verlagszeitschriften, die Nutzer kostenpflichtig erwerben müssen, zugangsbeschränkte Online-Angebote sowie Nutzungsarten, die ausschließlich auf Werbung oder andere nicht-wissenschaftliche Zwecke zielen. Für alle zuletzt genannten Fälle muss eine kostenpflichtige Sondernutzung vereinbart werden.

Nicht frei über die Homepage der Bibliothek verfügbare Angebote unterliegen gesonderten Nutzungsregeln, die von der Auskunft der Bibliothek (auskunft@hab.de) erfragt werden können. Im Übrigen gilt die Benutzungsordnung für Landesbibliotheken und die Gebührenordnung für die Bibliotheken des Landes Niedersachsen in der jeweils gültigen Fassung in Verbindung mit dem Niedersächsischen Verwaltungskostengesetz.

Der Direktor (2013-03-01)

HERZOG·BIBLIOTHEK·WOLFENBÜTTEL·

ILLVSTRISSIMIS PRINCIPIBVS AC DOMINIS, D. D. BARNIMO

Seniori, Patruo Magno cæterorum: IOHANNI FRIDERICO, BVGISLAO LVDOVICO ERNESTO, BARNIMO *Iuniori, &* CASIMIRO *fratribus, Ducibus Sedinorum, Pomeraniæ, Cassubiorum, & Henetorum, Principibus Rugiæ, & Comitibus Caycorum &c. Dominis suis clementiss:*

RVDITVS PRINCEPS & ornamento est literis & ab his ornatur vicissim. Nec ornatur tantùm, Sed instruitur etiam ad eas res gerendas, quibus cùm saluti generis humani consulitur, tùm vera ac solida laus comparatur. Sapientiæ enim & virtutis adminicula ac præ-

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-62-quod/start.htm?image=00000004

sidia præcipua assumuntur ex literis. Hæc duo verò in ijs maximè, qui ad gubernacula rerum sedent, & regna aut prouncias tenent, eminere debent, quibus qui destituuntur, ij alienis cernere oculis, consilijs alienis res adminiſtrare, ore loqui alieno, deniq; nomine imperare, re ipsa seruire videntur. Eam ob causam quotquot celebrantur in historijs laudati Principes, tot sapientiæ studia, quibus fundamenta togatarum virtutum continentur, cum virtutibus bellicis ita coniunxisse leguntur, vt ex literis non minorem laudem, quàm ex Regnis aut Rebuspub. quæsierint.

ALEXANDRI adolescentis sub Aristotele præceptore studia plurimorum sunt celebrata monumentis.

Romani

Romani quanquam natura horridiores essent, tamen vt cultura mansuescerent, & bellicam feritatem literis emollirent, eruditi suos à teneris in scholis Philosophorum voluerunt, Athenis maximè, Massiliæ, & in Rhodo. Inter Romanos ciues antecelluerunt cæteros duo Scipiones Africanus & Æmylianus, ita vt dubium non sit, horum sapientia, virtute & fœlicitate constitutum esse & confirmatum Imperij Romani robur. In vtroq; autem fuit eruditio & sapientia excellens. Alter maior ENNIVM Poëtam, alter POLYBIVM historiographum familiarem habuit.

IVLII Cæsaris eloquentiam CICERO prædicat, qui cum eo APOLLONIVM

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-62-quod/start.htm?image=00000005

Philosophum audiuit in Rhodo. AVGVSTVS è schola reuocatus est Romam adolescens admodum, Iulio interfecto. Dediderat is se Philosophis Apolloniæ ad mare Ionium. TIBERIVM ex schola Rhodia Romam reuersum AVGVSTVS adoptauit in filium & Monarchiæ hæredem.

In ADRIANO magnitudinem ingenij, eruditionis, industriæ, & consilij, res gestæ ostendunt. Hunc non piguit cum doctis certare scribendo & disputando, Cumq; studia doctrinarum intelligeret & ornaret, remouit à munere docendi parum idoneos destinatis alimentis, & suffecit alios magis idoneos.

ANTONINVS alter à studijs Philosophicis cognomen Philosophi adeptus est. Inter insignes eius laudes, quæ recitantur à Dione, hoc commemoratur expresse, quòd multum sit adiutus ab institutione & doctrina. Ὅμοιος διὰ πάντων ἐχρύετο ᾧ γὲ οὐδένι ἠλλοίωθη, ἀγαθὸς δ' ἦν ἠδὴ οὐδὲν προσποιήτου εἶχεν. παμπόλλα δὲ ὑπὸ παιδείας ὠφελήθη.
Accessit ad auditoria Philosophorum etiam cùm esset Imperator, egressus annum quinquagesimum. Ab hoc educatus est SEVERVS Imperator, clarus maximis & difficillimis bellis, quæ gessit cum PESCENNIO nigro & ALBINO. Hic & ab acerrima ac validissima mentis acie commendatur, & quod doctrinas appetiuerit ac intellexerit,

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-62-quod/start.htm?image=00000006

& quod intentus in ea quæ agenda erant, nil curarit fabellas & rumusculos, qui de eo spargebantur.

CAROLVM MAGNVM historiæ referunt audiuisse legatos Græcos sua lingua mandata exponentes, quæ adferebant.

Excellentem fuisse eruditionem in FRIDERICO SECVNDO bellatore acerrimo, & historiæ tradunt, & restituta studia ostendunt veræ Philosophiæ. Nec prophanum fuisse, pietatis opera testantur, quæ reliquit, etsi crudelissimè sit exagitatus Pontificum furijs. Extat numisma eius aureum, in quo facies eius expressa cernitur, cum hac inscriptione. FAC CVM SERVO TVO secun-

SECVNDVM MISERICORDIAM TVAM. In horum quemlibet congruunt Versus ARCHILOCHI:

Ἀμφότερον θεράπων μὲν Ἐνυαλίοιο θεοῖο
καὶ μουσῶν ἐρατᾶν δῶρον ἐπιστάμενος.

Et graue Martis opus cultas & palladis artes
Nouit, & excellit munere vtroq; simul.

Etsi autem excellentia ingeniorum, impetus heroici, virtus & fœlicitas in viris præstantibus extra Ecclesiam, vt in Alexandro, Iulio, Adriano, Antonino, & similibus absq; dubio sunt dona DEI, Nulla enim gubernatio esset, nisi esset aliqua excellens virtus; tamen cum sint sine vera agnitione DEI, procul absunt ab ijs donis, quæ in viris præstantibus in Ecclesia, vt in Cyro, Dario, Dauide, Constantino, Theodosio vtroque, & alijs, nominantur

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-62-quod/start.htm?image=00000007

lux filij DEI, *& flamma Spiritus Sancti.*

Qui itaq; cum sapientiæ & virtutis bellicæ exercitijs coniungunt pietatis studia, in quibus lucet agnitio DEI *vera, & præsentia Spiritus sancti, hi cæteris omnibus longè antecellunt. Tales cùm Celsitudines vestras esse cognouerimus, quæ id dederunt operam enixè, vt secundum Salomonem, præclara veræ sapientiæ, & eximiæ virtutis studia inchoarent à fundamento sinceræ pietatis in agnitione & fiducia Filij* DEI IESV CHRISTI, *meritò gratulamur, & nobis & posteritati & subditis Cels: V. hæc dona* DEI, *& vota facimus, vt has dotes augeat ac cumulet, & Cels: V. saluas & incolumes conseruet ac tueatur.*

Sepè

Sæpè memoria Cels: V. repetitur ac celebratur gratissima atque vti par est & fieri decet, honorificentissima mentione, quod decus & ornamentum nullis intermoriturum seculis præsentia sua & illustrissimis ac tantis Principibus dignissimis omnium virtutum exemplis Academiæ nostræ attulerint, cùm non tantum ciues Academiæ, & communium studiorum socij esse voluerint, Sed & scholastici Magistratus labores ac molestias non recusauerint. Hoc aliqui ex nostris maioribus ac præceptoribus meminerunt summa cum dignitate ac laude functum esse ante annos quadraginta nouem Illustrissimum Principem ac Dominum D. BARNIMVM Seniorem eo ipso tempore, quo cum LVTHERO ECCIVS Lipsiæ

in

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-62-quod/start.htm?image=00000008

in disputatione publica ex prouocatione congressus, eam quam ante conflictum sibi pene certo desponderat victoriam, minime est consecutus, validissimis & plane inuictis LVTHERI argumentis oppressus. Ei enim disputationi Illustrissimus Princeps BARNIMVS vnà cum Illustriss: Saxoniæ Principe GEORGIO interfuit ac præfuit.

Postea eundem apud nos Magistratum gessistis non minore cum laude & dignitate Illustrissimi Nepotes, Duces Pomeraniæ fratres, ERNESTE LVDOVICE & BARNIME.

Gubernatio autem Cels: V. qualis & quàm glorioſa Cels: V. quàm salutaris Academiæ nostræ fuerit,

fuerit, vt Cels: V. & patruus Magnus, Illustriss: Princeps BARNIMVS Senior, & Illustriss: fratres cæteri cognoscant, edere scripta volui, quæ publicè tunc scholasticis Academiæ à Cels: V. proposita & recitata sunt. Ea cum Patronum alium, quàm Inclytas Cels: V. minime quærere debuerint, vt humillimæ subiectionis ac fidei plenum studium meum gratum acceptumq; V. Cels: habeant, subiectissimè oro, atq; obtestor.

PRECOR autem DEVM æternum patrem Domini & saluatoris nostri IESV CHRISTI, Vt Cels: V. tribuat & fœlicem, tranquillam, ac salutarem gubernationem, & beatam ac floren-

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-62-quod/start.htm?image=00000009

rentem posteritatem. Bene ac fœliciter valeant Cels: V. Datæ VViteberg æ Calendis IANVARII, Anni 1568.

Celsitud. Vest.

Subiectissimus
ministter

Micaël Maius minister
Academiæ VViteber-
gensis publicus.

Epi-

EPITAPHIVM
CONIVGIS VIRI HONESTISsimi & integerrimi, D. Iohannis Ienisij, qui est a secretis Illustrissimi Principis Ducis Saxoniæ Electoris &c.

Hoc ego te Catharina solo dulcissima coniunx
Condo, mei testem vulneris hîc statuens.
Si pietas, si castus amor, si vota, precesq́,
Si lachrymæ poterant flectere fata piæ:
Si ingenio probitas tua, & arte modestia maior
Dura citæ poterant rumpere vincla necis:
Non ego nunc iterum gemmati vulneris ictu
Saucius, in viduo cogerer esse thoro.
Coniugij gemerent nec frustra flebile nostri,
Dum poscunt solitam pignora matris opem.
Sed Deus hoc voluit, cui nostros cedere luctus,
Cum pietate fides relligiosa iubet.
At tu plena Deo, cœlesti lumine plena
Aspiciens supera sede beata Deum:
Inq́, sinu Christi, quem pectore & ore vocasti,
Expectans reduces corporis exuuias,
Eximium dilecta mihi post fata prioris
Coniugis, Æternùm viue beata. Vale.
Caspar Peucerus.

Votum

VOTVM CASPARI PEVCERI AD VIRVM CLARISS: prudentia, doctrina, virtute & dignitate præstantem, Doctorem Georgium Cracouium, συμβελεύτῳ Illustrissimi Principis Ducis Saxoniæ Electoris &c.

Coniugij fœdus sacrum est, procumbit ad aram
Sponso sponsa suo nam duce iuncta Deo.
Exhibet hic miras ritus in imagine parua
Res, sed sola inter eminet hæc alias.
Fœdere quòd simili supplex Ecclesia Christo
A Patre seruatur consociata Deo.
Ergo tuam quoties sponsam, Clarissime, multa
Doctrina, multo consilioq; potens:
Et pietate simul vera spectate Georgi,
Aspicis, hunc verum cogita adesse Deum.
Coniugij leges qui sanxit, moribus & qui
Vult castis, firma spemq; fideq; coli.
Hæc inter dulces complexus, oscula & inter,
Dulcia tu memori mente reposta tene.
Teq; tuamq; domũ Christo fore vindice tutam,
Tempora confidas, qualiacunq; cadent.
Hic tibi coniugium felix vt præstet, & addat
Gaudia perpetuis accumulata bonis:
Hic tibi consilij sit dux cum Flamine sacro,
Euentuq; sinat prosperiore frui:
Difficiles superare vias, superare pericla
Te iuuet, æternoq; ornet honore, precor.

Rectoratus

1563.

RECTORATVS IN ACADEMIA VVITEBERGENSI, ILLVSTRISSIMI PRINCIPIS AC Domini, D. ERNESTI LVDOVICI, Dei gratia, Stetinensium Pomeraniæ Ducis, Cassubiorum, Vandalorum, Rugiæq; Principis, ac Comitis Gutzgouiæ &c. à festo S. LVCÆ EVANGELISTÆ, Anni 1563. vsq; ad festum sanctorum Apostolorum Philippi & Iacobi, quæ est dies Calendarum Maij Anni 1564.

RECTOR ACADEMIÆ VVITEBERGENSIS ERNESTVS LVDOVCVS Dei gratia Dux Pomeraniæ &c.

INenarrabile DEI beneficium est, quòd in hac effœta mundi senecta inter horrendos furores Diaboli, & fragores collisorum Imperiorum, concedit nobis incorruptam lucem doctrinæ Euangelij, & seruat inter nos veram sui agnitionem. Certum est autem ad tuendam illam lucem doctrinæ cœlestis omninò necessarium esse in Ecclesia munus docentium, qui rectè instructi lin-

A guarum

guarum & artium ſtudijs cuſtodiant ſemen ſanctum, & ad poſteritatem propagent. Oremus itaq; filium Dei, perpetuum Eccleſiæ cuſtodem, vt mittat in vineam ſuam pios doctores, ſeruet diſciplinarum ſtudia et ſcholas officinas artium, nec ſinat Turcica barbarie opprimi lucem ſuæ doctrinæ. Meritò autem dolore afficimur, cùm auelli à nobis eos videmus, qui poterant eſſe vſui Eccleſiæ & Reipublicæ ætate iam matureſcentes rebus gerendis, & progreſſu mediocri facto in ſtudijs: nec ſanè leuis eſt iſte dolor pijs mentibus intuentibus præſentem laceratæ Eccleſiæ imaginem, & rectè docentium, & diſcentium penuriam. Obijt verò hac nocte egregius iuuenis MICAEL HADLERVS Oldenburgenſis Holſatus, de cuius ingenio & ſtudijs magnam ſpem conceperamus. Tenebat enim iam initia veræ doctrinæ de Deo, et adiunxerat artium et linguarum mediocrem cognitionem, cõmunem vitam ſingulari morum modeſtia & moderatione rexit, Deniq; quid apud nos in hac ſcholæ noſtra profecerit, præclarè teſtatus eſt hoc ultimo agone, vbi tranſiens ad æternam piorum ſcholam continuis votis & precibus redemptorem filium Dei inuocauit, ita vt non dubium ſit, eſſe eum in numero eorum, de quibus ſcriptum eſt, Beati mortui qui in Domino moriuntur. Huius alum-

ni noſtri obitu præmaturo propter Eccleſiam & patriam meritò dolemus, Procul enim dubio, ſi iuſtam ætatem attigiſſet, ornamento fuiſſet futurus Eccleſiæ & ſuæ patriæ. Decet autem & Scholaſticos noſtros hoc dolore affici, eumq; teſtari vltimo officio, quod commilitoni defuncto in deducendo funere præſtari poteſt. Mandamus itaq;, vt ad vſitatas ceremonias funebres frequentes conueniant ante ædes honeſti ciuis Clementis Rhan iam hora quarta, & repetentes animo fragilem & caducam humanæ naturæ conditionem pro ſua quiſq; & communi ſalute ſeria vota ad Deum faciant. Die 24. Octob.

HEBREÆ LINGVÆ STVDIOSIS.

DVlciſſimè dictum in Pſalmo: In Eccleſijs benedicite Deo Domino de fontibus Iſrael, quo dicto inuitat nos vox diuina, ad agnitionem iſtius veri Dei, qui ſe in Iſraël certis & illuſtribus teſtimonijs patefecit, & ad doctrinam ac promiſſionem de Meſſia ibi traditam, quam ſingulari beneficio Deus Prophetarum ſcriptis conſeruari et propagari voluit. Certiſſimum eſt autem ſine linguarum cognitione veram Eccleſiæ doctrinam puram retineri, ac ad poſteritatem incorruptam tranſmitti non poſſe, & veriſſima

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-62-quod/start.htm?image=00000012

est sententia noti distichi:

In tenebris veluti nauis si nocte vagetur,
Nescia mens linguæ sic pia scripta legit.

Inprimis autem Ecclesiæ necessariam esse Hebreæ linguæ cognitionem, res ipsa testatur, cùm fontes doctrinæ cœlestis ex Hebræo sermone petendos esse nemo ignoret. Quantum enim errorum sit in versionibus, quantumq; Ecclesiæ nocuerit huius linguæ insciti a, probè norunt hi, qui sacrarum literarnm ac veræ pietatis studiosi sunt. Nam hanc linguam ignorantibus idem accidit, quod in Prouerbio dicitur, ineptè conari imperitos τῇ κλειδὶ ξύλα χίζειν, τῇ δὲ ἀξινῃ τὼ θύρα ἀνοίγειν πειρᾶν. Cùm igitur tanta sit huius linguæ dignitas & vtilitas, simus eò diligentiores in ea discenda. Quod vt commodè fieri possit, & vt auditores exercitia huius linguæ habeant, decreui prælegere Grammaticam Ebræam Eliæ Leuitæ, quæ elementa huius linguæ discere volentibus propter perspicuitatem plurimum prodesse potest. Incipiam autem illam prælectionem ad proximum diem Iouis, Deo iuuante, hora prima, in veteri Collegio. Die 24. Octob.

1563.

Iohannes Bugenhagen.
Rector

RECTOR ACADEMIÆ VVITEBERGENSIS, ERNESTVS Ludouicus, Dei gratia Pomeraniæ Dux, &c.

VENIT in Academiam nostram, ante dies quatuordecim magnæ spei adolescens VALENTINVS SCHILDER, natus honestissimis parentibus, patre præcipuæ dignitatis viro in Republica oppidi Elisiorum Hirsberg, quod in Sudetibus situm, quà ad ortum & ad Carpathi iuga obliquo flexu tendunt, olim ceruorum venatu, vnde & nomen traxit, ac metalli feracibus venis nobile, quæ exhaustæ fossionibus defecerunt, nunc celebratur ac frequentatur propter thermarum saluberrimas aquas, & vicinum montem, qui Sudetum iuga toto supereminens vertice, & nomine à Gigantibus seu verè seu fabulosè acquisito celebris, flumina quaq; versus effundit plurima, quarum aliqua, vbi Elisiorum agros irrigarunt, Viadro miscentur, qui ex Carpatho descendit, aliqua in veterem Boiorum patriam Boicmiam delabuntur. Inter quæ præcipuum est Albis, sic cognominatus antiqua appellatione Germanica ab accolis Boijs et Vandalis (Nam è Vandalicis montibus Albim oriri Dion tradit) propter vndecim riuulos, qui

ex diuersis fontibus, sed non longo dissitis ab oppido & inter sese interuallo, ad Gigantei montis radices prorumpentes, vbi in vnum confluxerunt alueum, hoc flumen efficiunt.

Auget claritatem oppidi tùm pietas ciuium, qui repurgatæ religionis sinceritatem cupidè amplexi ac secuti certatim studia Ecclesiæ & Reipublicæ necessaria & ipsi colunt, et iuuant ac fouent, tùm iustitia & integritas eorum, qui præsunt, inter quos præcipuo loco est pater huius Valentini. Sed hic filius nuper huc Lipsia aduenies eiusmodi valetudinem secum attulit, vt prima statim die, qua in hoc oppidum ingressus est, ægrotare cœperit, neq; domo egredi potuerit, & augescente quotidie morbo, heri mortuus sit. Qui cùm hoc egerit atq; expetiuerit, vt in honestissimam cõmunitatem nostram, qui studiorum, pietatis & doctrinæ causa hîc conuenimus, reciperetur, & tota mente se ad culturam harum parauerit, pro nostro eum agnoscere debemus, & studium pietatis et virtutis in ipso, officio humanitatis & dilectionis Christianæ nostræ ornare, vt deducamus ad sepulturã corpus demortui, præsertim cùm vitam piam exitu etiã pio et religioso clauserit. Vidimus et testimonia, quibus discedentem illum ex schola Goltbergensi prosecutæ sunt præceptores ipsius scripta de indole & profectu adolescentis honorificè. Bona verò ingenia, & quæ ad nauandam operam Ecclesiæ Christi, & Reipublicæ educari possent, ante diem, & veluti maturitatem suam in cursu studiorum auferri, non esse leue damnum, aut non deplorandum, nostrum ordinem imprimis & considerare & intelligere, & quo hoc tendat, animaduertere decet. Hoc igitur, conuenientes ad funera talium scholasticorum nostrorum commentemur, & excitata in nobis hoc etiam modo pietate, pericula, quæ ex hac re impendent societati humanæ, precibus nostris auertere studeamus.

Hortamur autem & inuitamus in præsentia scholasticos ad exequias funeris præstandas huic VALENTINO *nostro, qui hodie hora tertia efferetur ex ædibus Ambrosij Lanij, quod officium nostrum hoc modo non tantùm mortuo, sed rebus etiam publicis præstabimus. Et per se viuis potius, quàm mortuis hæc instituuntur, cùm vtrisq; in his inseruiat superstitum pietas. P. P. 7. Calend. Nouembris.*

ALIA.

POSTQVAM absoluimus, Dei beneficio, earum materiarum & Quæstionum, quæ ad Iusticiam distributiuam pertinuerunt, explicationem, restat deinceps doctrina de Iusticia com-

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-62-quod/start.htm?image=00000014

mutatiua discernente contractus licitos ab illicitis seu vsurarijs. Non vtilis solùm & iucundæ est eruditissima æqualitatis diuinitus sancitæ in contractibus consideratio bonis ingenijs, Sed etiam doctrinam Ecclesiæ, & scientiam Iuris discentibus planè necessaria. Quare ad hanc etiam Philosophiæ partem singulari studio cognoscendam auditores adhortor, ac significo eis tractationem me, iuuante Deo, inchoaturum esse septimana proxima, die, hora, locoq; consuetis. Id volui Ethices studiosos, id est, omnes bonos Scholasticos scire, ne hodie frustra conuenirent. Cras autem Deo itidem iuuante, absoluam tertium librum Ciceronis de Oratore. Die 28. Octob. Anno 1563.

Petrus Vincentius
Vratisl.

RECTOR ACADEMIÆ VVITEBERGENSIS, DEI GRAtia Ernestus Ludouicus, Pomeraniæ Dux &c.

INDIDIT DEVS σοργὰς generi humano, & in intima cordium penetralia has inseuit, vt & commonefactrices sint de amore suo erga Filium & erga nos, & sint inter homines vincula & nerui consociationis, arctissimo nexu, pa-

parentes, liberos & coniuges pios copulantes. Ac motus harum tanti sunt, vt post sensum iræ Dei non sit in humano pectore dolor maior aut acrior, quàm is, quem parentes in calamitate aut morte liberorum, aut coniuges pij in mutua diuulsione sui percipiunt. Vidit autem vir clarissimus, & senex venerandus D. D. MELCHIOR FENDIVS octo natorum funera, & cùm superstitem habuisset filiam vnicã HAGNEN, nuptam viro clarissimo & Medico integerrimo, D. D. IOHANNI HERMANNO, hæc quoq; heri à Deo ad consuetudinem æternam euocata est. Quare in dolore acerrimo hos optimos viros esse necesse est. Et quidem eò maiore vterque haud dubiè afficitur, quia, præterquam quòd pater senex, filia, eaq; vnica, maritus autem coniuge fidissima & carissima orbatus est, liberi paruuli vtriq; relicti sunt, quorum maximè intererat, matrem eos nutricem ac rectricem diu habere. Horum conspectu vulnera aui & patris magis lacerari non dubium est. Sed vtrunque præcipit Deus, & vt doleamus in calamitatibus & morte eorum, à quibus vel nos ortum accepimus, vel qui ex nobis prognati sunt: Et vt dolorem moderemur, & flectamus pectora, vt velint obedire Deo, & fremitus tristes & iniustos reprimant. Ingens hoc in animis bonis &

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-62-quod/start.htm?image=00000015

ἐσοργῆς certamen est, & non sine lucta ac labore maximo vinci dolor talis potest. Nam et sic condita est natura, vt dolorem inenarrabilem propter σοργὰς sentiat, & furor est impius & execratione dignissimus, ἀπάθεια καὶ ἀναλγησία Stoica aut Cynica, quam multi fingunt & stabiliunt furenter. Sed ne vincat aut regnet solus in animis & mentibus humanis dolor, non solùm moderari & reprimere DEVS iubet, verumetiam propositis causis mortis & miseriarum humanarum, & remedijs efficacibus monstratis, quæ dolori opponenda, & quomodo vincendus sit, docet. Adfirmat secuturum esse post hanc vitam non lacrymarum aut miseriarum talium ergastulum, qualibus nunc excruciamur et conflictamur assiduè, sed vitam plenam sapientiæ, lucis & lætitiæ diuinæ ac sempiternæ. Et huic asseuerationi addit Deus testimonia, Christi & aliorum multorum resuscitationem. Vult igitur Deus aspici hæc, & consideratione ac spe dulcissimæ consuetudinis in Ecclesia cœlesti aduersus dolorem obfirmari animos, non solum vt facilius res aduersas feramus & vincamus, sed & tantò ardentius & cupidius metam illam & portum salutarem expetamus, quod profectò facturi essemus, si & vitæ huius confusiones, miserias & pericula multiplicia sæpè intueremur, &

& cogitaremus, quàm dulcis futura sit illa scholæ cœlestis sapientia & lætitia æterna. Sed hæc & seni venerando, D. D. FENDIO, & viro optimo Doctori HERMANNO notissima esse, & vtrumq́; dolorem moderaturum esse, non dubitamus. Quod vt faciant, non solùm voluntatis & mandati diuini consideratio, sed pietas quoq; & virtus filiæ & coniugis carissimæ eos hortabitur. Fuit illa verè exemplum eximium & insigne coniugis honestæ & sanctæ, & virtutibus ijs omnibus ornatæ, quas in matrona DEO placente Paulus fulgere iubet, inquiens: Saluatur mulier per filiorum generationem, si manserint in fide, dilectione, castitate & modestia. Nam vt à teneris ad timorem Dei & studium pietatis serium & ardens, exemplo & cura paterna assuefacta & accensa erat: Ita quotidiè alere & augere pietatem lectione & tractatione verbi diuini studuit, nec quicquam, dum vixit, prius habuit, quàm vt Psalmorum lectione ac recitatione operas diurnas auspicaretur. Tantus & ministerij publici & concionum sacrarum amor & reuerentia erat, vt nullis se occupationibus, nisi corporis ægritudine auelli à congressibus & concionibus publicis pateretur. Hac igitur & lectione & pietate tantum sibi apparatum & thesaurum doctrinæ & sapientiæ diuinæ

diuinæ comparauerat, vt innumera fidei & pietatis ardentis documenta in vita eius vniuersa conſpicerentur. Et maximè in hoc morbo ipſius, quo diuturno & pertinaciſſimo conflictata eſt, non dubia eluxerunt habitantis in ipſius pectore Spiritus ſancti teſtimonia. Paucis ante mortem diebus, cùm ingraueſceret morbus, & agonem ac paroxiſmus acris corriperet, vt diſceſſura putaretur, cùm eluctata eſſet, in verba eiuſmodi prorupit, vt appareret, guſtum lætitiæ & dulcedinis æternæ non dubium ipſam percepiſſe. Cœpit deplorare ſeriò, nondum ſe ex hoc miſeriarum, dolorum & ærumnarum piſtrino abductam eſſe, vota item ſubinde repetiuit, cupidè ſe cum Paulo ἀναλυσιν corporis huius, & conſuedinem ac conſpectum Filij DEI expetere. Proxima quoq; ante mortem nocte, cùm vſitato more ſuo à marito & cæteris, qui ei adfuerant, amicis petiuiſſet, vt repetitione dictorum diuinorum cùm ſeſe confirmarent, tùm mœſtitiam et moram morbi leuarent ac lenirent, ipſa quaſi certatura cum his, ſelectiſſimorum dictorum numero ac dulcedine omnes vicit ac ſuperauit. Cumq; inter cætera finem certaminis talis feciſſet, ſæpè itera-

to dulciſſimo Pſalmi 42. dicto: Quemadmodum deſiderat ceruus ad fontem aquarum: ita anima mea deſiderat ad te DEVS, Sitiuit anima mea ad Deum, Deum viuum, Quando veniam, & videbo faciem Dei? Mox ſubiecit: Fac Domine, vt digna ſim videre faciem tuam in æternum. His & vocibus & teſtimonijs ſanctiſſimis defunctam matronam ne exiſtimemus amiſſam, aut iacturam eius aliquam morte præpropera aut immatura factam eſſe, viuit illa, & fruitur haud dubiè conſpectu filij Dei, quem expetiuit, & tribui ſibi votis ardentiſſimis optauit. Quare vt noſtri de viris clariſſimis & integerrimis, & de ipſa matrona honeſtiſſima iudicij & beneuolentiæ ſignificatio aliqua extet, quam vtriusq; patris & mariti, in docendo, medicando, & erga Academiam totam fides & pietas à nobis poſtulant: hortamur Doctores, Profeſſores ac Scholaſticos omnes, vt ad funeris ceremoniam hodie hora 12. ante ædes D. HERMANNI conueniant: & ibi ſeſe & publicam ſalutem ſinguli Deo precibus ardentibus commendent. Datæ die 29. Octob. Anno à Chriſto nato ex Maria virgine 1563.

DECANVS COLLEGII MEDICORVM MELCHIOR FENDIVS. Philoſophiæ & artis Medicæ Doctor ac Profeſſor.

Mani-

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-62-quod/start.htm?image=00000017

MANIFESTA est vtilitas artis, & doctrinæ Medicæ, & si exordia rerum, si generis humani initia, si inuentarum, excultarum, ac conseruatarum artium incrementa, & progressus repetantur, inter primas hæc, & antiquissimas reperietur. Nam & cœpit cum genere humano, & doctrinæ professionisq; religionis primæ, quæ vna, & sola, vt vetustissima, ita verissima ac certissima est, studio, cultura, vsu, collegijs docentium coniuncta semper fuit. Tradiderunt hanc primùm posteris sancti Patres, qui cùm instabilitatis, & illius ipsius στάσεως, quam Aristoteles causam facit ortus, atq; interitus rerum in materia elementari, huius ergò & morborum, ac mortis causas cùm explicarent, non ex natura petitis rationibus, sed testimonijs, partim voce diuina prolatis, ac declaratis, partim ex historia miserandi lapsus primorum parentum assumptis, remedia etiam aduersus hæc mala monstrarunt, præcipua quidem, atq; efficacissima aduersus morbos pariter ac mortem æternam, ex promissione diuina, beneficia filij Dei, Domini nostri IESV CHRISTI, qui vindicatam ab interitu naturam hominum sustentat, & renouatam instaurat ad æternitatem: Aduersus morbos verò, quibus cum conflictamur in hac misera & ærumnosa vita innumeris, qualiacunq;

cunq; θελκτήρια ex natura rerum, quæ in hunc vsum miranda arte, ac sapientia condita sunt, vt luentibus nobis in hac vita pœnas peccatorum, lenirent, ac mitigarent dolores, & cruciatus corporum, & de æterna à morbis, ac morte nos liberatione per filium Dei cõmonefacerent, quam inter tormenta cruciatuum spe indubitata expectantes, placidius toleraremus præsentia. Postea cùm Deus ad posteritatem Abrahæ alligasset Ecclesiam, in qua nasceretur Messias, & politiæ forma descripta, instituisset etiam Collegium Sacerdotum, vtriusq; doctrinæ curam tractationemq; Sacræ & Physicæ, & medicationes animorum, atq; corporum huic ordini commendauit. Inde ad Ægyptios, ab his ad Græcos peruenit ars Medica, propagata quasi per manus. Leges politicæ ex insitis nobis legis naturæ notionibus, tum primum ferri, ac sanciri cœperunt, cùm regna & Monarchiæ post diluuium conditæ sunt atq; constitutæ, de coacta armis collectaq; in cœtus multitudine hominum, qui sparsim sine legibus publicis, sine iudicijs, sine societate, sine imperijs, sine alijs communis consociationis vinculis vagabantur ac habitabant, veteri ante diluuium sanctorum Patrum more & exemplo. Hi enim ex se natos etiam, cùm in familias plures amplificati essent, paterna quadam autorita-

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-62-quod/start.htm?image=00000018

re, ac beneuolentia coniungebant, atq; gubernabant sponte obtemperantes. Hæc ego mecum, & libenter, & multùm cogito in hac mea senecta, gestans pondus graue, Tantum nimirum oneris, quod fero Annos septuaginta & quatuor, vt cum anu Plautina loquar. Sæpè me etiam in hac mœsticia, & publica horum temporum, & mea priuata, quam mihi auxit nuper & cumulauit ad summum vsque interitus vnicæ meæ ac dilectissimæ filiæ, sæpè me ergò hac vnica cogitatione erigo ac recreo, simulq; excito ac præparo ad migrationem ex hac vita lætam, in vitam meliorem, in qua filius DEI ἀρχιατρὸς omni in me extirpata labe, donaturus me est luce, iusticia, lætitia, & vita æterna, adhibitum Collegio piorum doctorum Ecclesiæ cœlestis, vbi docente ipso discam rectius intelligere causas, quare sic conditi, quare sic liberati per filium, & in hac vita hoc modo gubernati ac seruati simus. Adolescentes tamen de his ipsis rebus commonefieri, et vt de artis Medicæ dignitate sic cogitent ac sentiant, assuefieri prodest, cùm aliàs, tùm præcipuè tali tempore, quando publicis testimonijs ornantur ij, qui & doctrina instructi, & in operibus artis exercitati, benè mereri de genere humano medicationibus cupiunt, quod nunc quoq; præ manibus est. Decretum est enim de senten-

sententia Collegij nostri, vt ad diem Iouis proximam, quæ diuo Martino sacra est, fiat solẽnis et publica renunciatio in templo Academiæ, Arci adiuncto, duorum honestorum ac doctorũ virorum, Magistri Clementis Kelneri Islebiensis, et Magistri Ernesti Reuchlini Geussingensis, quibus & in disputatione publica auditis & priuatim exploratis, tribuit Collegium nostrum doctrinæ & medicationum suarum testimonium. Talem renunciationem cùm fieri conueniat in frequentia aliqua, cum pijs precibus, quibus & Ecclesia & hæc Academia, & honesta ac necessaria bonarum artium studia à Deo conseruari, quæq; hæc turbent aut impediant, auerti petantur, admixta gratiarum actione, de beneficijs communicatis generi humano per artes, & disciplinas, Hortamur Scholasticos, vt adsint in templo frequentes, & hoc etiam officio testentur vtrumq;, tùm quòd Deo debeant gratitudinem, qui remedia condidit, ac horum vsum monstrauit, & subinde excitat ac donat idonea ac felicia ingenia, ad medicinam exercendam cum salute multorum, tùm quòd artem medicam reuerenter ament ac colant. Datæ 7. Idibus Nouembris,

Anno 1563.

RECTOR ACADEMIÆ VVITEBERGENSIS ERNESTVS

Ludouicus Dei gratia Dux Pomeraniæ &c.

HERI *quadrante vno post horam quintam vesperi, migrauit ex hac vita cum pia & ardente inuocatione Dei in agnitione et fiducia vnigeniti filij* IESV CHRISTI *saluatoris ac mediatoris nostri,* ANDREAS BOCHOVV *Ruppinensis, extinctus febre, cùm decubuisset octiduum. Natus is fuit patre pietate, doctrina, constantia in confessione veritatis, & alijs virtutibus, pio Euangelij ministro conuenientibus ornatissimo, nominis cum filio eiusdem, qui ante multos annos, cùm apud virum reuerendũ Doctorem* CASPARVM CRVCIGERVM *in hac Academia ministrum ageret, & fundamenta doctrinæ Christianæ integrè didicit, & domestica exempla pietatis religiosæ, quæ doctorem Crucigerum excelluisse scimus, præcipua cura ac diligentia imitari studuit. Vocatus hinc literis Senatus Brandeburgensis ad munus docendi iuuentutem, scholis tàm veteris quàm etiam noui Oppidi aliquot annos fideliter præfuit, Inde deinceps Francofurtum cum Sabinæ commendatione profectus, & in illa Academia orna-*

tus insignibus Magisterij, locum inter Professores Philosophiæ publicos consequutus est, quem locum cum eximia eruditionis, grauitatis, diligentiæ, & assiduitatis laude aliquot annos tenuit. Sed quòd sese totum et studijs sacris & ministerio Euangelij Christi addixisset ac dedicasset, vocatus ad docendam & gubernandam Ecclesiam in propinquo oppido Besiko, quod tunc Episcopo Lebusiano purioris doctrinæ hosti paruit, reliquit Academiam, vt in illo oppido, quod ad illud vsq; tempus in Pontificiæ idolomaniæ tenebris velut tricis hæserat, vindicato ab erroribus conderet Ecclesiam filio Dei. Res fœliciter successit Spiritus sancti ope & efficacia. Id grauiter ferens Episcopus, vi eiecit pastorem ex Ecclesia, collocato in locum illius alio abusiuum & idolatriæ veteris patrono. Ipse pulsus locum inuenit apud illustrissimam Principem inclytorum Marchionum Brandeburgensium matrem, natam sanguine regio ex stirpe Danica. Apud eam concionatoris munere functus octennium, mortua illa translatus est Ruppinum, quod oppidum in Comitatu Reppinensi præcipuum, nunc ad Marchiam Brandeburgensem pertinet. Huius loci Ecclesiæ in annum nunc præest decimum. Quod ergò doctrinæ quam profitetur, veritatem sanxit ac

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-62-quod/start.htm?image=00000020

stabiliuit exilio suo, & de hac se doctrina ita sentire ostendit, quòd propter confessionem huius nulla defugiat aut recuset odia vel pericula, dignus est beneuolentia piorum omnium atq; officijs pijs. Idcirco doleamus ereptum ei esse filium eximiæ spei adolescentem, quem spes erat, si vixisset, seni patri solatio præsidioq; Ecclesiæ Christi vsui & ornamento futurum esse. Egregia enim ingenij & doctrinæ ediderat documenta his tribus annis, quibus in Academia vixit. Huius calamitatis magnitudinem cogitemus, & ostendamus in funeris deductione affici nos luctu pij & afflicti pastoris, simulq; Ecclesiæ conditionem deploremus, cui, cùm præclara ingenia ante maturitatem auferantur, periculum non leue impendet à barbarie ac vastitate. Hanc petamus diuina clementia ab his terris et Ecclesijs prohiberi atq; auerti. Efferetur autem funus ex Collegio iam hora tertia, id vt prosequantur ac deducant Scholastici frequentes, mandamus. Die Elisabethæ Anno 1563.

INTERRVPERVNT aliquandiu operas meas non tàm occupationes et profectiones quædam, quàm deliberationes de hora conueniente studijs auditorum, cùm post reditum doctissimi viri

viri M. Petri Vincentij, cuius absentis horam quartam vsurpaui, Dei beneficio tot in hac Academia sint in singulas diei horas distributæ lectiones vtiles & necessariæ iuuentuti, vt religio mihi fuerit, occupando quamcunq; horam, aut docentium auditoria minuere velle videri, aut discentes ab alijs vtilibus lectionibus abducere. Cùm autem Reuerendus vir de hac Ecclesia & studijs discentium sacras literas, præclarè meritus, Dominus Doctor Georgius Maior conquereretur de imbecillitate corporis, iam exhausti laborum assiduitate, quos maximos & vtiles cum sustinuisse toto hoc tempore, quo nobiscum fuit, testes ei omnes esse possumus ac debemus: hortatores ei fuimus, vt habita ratione valetudinis suæ, de quatuor horis, quas magna cum assiduitatis laude enarrationi Epistolarum Paulinarum tribuit hactenus, duas mihi concederet, quibus Matthæi explicationem continuare possem. Vbi cùm nostris monitionibus locum dedisset, ita conuenimus, vt ipse horam tertiam dierum Lunæ & Martis retineret, vt hactenus consueuit: Ego verò eandem horam Tertiam dierum Iouis & Veneris occuparem. Quod igitur faustum sit, ad diem proximum Iouis, Deo adiuuante, redibo ad intermissam aliquandiu lectionem, explicaturus

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-62-quod/start.htm?image=00000021

Genealogiam Christi à Matthæo Natiuitatis historiæ præmissam, quæ vt planius intelligatur, declarabo Scholasticis tabellam quoq; recens editam, in qua complexus sum vtrunq; ab Euangelistis Matthæo & Luca expositum catalogum Maiorum Christi, vt aliquid lucis accedat Euangelistarum textui. Hortor itaq; Scholasticos, vt non grauentur exiguo ære venalem illam tabellam sibi comparare. 21. Nouembris.

Paulus Eberus Pastor
Ecclesiæ VViteber-
gensis.

DECANVS COLLEGII PHILOSOPHICI IN ACADEMIA VVitebergensi Bartolemæus Schonborn VVitebergensis.

SICVT in congressibus eruditorum hominum, ὁμιλία ἔτεκε τὰς τέχνας: Ita et dulcem συζηγίαν animorum conseruant frequentiores congregationes moderatorum hominum, qui studiorum & publici commodi causa conueniunt, deq; rebus vtilibus inter se placidè sententias communicant atq; differunt. His de causis cùm exercitia scholastica instituta à maioribus nostris sint, manifestum est magnas habere

vtilitates congressus tales, in quibus de literarum studijs, alijsq; pijs ac honestis rebus agitur et sententiarum collationes fiunt. Cùm itaq; à maioribus nostris ex honestis & bonis rationibus constitutum sit, vt crastino die, (ad quem in nostris fastis diuæ Catharinæ nomen ascribitur, cuiusq; imaginem pro insigni habet Communitas nostra profitentium linguas & bonas artes) vacatio publica lectionibus indicetur, atq; in solenni conessu cœtus docentium & discentium honesta habeatur oratio, qua animi ad gratiarum actionem, & studia liberalium doctrinarum accendantur atque inuitentur: Nos de consilio Collegij nostri, omissum quidem iam olim atq; collapsum morem in consuetudinem reuocare decreuimus, (cùm & voluntatem honestam asseramus, & studium non malè merendi nostro loco de rebus communibus) atq; ita publica oratione, quam recitaturus est reuerendus & clarissimus vir Doctor Iohannes Maior Ioachimus, Collega & amicus noster carissimus, intermissum illum morem denuò conserare, atq; in cœtum scolasticum introducere.

Hortamur igitur vniuersos nostros, vt ad eam recitationem, quæ cras fiet hora Nona, frequentes nobiscum Deo gratias agant pro conseruatione liberalium artium, quæ seminaria

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-62-quod/start.htm?image=00000022

Ecclesiæ Dei sunt, & porrò vota facere pergant, ne contemtis artibus, ijsdemq; extinctis, postmodò immissa barbarie doctrinæ lux, quemadmodum ante hæc tempora accidit, barbaricis atq; impijs Hypocritarum & Sophistarum opinionibus & fumis contaminetur, aut penè opprimatur. Quod quidem vt æternus pater Domini nostri IESV CHRISTI *propter gloriam suam clementer auertere dignetur, toto eum pectore oramus. Datæ in profesto Catharinæ, Anno 1563.*

RECTOR ACADEMIÆ VVITEBERGENSIS, ERNESTVS Ludouicus, Dei gratia, Pomeraniæ Dux &c.

INCIDVNT *in hanc diem, vt sæpè aliàs, duo funera, diuersissimorum ætate hominum, Vnum pueri infantis, alterum senis fermè septuagenarij. Vno autem modo omnis ætas salutem accipit, neq; diuersa ad cœlum itinera sunt, sed via vna est, quæ eadem simul veritas est & vita, atq; de adultis res plana est, qui ex auditu & doctrina Ecclesiæ fidem salutarem percipiunt, sed de infantibus & pueris, qui per ætatem audiendo discere nondum possunt, difficultas obijcitur humanæ sapientiæ, ideò sua voce rem*

rem Christus explicat, qui & paruulos ad se accersit, & horum esse regnum cœlorum pronunciat, & docet hoc etiam, qui non ita vt pueri regnum Christi accipiant, eos non fore huius participes. Hæc igitur ætas in cœtu euocatorum ad vitam æternam, quæ est Ecclesia, condonationem peccatorum, & reatus sui, atque communitatem regni Christi, in quo salus est, fide accipit, neq; enim aliter quàm fide ab adulta ætate hæc percipiuntur, aut percipi possunt, & via ad salutem vnica est, vt diximus. Etsi autem innocentia etiam est in vita ætatis puerilis, quam & ipsam præstari ab adultis, & hac in parte ætati illi assimilari nos oportet, secundum ῥητόν, *nisi cõuersi fueritis, et efficiamini sicut paruuli, non intrabitis in regnum cœlorum. Nulla tamen sanctitas vitam æternam meretur, etiamsi præstari hanc oportet, sed iusticia nostra est alieni meriti, quod fides apprehendit, in qua vna sunt omnia. Sicut autem quomodo hæc salutaris fides sit in pueris, non intelligimus, Ita cur alij ætate puerili, alij iuuenili ex hac vita euocentur, occultum est Dei iudicium, cùm in Ecclesia & ætate prouecta & senes esse aliquos oporteat. Etiam de præmijs & statu in altera vita eorum, qui ætate puerili decedunt, quid ratio statuat, non reperit, cùm minus quidem*

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-62-quod/start.htm?image=00000023

dem polluta sit peccatis, sed seruire etiam minus Ecclesiæ possit, Sed occulta ne quæramus, neq; scrutemur maiestatem. Hæc igitur præfati, in præsentia vocamus vos ad deductionem funeris in familia optimi viri & Iurisconsulti Doctoris Pauli Nithardi, qui hodie hora 12. efferet filiolum nondum trimestrem, quod officium deductionis vestræ, & patri debetis propter ordinem communem, & maternæ familiæ, cùm mater demortui sit ex domo Doctoris Iohannis Bugenhagij Pomerani clientis nostri, cuius pietatem, sapientiam, virtutem & doctrinam colamus & diligamus in sobole huius, & qui huic sunt coniuncti, rependentes hanc gratiam meritis ipsius in Ecclesiam Christi ingentib. Propositum Calendis Decemb.

RECTOR ACADEMIÆ VVITEBERGENSIS, ERNESTus Ludouicus, Dei gratia Pomeraniæ Dux, &c.

QVANTVM sit difficultatum & impedimentorum in omni gubernatione parua et magna, etiam pacatis, ac florentibus rebus, & cùm voluntates gubernatorum consentientes idem spectant, atq; ad eundem finem consilia dirigunt, quotidie discimus nostris & aliorum exem-

exemplis, non sine detrimento Rerumpublicarum & priuatarum. Sed augentur difficultates plurimùm, si mutationes, aut dissidia publica incidant, qualescunq; mutationes illæ sint. Nam bonæ etiam & salutares, quòd nouũ aliquid, atq; insuetum introducunt, ideò turbant rationes, & consilia gubernatorum, labefactant Legum vtrarumq;, veterum & recentium auctoritatem, pariunt discordias, diuulsis coniunctissimorum hominum animis, languefaciunt in ijs qui præsident, curam ac studium Rerumpublicarum, in subditis acuunt & confirmant licentiam peccandi, petulantiam obtrectandi, audaciam aduersandi legitimo magistratui. Deteriora sequuntur mutationes non salutares, de quibus Xenophonteum illud verissimum est: πᾶσαι πολιτειῶν μεταβολαὶ δουλαγωγοί. In talibus ergò mutationibus, si contingant eiusmodi gubernatores, qui & intelligant incommoda publicarum mutationum, ac rationem, qua leniri queant aut auerti, & si illi ita sint affecti, vt cupiant ac studeant vulnera inde orta sanare, non exasperare, ingens Dei donum est, quod agnoscere nos gratis animis decet, ac prædicare. Fuisse autem talem gubernatorem HIERONYMVM CRAPPIVM Consulem huius Oppidi, comperimus, cuius guber-

bernatio in maximas mutationes huius postremi seculi, & periculorum plenas incidit. Primùm enim quasi nouam politiæ formam attulit huic Oppido religionis veræ instauratio à Reuerendo viro Doctore MARTINO LVTHERO facta post abrogatos ac deletos impios ritus, & mores Pontificios cum doctrina impia. Hanc sequutus est interitus duorum præstantißimorum Principum, aui nostri materni IOHANNIS. et fratris eius FRIDERICI sapientis, Ducum et Electorum Saxoniæ, quem consentaneum est, vt fit vsitatè, præsenti rerũ statui atq; cõditioni rursus nouitatis aliquid attulisse. Sed hæc tolerari potuissẽt, nisi aliquantò post euenissent tristiora, quorũ causa et bella et dißidia docẽtium in Ecclesia extiterũt. Ex his quanta mala nata sint, testatur ruina atq; interitus omnium rerum bonarum, Præcipuè verò disciplinæ, qua rudior ætas ferocia iuuenili et concitatiore impetu inconsideratius exultans ac lasciuiens, cohercenda erat ac cicuranda, et frustra remedia quæruntur à viris pijs ac sapientib., quibus hæc sopiantur aut mitigentur. Afflixerunt tamen hanc vrbem & Academiam grauius multò, quàm aliæ Germaniæ loca, scilicet, quòd in hanc etiam penè solam conuersa præcipuè atq; directa fuerunt hostilium aduersationũ ac machinationum con-

silia & studia. Tali tempore ea fide, diligentia, industria & vigilantia rexit Consul CRAPPIVS oppidum, vt consilia matura & salutari sapientia ad incolumitatem Academiæ & Oppidi inflexerit atq; attemperarit, & vtriusq; commodis consuluerit, quantum omnino in tanta rerum omnium difficultate fieri potuit, in qua simul accidisse multa cogitemus, quæ turbarunt sapienter institutas deliberationes, et conatus optimos impediuerunt aut eliserunt. Disciplinæ defensioni atq; conseruationi suo loco nunquàm defuit, Nec publicè diligentia in exequutione Legum, ac seueritate animaduersionis in eos, qui contra leges deliquissent, Nec priuatim familiæ propriæ gubernatione, quam ita rexit & assuefecit, vt domus eius honestæ disciplinæ & omnium virtutum piarum, inuocationis DEI, sanctimoniæ, castitatis, & cæterarum fuerit exemplum. Cumq; ipse esset iustus, grauis ac seuerus: tamen ἐπιείκειαν adhibere, & quæ mitigationem ferebant, moderari in deliberationibus & pœnis norat, ne ex nimia pertinacia, vt fit, rixæ ac discordiæ, & ex his alia orirentur mala, quæ in detrimentum vel perniciem Academiæ, & Oppidi vergerent. Si aut antè aut in extrema senecta vel asperius quid statuisse, vel pertinacius vrsisse, vel negligentius

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-62-quod/start.htm?image=00000025

tius etiam aut incogitantius egisse visus est, id temporum iniuriæ & imbecillitati corporis atq; animi, ætate ac morbis languefacti tribuatur, & referatur ad regulam, de veritate ac candore et æquitate in iudicandis magistratuum actionibus, & de condonatione aliquarum imbecillitatum, quam DEVS seuerè præcipit & flagitat. Hic Hieronymus Crapp Consul, etiam patre Consule natus, heri ex hac vita excessit manè hora tertia, senio extinctus. Cùm ante mensem natura extremum conante, magnam copiam sanguinis purissimi vomitu reiecisset, sequutæ sunt hanc expulsionem deinceps commotiones aliorum humorum, vt in senili corpore, præcipuè verò defluxiones crudæ pituitæ à capite, quæ tandem vbi pectus impleuisset, eum suffocauit. Annos compleuit septuaginta tres, Consulis munus gessit annos paulò minus quadraginta. Funus eius efferetur hodie hora tertia. In eo deducendo vt Scholastici postremum ei honorem pro exhaustis laboribus, proq; meritis erga Academiam, & Oppidum præstent, mandamus. Commendent etiam pijs precibus salutem huius Oppidi Deo, ac precentur, vt nunquàm huic desint idonei & salutares magistratus, quod cùm hospitium Scholæ præbeat, & gubernatorum cura defendatur ac regatur, iustissi-

mum est vtrumq; nos communib. & coniunctis precibus à Deo petere. Est enim bonus ac fidelis magistratus singulare donum Dei, vt ipse ordo politicus est opus Dei. Vult ergò vtrumq; honore affici ac reuerenter coli. Calendis Decembris Anno 1563.

RECTOR ACADEMIÆ VVITEBERGENSIS ERNESTus Ludouicus Dei gratia, Pomeraniæ Dux &c.

TESTAMVR coram vobis vniuersis, quôtcstis subiecti Iurisdictioni scholasticæ, dolorẽ nostrum, quo affecit nos ingente calamitas Viri præstantissimi & Iurisconsulti eximij, D. Georgij Cracouij I.V.D. clientis & singulariter dilecti nostri. Huic cùm nudiusquartus Filiolus nasceretur Iohannes (cuius Baptismũ nos, si quid hoc ad rem pertinet, testes astitimus, & sicut in Ecclesia Græci veteres locuti sunt, ἀναδοχοὶ fuimus) Nosq; gratularemur Viro opt. fortunam auctæ familiæ, postridie Infantulus mortuus est, quem heri extulimus, quæ res etsi non potest non dolorem afferre pijs & intelligentibus parentibus & non inhumanis: & sunt filij, vt Euripides nominat, συλοὶ ὁικῶν, id est, columnæ familiarum: Nos etiam vniuersa

uersi quantopere afficeremur hoc luctu honestißimæ familiæ huius, de frequentia vestra in deductione funeris animaduerti potuit, Et ferri tamen potest, & consolabilis hic dolor est, præsertim in Infante & perimbecillo filiolo. Sed qui hunc euentum hodie secutus est, is est multò grauior, vel potius vnus ex grauißimis qui patrifamilias accidere possunt, & qui fortißimos viros prosternere solet. Matrona optima & primaria, fœmina lectißima, decus & ornamentum & suæ & mariti familiæ SARA BVGENHAGIA CRACOVINA, hæc igitur & dolore & morbo fracta, filiolum secuta, hodie hora quarta matutina mortua est & ipsa. Ita luctus primariæ familiæ nouo & ingente duplicatur, & amittit soboles matrem, maritus vxorem carißimam, puerperam, domus & familia tanquàm columnam alteram qua stat hactenus, & ornamentum ingens. Hoc funus est luctuosißimum, & hæc vna est ex calamitatibus in pijs familijs, quæ in hac vita accidunt grauißimis, Vt hoc casu D. Georgij Cracouij nostri, & nos vehementer commoueamur, & hanc scholam vniuersam grauißimè affici sciamus, quæ virtute & meritis viri præstantißimi longo iam tempore fruitur. Neq; quicquam mediocre in hoc luctu et dolore permittit CRA-

COVIO nostro excellentia virtutis & præstantiæ muliebris eius fœminæ quam amisit, vt venia ei danda sit, si grauius commoueatur hac calamitate & sua & familiæ quàm debere videatur aliquibus, qui doloris huius magnitudinem non intelligunt, aut æstimare non possunt, neq; qualem coniugem ille amiserit nouerunt. Comperimus nos omnia decora pietatis, ingenij, & virtutis muliebris vniuersæ, in hac Matrona fuisse tanta, quanta hic sexus capere potest, cum & natura esset optima, & accederet sanctißima educatio Parentum. Cum qua Coniuge sua in amore casto & mutuo coniunctißimè vixit annos 14, atq; ita vt nulla vnquam ne minima quidem offensio inter Coniuges ipsos intercederet, cuiusmodi coniunctionem consuetudo vitæ huius & mores præsentes vix capere posse videntur, sed nos credimus ipsi hæc testanti cum dolore & lachrimis ijs, quæ cadunt in viros fortes & bonos. Cumq; peperisset apud eum sexies, & iam septimùm grauida esset, per aliquot hos menses grauibus morbis tentata est valetudo optimæ Fœminæ, & auditi sunt sermones huius ante semestre quasi præsagientis, se non superaturam labores puerperij huius, id quod nimis verum fuisse cum dolore nostro experimur & querimur. Nam & morbo eo qui

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-62-quod/start.htm?image=00000027

præcesſit, factum eſt, vt partus non nihil anticiparet tempus iuſtum, & ita hoc afflicta fuit, vt fœtus mortem ipſa quarta die ſequeretur, cum ageret climacterem vitæ quartum nouenarium. Sicut autem eximia fuit pietas huius in tota vita, ita in inuocatione etiam ardentiſſima Filij DEI & confeſſione religioſiſſima fidei in hunc ſuæ eam clauſit, cum teſtaretur ſe, quod DEVS de ſe & familia ſua et marito chariſſimo ſeri vellet atq; conſtitueret, verè iudicare eſſe optimum & maximè ſalutare ipſis vniuerſis, & ſe ſuam voluntatem diuinæ ſubijcere & quod imponeretur pia obedientia ſubituram. Colligit ſibi Eccleſiam æternam Filius DEI in terris præconio Verbi ſui, quo plantantur cœli. Hanc Eccleſiam & propagat & complet partu muliebri, vt hoc peculiare officium huius ſexus ad quod creatus eſt, æternæ celebrationi & gloriæ Filij DEI in cœtu Chriſtiano ſeruiat, neque noceant vllo modo puerperis pijs cruciatus & labores partus, etiam mors quæ ſæpè hos comitatur, ſed ſaluti horum hæc etiam ſeruiant. Ita Paulus ſcribit Timotheo: Saluabitur ſexus muliebris pariendo liberos, ſi perſtiterit in fide, charitate, ſanctimonia & caſtitate, Id quod verè præſtitit hæc Matrona SARA BVGENHAGIA CRACOVINA noſtra, atq; has etiam

iam nominatas ab Apoſtolo virtutes cæteris matronalibus & Chriſtianis omnibus cumulauit, vt hæc mors ei ſit in vitam cœleſtem certiſſima migratio, & cum ipſa actum optimè, euocante eam ex miſerijs vitæ huius propitio DEO, qui & familiæ relictæ & Marito ſuperſtiti aderit, eisq; conſulet, quod & noſtro loco eum optamus. Scitis hanc metronam filiam fuiſſe Reuerendi Domini, pietate & doctrina præſtantiſſimi, Iohannis Bugenhagij Pomerani noſtri, V. CL. cuius in Eccleſiam CHRISTI merita extant ingentia, vt hoc nomine hoc cliente noſtro gloriemur, & quod DEVS ex noſtra terra hoc organum & vas gratiæ ad ſalutarem inſtitutionem Eccleſiæ ſuæ produxit, atq; ditionem noſtram ortu talis Viri ornauit, agimus ei ex intimo corde noſtro gratias, ſicut & pro collatis per hunc beneficijs tàm noſtris quàm externis, atq; adeo Eccleſiæ communi. Doct. verò Georgius Cracouius noſter, & in Repub: cum laude ſumma ſua & vtilitate harum terrarum verſatur, Et illuſtriſſimi Principis & Domini, D. Auguſti Ducis Saxoniæ Electoris &c. conſanguinei noſtri honorandi & dilecti, gubernationi ampliſſimæ, ſuis conſilijs & fide ſua inter præcipuos operã nauat, quem hac calamitate Conſiliarij ſui affici minime dubita-

mus, eum inter heroicas virtutes dilectionis & celsitudinis ipsius etiam humanitas emineat: Fruuntur & alij multi in imperio Principes & Domini huius Cracouij nostri ingenio, sapientia, doctrina, industria. Beneficia verò ipsius erga scholam vestram nota sunt, & nos eum nostro loco maximi facimus & diligimus, vt Virum præstantem, & in familiaribus nostris habemus. Cum autem neque gubernationes sine sapientum hominum consilijs præstari possint, & Respublicæ tales esse soleant, quales ij sunt, per quos administrantur, oramus DEVM, *vt confirmet Doct. Georgium nostrum dilectum, vt quàm diutissimè Reipub: operam nauare possit, Et officij sui admonemus omnes subiectos ditioni Scholasticæ, vt funus primariæ Fœminæ frequentes deducant, quod efferetur cras hora prima, & declarent hoc modo studium atque obseruantiam suam erga Maritum superstitem, de Republica & Scholastica præclarissimè merentem, præsertim cum hoc etiam sanctæ animæ tàm demortuæ Matronæ, quàm Patris huius, Domini* BVGENHAGII *debere videamur, propter pietatem, virtutem & merita, de quibus diximus, Patris inprimis, cuius memoriam quibuscunq; officijs possumus & fas est, colere debemus, tàm in ipsius nomine celebrando,*

1563

brando, quàm officiosa voluntate, quæ præstetur Familiæ huius, et qui cum hac sunt coniuncti, quosq; ipsi caros fuisse scimus, & diligi ille à nobis optauit.

Conuenietis igitur indicato tempore ad hanc deductionem, ante ædes D. CRACOVII *nostri, Id quod vos vestra sponte & officiosè facturos esse minimè dubitamus, & facere vniuersos volumus, Atq; vt magis facere velitis, nostro exemplo vos præibimus.* PP 16. *Calend: Ianuarij.*

ANNVS M. D LXIIII.

RECTOR ACADEMIÆ VVITEBERGENSIS, ERNESTUS Ludouicus, Dei gratia Pomeraniæ Dux, &c.

ET antiquissimum est in Ecclesia Festum, & lætitia summa inde vsque ab initio reparati & recepti generis humani, à Sanctis omnibus celebratum, quod DEI *beneficio, salui & incolumes, ferijs solennibus iam recolimus. Nam quæ de exhibito ac nato in carnem Filio Dei Domino nostro* IESV CHRISTO, *annis iam continuis* 1564 *celebritate solenni & festiua, annuatim commemorari & prædicari votis Ecclesiæ publicis solent, Ea & retro ante*

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-62-quod/start.htm?image=00000029

natum Christum annos circiter quater mille, totus sanctorum Patrum, Patriarcharum, Regum, Prophetarum & Electorum omnium chorus, inde vsq; à primis hominibus & generis humani Parentibus, nihilo minore cum lætitia ac celebritate, & huic intermixto ardentissimo videndi diei huius desyderio, colloquijs item ac sermonibus de hoc dulcissimis, commemorauit, Ac non aliter cogitauit, quam si iam exhibita, & plenissimè præstita omnia essent, quorum in data post lapsum promissione de SEMINE mulieris, caput Serpentis contriturò, spes generi humano ostensa ac facta fuerat. HEVA mater Viuentium omnium, statim vt in lucem edidit primum ex ADAM conceptum fœtum ac filium, SEMEN illud victoriosum ac potens se habere existimans, Natalem eius celebratura in vocem hanc læta & exultans erumpit, POSSEDI VIRVM DOMINVM: Eum enim futurum videt & intelligit, qui caput Serpentis, hoc est, Regnum & opera Diaboli, peccatum & mortem, contriturus ac destructurus est: Ac desyderium suum quo Dominum hunc expetiuit, atq; etiamnum expectet, illo errore suo sancto, ardentissimum fuisse & esse demonstrat. Fuit eadem subsequentium Patrum & Patriarcharum lætitia & exultatio, quoties pro-

es promissionem hanc repeti aut declarari audierunt, Tunc enim ceu in rem præsentem deducti cogitatione, nihilo minore gaudio commoti atq; affecti sunt, Quàm si oculis suis natum atq; exhibitum hoc SEMEN vidissent.

Sic de Abraham Christus inquit: Vidit Abraham diem meum & lætatus est. Nam cum Filium vnigenitum Isaac, in quo repromissionem acceperat, Quia in Isaac vocabitur tibi Semen, Eum inquam, cùm mactare iussus esset, fiducia & Plerophoria fidei miranda erectus ac confirmatus, in ipso spectaculo mortis Filij charissimi, natalem Seminis illius noui sibi promissi expectat, ac tum quasi præsentem celebrat, certissimè statuens, quia & à mortuis, & ex illis ipsis Filij cineribus, suscitare potens esset DEVS, SEMEN, in quo benedicendæ sint omnes Gentes terræ.

Ita Iacob iam moriturus cum promissionis huius possessionem declarasset Filijs, Et hanc Iudæ eiusq; posteris deinceps possidendam tradidisset, Cæteris verò natis bona & mala quæ singulis euentura essent, prædixisset, Exemplo suo docet filios qua consolatione præcipua in rebus vel secundis vel tristibus instructos eos esse oporteat, Hac scilicet, Quod sibi Saluatorem DOMINVM promissum esse intelligant,

ligant, Ideoq; inquit: SALVTARE TVVM EXPECTO DOMINE, Quod dictum dulciſsima Paraphraſi Chaldeus interpres tranſtulit, inquiens: Dixit Pater noſter Iacob, Non expecto redemptionem Gedeonis filij Ioas, quæ eſt temporaria, Neq; redemptionē Simſonis filij Manuæ, nam & hæc eſt tranſitoria, Sed expecto redemptionem Chriſti filij Dauid, qui venturus eſt ad vocandum ad ſe filios Iſraël, Huius inquam redemptionem deſiderat anima mea &c.

Sic Dauid audita & accepta per Nathan promiſſionis eiuſdem poſſeſſione, fore vt ex lumbis ipſius naſcatur REX ille æternus, benedicturus omnes Gentes, gaudio exultans in hanc vocem erumpit: Quis ego ſum Domine? Et quæ eſt domus mea vt hucuſq; me prouehas, parum eſt tibi niſi loquaris de domo ſerui tui in longinquum, Aſpexiſti me velut in forma hominis, qui ſurſum eſt Dominus DEVS? 1. Para. 17. Ac læticiam hanc non momentaneam in hoc ſancto rege fuiſſe, Sed perpetuò in corde ipſius viguiſſe, & perſtitiſſe, dulciſsimi Pſalmi oſtendunt, quos ex promiſſione hac texuit plurimos, verba item nouiſsima & teſtamentum, quod moriturus condidit, Et vltimæ ſuæ de re

de re tanta voluntatis, & conſtantis vſq; ad finem læticiæ, documentum eſſe voluit.

Eſaias quoq; cap. 9. Cùm paruuli huius, & filij dati nobis Natalem prædicit, læticiæ futuræ imaginem proponit mirificam, Meſſorum ſcilicet in meſſe vbere & copioſa exultantiū, Et militum victorum capta præda & ſpolijs diuiſis mutuò ſibi congratulantium. Eaq; & ſui animi, & electorum omnium læticiam propter donatum Filium & Puerum hunc pingit & exprimit.

Sunt & in reliquis Patrum & Prophetarum ſcriptis ſimilia teſtimonia, quæ oſtendunt Feſtum hoc Natale perpetuum ac continuum in Eccleſia fuiſſe Annos 5526.

Itaq; ſi qui barbarico ſtupore dementati, non magnifaciunt beneficia ipſa, quæ à Filio DEI, aſſumente carnis noſtræ maſſam miſerrimis nobis conferuntur, Moueri tamen ac flecti ad cogitationem de his attentiorem & accuratiorem debebant, exemplis his Patrum, Regum, ac Prophetarum tantorum, quos exultare lætitia cernunt, ingreſſos in cogitationem ac deſyderium videndi diei, temporis & redemptionis promiſſæ, cuius nos cognitionem habemus pleniorem & vberiorem, vt qui non in longinquum ſperare aut expectare amplius cogimur,

Sed qui iam in exhibitæ ac manifestatæ mirãdis testimonijs gloriæ Filij DEI *et nostræ possessione sumus, qui lætitiæ nostræ socios, Duces & ἀρχοὺς habemus, non solos illos Patres, Reges aut Prophetas sanctos, Sed Angelos castos, qui hoc ipso die ac Festo agminatim de cœlo eruperunt, Et nato Filio* DEI *carmen Natalitium cecinerunt, nobisq́ verbis conceptis ceu præiuerunt, vt ipsos imitati ac subsequentes, gloriam acgrates eadem* DEO *canamus ac commemoremus.*

Hæc verò vt facienda erant assiduè in inuocatione omni: Ita ardentissimè in hoc festo antiquissimo & lætissimo fieri ea à pijs Ecclesiæ ciuibus iustum est, Nam quod semel Angeli carmen nato in carnem Filio DEI *cecinerunt, id hoc tempore annuatim cùm Natalis huius memoria recurrit, cani & repeti ab ipsis gaudio effusissimo non dubium est.*

Vt autem accendi & præstari cogitatio de rebus tantis, vt precatio, & celebratio bonorum præstitorum ardens & seria esse possit, Sciamus sobrios & modestos nos esse oportere, & nascentem ac venientem ad nos filiolum osculo & basiolis dulcibus excipiendum esse, Vt Psalmus monet: Osculamini filium. Cogitemus accedendum esse reuerenter ad cu-

nas huius infantuli, ad verbi auditionem, & pium Sacramentorum vsum, in quibus ceu vagiens Christus complexu suauissimo singulos & omnes inuitat, Et accendentibus benignissimè sese, & bona sua offert.

Sed pro dolor, impietas, ingratitudo, cœcitas, ac stupor animorum in multis tantus est, vt nunc furiosius in omnis generis scelera ruant, vt terram sanguine humano poluant fœdius quàm alio tempore: Ruunt verò illi cum maxima & tristissima miseria & pernicie sua, non audientes aut imitantes castorum Angelorum carmen, pacem hominibus optantium, Sed furialibus Diabolorum œstris impulsi sibi & alijs pœnas attrahunt & accelerant.

Quare autoritate nostra, ijs omnibus, qui Iurisdictionem nostram agnoscunt, mandamus seuerè vt in hoc festo modesti et sobrij sint, Et discursationes ac tumultus nocturnos, Et alia piarum operationũ & precum impedimenta vitent. Cogitent adolescentes, si qua in aliquibus scintilla est pietatis & erga DEVM *& homines reuerentiæ, nihil fœdius, nihil turpius, nihil scholastico indignius esse quàm tali tempore, quo cogitatione mirandæ copulationis diuinæ & humanæ naturæ in Redemptore Domino nostro Iesu Christo animi occupati esse debe-*

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-62-quod/start.htm?image=00000032

debebant, tumultuari helluando, latrocinando aut alijs flagitijs indulgendo, Ideò reprimant se, & pœnas diuinas, quibus furias inquietas opprimi cernunt, metuant toto pectore, & vt regat eos Filius DEI, & massæ suæ insertos gestet ac foueat, gemitibus & votis ardentibus orent. Postremò vt aliqua erga cunas Domini nostri IESV CHRISTI reuerentiæ significatio publica ordinis nostri extet, præcipimus scholasticis, vt nos & Senatum Academiæ ad Aram accedentes, & munera solito more offerentes, frequentes comitentur, Et hæc se donaria ipsi Filio DEI Domino nostro IESV CHRISTO offerre statuant, Qui cum omnis sibi præstitæ beneficentiæ compensator sit gratus & promptus, hæc quoq; officiola præmijs ac beneficijs multis ornabit & compensabit. In Festo NATALI Anno 1564.

RECTOR ACADEMIÆ VVITEBERGENSIS ERNESTus Ludouicus Dei gratia, Pomeraniæ Dux &c.

ELapsus vetus est, et iam nouus incipit annus
Cum puero nascente nouo, qui triste piaret
Adami veteris crimen, precioq; redemptos
Sanguinis, antiquos iterum reuocaret ad ortus
Ex

Ex quo decidimus decepti fraude Draconis.
Nūc dum tẽpus adhuc mutãdis moribus, et dum
Insuper indulget superûm clementia, nec iam
Immissis latè furor æstuat omnis habenis, (quis,
(Quanquã ô, ni superi scirent quoq; parcere imi-
Iam lue, iam ferro absumpti, et grassantib. armis
Funditus occidimus, nec haberet vita regres-
Linquamus veteres mores, vitæq; prioris (sus)
Cum iam pertæsum est, rectũq; bonũq; colamus
Corde nouo, quo deinde nouus puer aduena ter-
Per fidei lucem sibi pura sedilia figat, (ris
Quæ colat, & cum Patre suo Flatuq; sacrato
Æternis habitet seclis, nec sola relinquat
Lucis egena suæ, sacriq; expertia flatus.
O noua progenies summo quæ missa parente
Venisti in terras infectas crimine auito
Vt sancta carne, et sancto cum sanguine lustres,
Supremùm aduenas iterum precor, et noua finge
Omnia, quæ vetera et iã olim collapsa fatiscunt:
Effice vt inde noui mundo illucescere soles
Incipiant, penitusq; amorum intercidat omnis
Ordo vetus, veniantq; nouo noua singula seclo.
Hei nihil huic veteri fas quenq; fidere mundo,
Quippe vbi nulla super pietas, non iura fideq;,
Quocũq; error agit quenq;, et malesuada cupido
(In facinus iurasse putes) ita turbine cœco
Fertur in abruptum, nec crimine viuitur vno,
Et

Et multos ſcelerum delectat fama ſuorum,
Nec quæ circumſtet denſiſſima turba malorum
Cæca mente vidēt, quàm ſæuus et efferus hoſtis
Vſq; ab hyperboreis progreſſus milite campis
Ceruici immineat noſtro: quàn deinde timen-
Ne mala vicini noceant contagia belli, (dum
Quìm cæli infecto tractu, & qua viuimus aura
Certa lues inſtet nobis, quàm lætifer annus
Arboribus q;, ſatisq;, et quàm corrupta per agros
Paſcua dent ſtragem pecori: ſtat triſtis arator,
Omnis & agricola, atq; animalia tabe recepta
Strata vijs animam deponunt omnibus ægram.
At quotus afficitur damnis, veniāq; precatur?
Securiq; Dei ſceleſtum viuimus ævum
Sorde voluptatis merſi, vinoq; ſepulti.
At non pœna ſepulta iacet: ſuccincta flagello
Inſonat, inq; dies auidum caput altius effert,
Et miſeranda lues Stygijs emiſſa cauernis
Multa virūm triſti demittit corpora letho,
Sanguineusq; furit Mauors crepitantibus ar-
Nō ipſi inter ſe populi, non turba potentū (mis.
Pace agitant ævum, ſed ruptis legibus arma
Arma fremunt latè, facieſq; miſerrima rerū eſt.
Dij placidi ſeruate pios, monumenta ſuperſint
Chriſte tuæ gentis, penitus ne gloria & ingens
Fama tua, & verbi lux victa fatiſcat in orbe,
Quod te per patrem, & patris ſpirabile numen,

Per

Per te, per tenera obteſtor cunabula, & ipſa
Vulnera, & exceptas inſonti in corpore plagas,
Namq; tuis precib. genitor nil denegat vnquā,
Antè illum effuſus quoniā pro gente rogando
Chriſte tua, ſolus patriæ oblūctatus es iræ
Supplicia in te vnum vertens, ſæuumq; furorē,
Dum tandē in fragiles humilē te colligis artus
Vt noſtri generis conſors, & ſanguinis eſſes.
Pro quibus, et cæli chorus omnis, & agmina la-
Credentū in terris hodie te Chriſte, tuumq; (tē
Natalem celebrant, & ouantes gutture claro
Lætitia, plauſuq; diem, cantuq; frequentant.
IPSA adeò rerum ſeries, & conſonus ordo
Naturæ rerum, ſtabili quo ſorte feruntur
Omnia, & obſeruant ſua res diſcrimina quæq;,
Et cùm ſuſpicimus magni cœleſtia mundi
Templa ſuper, ſtelliſq; micantibus æthera fixū,
Affirmare animos ſubigunt, non impete cæco,
Fortuitoq;, vagoq;, inconſultoq; tenore
Molem confluxiſſe orbis, temereq; coiſſe.
Ipſaq; notities naſcens in origine prima
Non dubiam facit inde fidem mortalibus ægris
Eſſe Deum, qui conſilio tot ſemina rerum
Ordine quæq; ſuo, & ſapienti mente creauit
Iuſtitia pollens, nec fallax ore, nec auſis,
Largus opū, et vindex ſcelerū, et dans præmia
Immundā exoſus labē caſtiſſimus vnus (rectis.

Motus

Motus ob hanc cauſam, cùm primis condidit
Naturã rerũ, quò ſeſe oſtenderet orbi, (omnem
Atq; palàm faſſum daret, et bona propria mẽtis
Ipſe creaturis ſenſu & ratione ſagaci
Inſtructis genitor faceret communia ſecum,
Vnde celebrari queat, agnoſciq; viciſſim.
Ergo vt eum paſsim propiori lumine mentis
Aſpicerent homines: tandem ſe prodidit illis
Voce ſua, & numen teſtans haud omine falſo
Iſacidum genus à Pharia tellure reduxit,
Atq; anima caſſos etiam reuocauit ad auras.
His motæ ſignis, firmatæ & talibus auſis
Exactum mentes habeant, quòd ſancta per orbẽ
Agmina conſcribat vocali in munere verbi
Ipſe Pater ſuperûm, nullo quæ fine per æuum
Ipſum laude vehent, atq; ipſius acta ſonabunt:
Quòdq; ſonans latè in terris doctrina ſalutis
Vera Dei veri proponat dicta, nec vſquam
Labilis immoto verax fundamine perſtet:
Conſilioq; Patris demiſſam cœlitus orbi
Progeniem credant, cuius de ſanguine fuſo
Non alio vllius precio, iam labe piata,
Placatoq; furore Dei, proiecta hominum gens
Rurſus in antiqui referatur fœdera amoris
Tutelamq; Dei, rurſum vt commercia vitæ
Contraheret, propiorq; Dei ſe luce teneret.
Hic operis tanti finis, manifeſtaq; cauſa eſt,

Quam

Quã dum perpendunt animi, ſecumq; volutant,
Horribiles iras diſcant in crimina noſtra
Quas non placari voluit, niſi ſanguine nati
Vnigenæ genitor: Dehinc è regione viciſſim
Aſpice diuini monumentum & pignus amoris
Erga hominũ mortale genus, quibus hoſtia talis
Obtigerit noſtram propter mactata ſalutem,
Cuius ob officium, preciumq; in morte ſolutum
Denuò in antiqui attraheret conſortia amoris.
Hæc duo cùm verſant homines: metus occupat ingens
Omnem animum terrore Dei, ſpirantis anhelas
Irarum flammas, & murmura ſæua mouentis.
Nec minus in mentem diuini vt venit amoris,
Rurſum animi exultãt plauſu, lætiq; viciſſim
Hæc bona ſuſcipiunt, & figunt oſcula nato,
Natũ amplectuntur, veniãq; precantur ab illo
Qui medias partes agit inter noſq;, Deumq;,
Mentem conſiliumq; ſuum cui credidit vni
Æternus Pater, atq; vni ſua ſenſa retexit.
O genus infelix humanum, ô ferrea corda,
Quis dignè afficitur curis pro munere tanto?
At velut aligerûm turmæ rutilantibus alis
Natali ſub luce tua dulciſsime Chriſte
Tractibus aërijs volitant, & carmina dictant,
Cuſtodesq; monent ouium ſub nocte ſerena
Tendere iter Chriſti tenera ad cunabula, et ipſũ

Visere compositum tardi ad præsepia aselli,
Ruricolæq; bouis, pannis, fænoq; volutum,
Et stellæ docuêre viam, gressusq; regebant
Heroum qui sese extremo Oriente mouebant
Hũc regẽ vt peterent, et prosequerẽtur honore:
Haud secus hi qui sacra docent, præsuntue iuuentæ,
Aligerûm exemplo Christo pia carmina dictent
Et tenerũ adducant cœtũ ad cunabula Christi,
Astent, aspiciantq; animis duo fœdera stirpis
Diuersæ penitus, sed quæ sic venit in vnum
Mirando nexu quem nulla humana capit mens.
Fas igitur celebrare Deũ et persoluere grates,
Quanquã hominũ supra sensum est sapientia ta-
Dissita consilij tanti, longèq; remota, (lis
Quam quondam exemti mortali sorte, tuentes
Clara luce Deum, superûm discemus ob ore:
Prima rudimenta, atq; apices attingere primos
Mortales voluit genitor tamen, atq; necesse est
Partem operis tanti gustare in limine primo.
Ergò humilis quanq;, nec par his rebus & ausis
Cura sagax animi, tamen est accepta parenti
Æthereo, si mente iterumq; iterumq; reuoluunt
Quis veniat Deus ille, Deus qui virgine natus,
Cur Patris hic sermo, cur Patris imago feratur,
Cur tuus Immanuel qui tecum gaudeat esse
Nusq; abiẽs, semperq; suo tibi Flamine præsens,
Quàm res mira homini, quàm nullius obuia mẽti

Naturæ

Naturæ geminæ persona nexus in vna.
Nunc quo fine Deus cœli descendit ab arce
Exposui dictis, patrias vt scilicet iras
Placaret bonus, atq; iugis absolueret Orci
Detentum mortale genus: nunc percipe porrò
Quid Patrẽ impulerit gnatũ demittere Olympo,
Et vita insonti mulctatum subdere morti.
Cùm simul & iustus vindex habeatur, & idem
Immenso nostri clemens ab amore liquescat:
Sic miti tamen indulget placatus amori
Dum miseros recipit, tamen vt nõ concidat vs-
Iustitiæ rigor ille suæ, diuinaq; norma. (quã
Ergo iustitia decernens, atq; fauore
Temperat illud opus quo nos in fœdera prima
Suscipit, in partemq; locat stellantis Olympi.
Legis id officium est, ni morem quisq; geramus,
In foribus pœna est, quam nos haurire merentes
Continuò subigit: Sed enim cum deuia pœna
Vertitur à nobis in summi Patris alumnum:
Ecce satisfactum est legi, nec iam amplius ullũ
Supplicii infandũ luimus, qui munera Christi
Parta cruore suo fidenti corde tenemus.
Nec temerè pœnam abijceret, si sanguine Nati
Vnigenæ, insontis, non compensata fuisset.
Tum primũ mites animos, mentemq; benignam
In genus accepit nostrum clementia Patris
Tum demũ in lapsos homines manifesta retecta
est.

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-62-quod/start.htm?image=00000036

Sed cur diſsimiles ſpecies, diuerſaq; textæ
Naturæ geminæ pariter venere ſub vnum?
Dum cõmiſſa lues homines damnauerat Orco,
Fas aliquem pœnas humana in gente ſubire.
Vtq; æquè precij valor his reſpondeat auſis:
Maieſtas æterna, triplex, decreta ferebat (te
Natus vt omnipotens ſatus omnipotente paren-
Supplicia hauriret, pœnamq; exolueret omnem:
Nec quisq; alituũm ex numero reliquiſue cre-
Irã ferre Patris poterat, nec ſoluier antè (atis
In nihilum ſubitò, niſi cui diuina vigeret
Maieſtas, ſocio carnis cum fœdere iuncta,
Non auidam ſuperare necem, non reddere vitæ
Munera perpetuæ, nec liuida colla veneno
Serpentis terere, & crudelibus exuere armis,
Ni medio veniſſet, & hos ſufferre labores
Vltrò maluerat, ſeſeq; opponere letho.
O quanto et quali genitor nos ſummus amore
Proſequitur, poſtquã genitali in origine noſtra
Fuderat in mentes inſtar, ſpeciemq; bonorum
Quæ ſplendent in mente ſua, quibus emicat ipſe
Iuſticiæ radijs, ſapienti & lumine mentis
Ergo adeò ſimiles ſibi vero ardebat amore,
Iuſticiæ decor, & noſtræ ſapientia mentis
Mentem animumq; Dei mira dulcedine mulſit,
Affectusq; ijdem ſpirabant mutuò vtrinq;.
Cumq; amiſſa forent lapſu bona tanta nefando,

Magnus

Magnus amor Nati cõfeſtim affulſit, vt ægris
Depoſcit veniam patria ad veſtigia ſtratus,
Et patriæ ſeſe pro nobis obijcit iræ.
Atq; vbi mortali generi iam gratia parta,
Et patris extinctus furor eſt, et flamma reſedit
Victa prece, & ſancto deleta impunè cruore:
Rurſus in hac quanquã fragilis cõpagine maſſæ
Cum Nato Pater, atq; amborum copula Flatus
Viui habitant, gaudentq; illa ſe ſede tenere,
Atq; in amicitiæ nos priſtina iura reponũt. (bat,
Nec generi humano munus dare maius habe-
Quã quòd in hos animos transfuſus Spiritus ar-
Spiritus ille ſacer, cõſors Natiq; Patriſq;, (det,
Lætitiamq; in corde nouam, lucemq; ſerenam,
Et tenebras abſtergentem, largo excitat igni,
Et vincli in morem medius Natoq; Patriq;
Aſſociat noſtræ languentia viſcera maſſæ.
At quib. officijs tàm ſancta atq; ardua dona (pi
Aſſequimur, quoue iſta modo pater altus Olym-
Diuidit in medios, cupidisq; remittit habenda?
Nempè ſono audito verbi, quod cordibus ægris
Cõmiſſum ob crimen, veniam denunciat vltrò
Humano generi partam pro ſanguine Chriſti.
Ergò huius meriti fiducia, nixa cruori
Chriſte tuo, extimulat mentes ad vota preces q;,
Lætitiamq; in corde parit, ceu refficit imber
Exuſtos agros iam tum torrentibus auris.

Hic modus eſt, atq; hæc cõpendia vera ſalutis
Quæ generi humano genitor patefecit Olympo.
Ergò operam ſtudijs demus, votisq; petamus
Seruari has terras veræ pietatis alumnas,
Neu fera barbaries, & ne Mahometica peſtis
Contemtrix Chriſti perſonæ, & muneris huius
Ingruat his terris, & verbi euertat honorem
Quo propè ſublato ſolatia nulla ſuperſint. (res,
Quare agite in melius veſtros conuertite mo-
Neu factis turbate feris ſua vota piorum,
Vltrices aſtant furiæ, terrentq; ſtagellis
Aſſiduè, & pœnæ non ipſa in morte quieſcunt.
Vtq; miniſterio digni præſtentur honores
Per quod tanta Deus nobis bona cœlitus offert:
Quiſq; ſuũ munus, pro vt ſors, & copia cuiq; eſt,
Exhibeat, ſanctãq; volens deponat ad ARAM.

In feſto Natalitio Chriſti.
Anno 1564.

DECANVS COLLEGII PHILOSOPHICI IN ACADEMIA VVITEBERGENSI M. Bartolemæus Schonborn, omnibus lecturis S. T. D.

Cvm λόγος ætherea demiſſus ab arce Parẽtis
Eſſet ab intacta virgine natus homo:
Nox erat, & puro fulgebant ſydera cœlo,
Auraq; ridebat lumine tincta nouo.
Ecce volans altis in nubibus agmen Olympî
Paſtorum denſis accinit excubijs.
Gloria vera Deo veniat, Pax aurea terris,
Humanosq; animos gaudia læta iuuent.
Hæc eadem ingeminat Paſtorum turba canen-
Hi ſunt qui populum de pietate docent (do
Gloria digna Deo eſt, quando pia pectora no-
Ac celebrant vera relligione Deum. (runt,
Quòd Deus & iudex ſummo ſedet altus Olym-
Et tamẽ in miſeros mitia corda gerit. (po,
Gratia debetur nato, qui ſanguine fuſo
Lenijt iratum victima grata Patrem.
Sed Pax læta viget, cùm crimina ſæua remittit
Qui natum accipiunt non dubitante fide.
Conſenſuq; Deus iunctos vult eſſe docentes:
Pace ſolent terris multa venire bona.
At tùm lætitia feruent, cùm preſſa dolore
Corda leuat verbi vox meditata ſacri.
Hæc eadem canimus coniuncti mente, fideq;
Qui gerimus doctæ tradita frena ſcolæ.
Namq; Dei veri verum illuſtramus honorem,
Et pax vnanimes ſpirat amica ſonos.
In medium ferimus doctis ſolatia dictis,
Nec turbant animos impia monſtra pios.

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-62-quod/start.htm?image=00000038

Hæc tamen vt discat studijs operata iuuentus,
Assidua voluat scripta diserta manu.
Ergò qui cupiunt censuræ subdere nostræ
Ingenij, ac artis sedula dona suæ:
Ad nos si referant solito sua nomina more,
Quàm potero, officijs ipse iuuabo meis.
Sed te Christe rogo, patrio qui pectore profers
Arcanos sensus, consiliumq; Dei:
Tu rege doctrinæ cursus, tuq; vnice doctor
Erudias verbo pectora nostra tuo.

Prop: Calend. Ianuarij
Anno 1564.

STVDIOSIS MATHEMATVM S. D.

STATVERAM post absolutam explicationem primi libri μεγάλης σωταξεως Ptolemæi, proponere auditoribus elementa Euclidis, quorum cognitione informarentur, non solùm ad alios quoq; eiusdem libros, cognoscendos, Verùm etiam ad vniuersam Philosophiam facilius & rectius discendam, Nam ad hunc vsum plurimùm conferunt. Sed mutare propositum coactus sum propter exemplarium penuriam, Nam nulla neq; Latina, neq; Græca exempla Euclidis, aut admodum pauca, extant. Quare donec ea iterum excudantur, & Scholastici

stici se ijs instruant, exponam Tabulas Prutenicas, Quarum cognitio non minus necessaria est, quàm Elementorum Geometricorum. Cùm enim duæ sint Astronomiæ alæ, quibus se, vt Plato inquit, in cœlũ attollit, ac pulcherrimorũ corporum, motus, situs, distantiam cùm ad se, tùm ad terram, & alia his cognata, nobis explicat, Geometria scilicet & Arithmetica, Vtriusq; cognitio coniungenda est, quo verum fructum inde asportare possimus. Etsi enim Geometria, obseruationibus motuum, hypotheses idoneas accommodat, quibus saluentur anomaliæ apparentes motuum regularium, et alijs tradantur et exponantur, ac simul etiam doctrinam triangulorum cum planorum, tum sphæricorum tradit, quæ monstrat rationem condendarum tabularum motuum: Tamen nisi Arithmetica accedat, numeros accommodet, & quomodo ijs vtatur ostendat, imperfecta est & manca. Si qui igitur doctrinam Astronomicam amant & manifaciunt, sicuti beneficia ipsius maxima, quibus vitam communem adficit, ab omnibus merentur. Doctrinam tabularum seu canonum, ex quibus motus corporum cœlestium numerantur, amare & studiosè discere debent. Sunt autem Tabulæ Prutenicæ, alijs quæ ex doctrina Alphonsinorum extructæ sunt, longè

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-62-quod/start.htm?image=00000039

perfectiores & absolutiores. Ex ijs enim non solùm ad tempora præterita, præsentia & futura cùm planetarum motus, tùm Eclipses emendatissimè, ita vt cum obseruationibus eorundem temporum, congruant, verumetiam anni tropici seu vertentis, quo vulgò vtimur, quantitas, item Solis obliquitas maxima absolutissimè computari possunt. Quæ cùm in vita communi, & tota Astronomia magnum vsum habeant, debet vel ob hanc causam earum prælectio auditoribus esse grata. Quare scholasticos adhortor, vt ad harum Tabellarum prælectionem frequentes & assiduè adsint. Quam DEO iuuante die Martis proxima incipiam.

Sebastianus Theodoricus
VVmshemius.

RECTOR ACADEMIÆ VVITEBERGENSIS ERNESTUS Ludouicus Dei gratia Pomeraniæ Dux &c.

ANTE annos tres publicè & solenniter à Collegio Iurisconsultorum in hac Academia Iuris vtriusq; Doctor renunciatus est, Vir præstans ingenio, fide, prudentia & scientia ciuili, VICTOR OTTINGVS, patria Reualiensis terræ Liuonicæ, qui paulò pòst & docere

docere hic publicè cœpit, & in amplissimum Collegium eorum cooptatus est, qui in hoc oppido de iure publicè respondent, qualia ex vetusta constitutione Ducum Saxoniæ, duo sunt quasi oracula harum terrarum, à quibus & incolæ & de externis locis multi, de rebus incertis suis quærere solent, Vnum Lipsiæ, alterum VViteberge. In hunc igitur locum propter virtutem suam ascitus cùm esset, perspectum est iudicium eius rectum, & felicitas in decidendo controuersijsq; tollendis, quòd sententijs suis ad id quod respondendũ esset, plerumq; quasi collinearet, qualis facultas in Baldo celebratur. In cæteris verò quæ huius muneris sunt, perindustrius fuit & studij indefessi, & consensionis rectæ atq; concordiæ piæ custos fidelis, & Collegarum amans & colens, & in omni officio tàm erga hos quàm alios omnes diligens et spectatus. Itaq; factum est, vt & magnifieret et diligeretur ab omnibus, Præsertim cùm in omni consuetudine vitæ comis esset & humanus & facilis, & qui suum vnicuiq; etiam hac in parte tribuere sciret, amicitias autem sanctè & fideliter coleret. Hic Vir optimus & doctissimus, cùm iam ad maximarum rerum administrationem crescceret atq; matureſceret, florens ætate & viribus integris, cùmq; intelligenti-

gentium omnium animos expectatione de se maxima complèsset, heri sub horam tertiam pomeridianam febri delicuescens mortuus est, secutus filiolum Trimestrem, quem decimo die ante sepelierat. Sed hic VICTOR ad ciuilem sapientiam etiã doctrinam Ecclesiæ adiunxerat, vt DEVM rectè inuocaret & coleret, in pietate vera fidei & bonæ conscientiæ, quæ est sapientia præclarissima omnium, de qua scriptum est: Ἴδοὺ θεοσέβεια ἐστὶ σοφία, τὸ δὲ ἀπέχεσθαι ἀπὸ κακῶν ἐστὶν ἐπιστήμη. Ita factũ est, vt vitam piã etiam salutari exitu clauderet, quòd nõ esset tantùm iusticiæ ciuilis Sacerdos, Sed per fidem salutarem pars etiam sacerdotij regij eorum, qui sunt euocati ad vitam æternam, & gens sancta & populus conseruatus. Itaq; ad migrationem ex hac vita præclarè se instruxerat, & sæpè repetiuit moriens dictum Propheticum: MORS absorpta est in victoria, quod sibi accommodans, se vt nomine, ita re Victorem fore mortis in IESV CHRISTO professus fuit, animo ita præsente, & pleropheria fidei tãta, vt gestibus etiã intimi cordis motus ostenderet, lætantis in Christo illo extremo tempore suo, propter fiduciam partæ per hunc salutis. Sic igitur ille hinc migrauit morte felici & beata, verè in Domino mortuus, Id quod agimus & quæri-

quærimus, atq; agere etiam præcipuè debemus vita nostra vniuersa nos qui in Ecclesia viuimus, & à DEO, cuius hoc præcipuũ munus est, precibus nostris hoc petere, secundum formulam Spiritus Domini, de populo DEI prolatam voce Bileami, Moriatur anima mea morte rectorum eius, sitq; finis meus sicut illorum, etsi vti huius Chaldæus ille impius & idolatra non est factus particeps, quòd ab Ecclesia DEI recederet, & coniungens se cum Madianitis contra populum Israeliticum, inter idolatras interfectus est, hæc tamẽ Spiritus Domini vox est, qui super eo tum requieuit, cuius institutionem, sicut par est, sequamur. Præclara est sententia Senarij veteris: Qui per virtutẽ perit, non interit, Sed qui in Domino moritur, hic non interit, Hoc summum bonum contigisse Victori huic ei gratulemur, & agentes gratias DEO φιλανθρωποτάτῳ, nos eodem contendere declaremus, degentes vitam qualis sanctos decet.

Sicut autem cum hoc mortuo nostro optimè actum est, qui & tàm salutari fine decessit, & penè cum patria sua sepelitur, cui DEVS non voluit eum esse superstitem: Ita Reipublicæ ne quid portendatur morte multorum, qui huic operam nauant, & superstitum ex his, cala-

calamitatibus frequentibus et non paruis, nostra etiam loco metuimus, & Deum oramus, vt pericula impendentia benignè auertat. Hic certè noster et firmo adhuc robore et ætate penè iuuenili è Repub: sublatus est. Constat autẽ senectam esse donum DEI, quo dono testatur se fauere Rebusp: ijs, in quibus conseruat vitam Ciuium ad iustam senectutẽ, præsertim eorum, qui eas vtiliter administrant. Hæc igitur Deo permittentes & precibus Ecclesiæ, in præsentia, ad deductionẽ funeris vocamus et Scholasticos et cæteros Iurisdictioni nostræ subiectos vniuersos, quod efferetur hodie HORA III. Hoc officium etiam ampliss: Collegio Iurisconsultorum, & demortui affinitati honestissimæ dabitis, cùm in matrimonio habuerit filiam GEORGII RHAVV Typographi, quem audimus virum fuisse pietate & integritate præstantem, & Virum & Ciuem planè optimum, qualium generi & Deus benedicit, vt scriptũ est, & vos etiã erga tales officiosos esse cõuenit. P P. pridie Non: Ianu: Anno 1564.

DE CONSTITVTIONE ET OFFICIO MAGISTRATVS PSALmus Dauidis 82. à Iohanne Maiore Ioach. carmine redditus.

QVi mare, qui terras, & cœli temperat axem
Filius ipse Dei, medio stat in orbe Deorum,
Regna quibus vasti concessit splendida mundi,
Iusti-

Iustitiaq; dedit gentes frenare superbas:
Ille præest regnis, illi sunt oppida curæ.
Namq; pios cœtus non tantùm in munere verbi,
Verum etiam Legum vinclis conducit in vnũ,
Et legum sociat neruis, & in agmina cogit,
Ceu Lyra Threicij vatis mortalia secla
In socios vitæ conuentus traxit & vrbes
In corpus ciuile hominum concrescere adegit:
Aut velut vrbs collecta Deo cum legib: æquis
Nomẽ habet Niniue. Quòd .n. coguntur in vnũ
Tot populi, verbo diuino, & legibus arctis,
Non hæc humanis ausis, non arte magistra
Eueniunt: Deus hæc regnis opera ardua cõfert.
Quin idem genitore Deo satus, arbiter ipse
Inquirens hominum vitas, et crimina discens
Castigansq; dolos, & iura nouissima dicens,
Iudicis exercet partes medio agmine diuũm,
Nempè Magistratus, Diuũm quem nomine dicit
Maluit, Omnipotens, quia sit diuinitus ipsi
Cõcessum imperium, et rerũ data certa potestas,
Tùm quia diuinos præstare insigniter ausus
Cura data est, latè diuinum extendere honorem,
Subsidioq; leuare bonos, decernere pœnas
Sontibus, atq; vmbra populos recreare salubri,
Ceu Rex Assyriæ quondam sub imagine somni
Viderat æthereas terra consurgere ad auras
Arboris ingentes apices quæ totius orbis
Imperia, & seriem Regnorum pingeret arbor.

Sub

Sub qua captarent victus, & frigus opacum
Plurima quæ latis degunt animalia terris.
Ipse etiam intentis oculis atq; auribus haurit,
Quid statuant Reges, & quæ dent iura per or-
Quáue via vindex sententia sæpè feratur, (bẽ,
Cùm diuina adeò tractare negocia tentant,
Arbitriumq; sibi sumunt vitæq;, necisq;.
Quòd si fortè dolis peruertunt iura: repentè
Iudicijs assistit inexorabilis vltor,
Et meritas ipsi pendit violentia pœnas.
Primò equidẽ sontes Deus arguit indice verbo,
Si qui fortè velint meliori assuescere vitæ.
Exin præcipites agit alto ex culmine rerum
Turbine corripiens celeri, & facto arguit ipso,
Qualem de solio subuertit ad ima Manassen
Fulminis in morẽ, et præclustribus exuit armis.
At si pro rectè meritis mala gratia parta est,
Hostilesq; iras odio cumulatis iniquo
Aut in discrimen rerum, vitæq; redacti
Diuitioris acerba pati fastidia oportet:
Ponite corde metus, non vobis Numine ab alto
Infractusue vigor mentis, tutelaue deêrit.
Nam sorte Imperijs lecti, fatoq; volente,
Consessu in medio præsentia numina habetis.
Impia facta virûm quæ multant vindice pœna.
Ergò vbi diuini stabilita est robore verbi
Ardua Maiestas foliorum & regna superba:

Tunc

Tunc pater inuadit dictis qui sceptra gubernãt,
Et sæpè indignos consuêrunt vertere in vsus:
Vsq; adeóne dolis violatis iura, fidemq;
Admissi dubias hominum decidere lites,
Et sontum partes scelerato extollitis ore?
Quin agite, atq; inopũ caussam, & tutore caren-
Æquis obseruate animis, pressumq; superbo (tũ
Imperio, & caussa meliorem absoluite tandem.
Ista quidẽ mandata Deus dat ferre, sed auræ
Omnia discerpunt, nec verba ex ore piorum
Edita suscipiunt animis, atq; auribus æquis,
Iustitiæ immemores diuinæ, & sana repellunt
Ingenti fastu veræ documenta salutis,
Nec victi dictis possunt absistere falso,
Tantus amor cæca errorum sub nocte vagari.
Ergò vbi iudicijs præsunt, & rostra gubernant
Ignari rerum, & rectæ nil mentis habentes,
Et cum Iustitia fugêre, Fidesq; pudorq;,
Vita quibus regitur, certoq; in fœdere constat:
Confestim vitæ ratio confusa fatiscit
Funditus, intereunt vrbes, populiq; potentes,
Et penitus terræ fundamina mota tremiscunt
Ordine conuulso, & subitam traxêre ruinam.
Sed licet ornatos cum maiestate Deorum
Constitui rerum Dominos, & iure potentẽ
Armatos volui regnum exercere per orbem:
Dum tamen exosi diuina, humanaq; iura

E *Estis,*

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-62-quod/start.htm?image=00000043

Estis, & exitio miserorum vestra paratis
Commoda, & egregio velatis nomine culpam?
Non tituli ratio, non inclyta sustentabunt
Sceptra viros, quò fata minus subeantq́, ruantq́
Præcipites tanquàm media de plebe fuissent,
Et quo more perire manus violenta Tyrannûm
Sueuit, vbi populos immanibus obruit ausis.
Maiestas immota manet, nec sella caduca,
Imperijq́ infractus honor, quanquã efferus olim
Celsa è sede ruit contemto nomine Saulus,
Atq́ alij intereunt non sicca morte Tyranni.
At suus officio stat honos, & paupere villa
Missus in imperium magnum Iesseius heros
Succedit sceptris, recipitq́ insignia regni.
At tu Gnate Dei tandem, tu nascere terris,
Cui Pater immensum submittens viribus orbẽ,
Imperium sine fine dedit, populisq́ subactis
Solum iura dare, & solum ditione tenere
Hæredem voluit sanctas per secula gentes.

Die 3. Regum.

IN PRÆLECTIONEM ODYSSEÆ HOMERI.

GRATIAS ago æterno & clementissimo DEO Patri Domini nostri IESV CHRISTI, quòd mihi seni hactenus suppeditauit vitam

vitam & vires, cùm ad reliquas operas scholasticas, tùm quoq́ ad octodecim Tragœdiarum Euripidis enarrationem, in quibus quinquennium & menses aliquot consumpsimus, singulis hebdomadis biduum illi lectioni tribuentes, Et eundem DEVM æternum precor, vt porrò etiam in hoc misero & senili corpore vires sufficiat ac sustentet, vt donec viuam, studijs discentium vtiliter inseruire valeam, vt labor noster fructuosus sit in Christo Iesu, redemtore nostro Amen. Decreui autem ad diem Veneris proximum, auxiliante DEO, redire ad prælectionem Odysseæ Homeri, nec pigebit nunc senem exacta penè ætate ad hunc authorem redire, quem olim iuuenis ab hinc anno quinto & vicesimo in hac schola intra triennium totum publica prælectione absolui. nescio enim qui fiat, vt qui tunc iuueni iucundus erat, nunc seni longè iucundior dulciorq́ videatur, nisi quòd hoc vere dictum esse à Cicerone intelligo, Hæc studia adolescentiam agunt, senectutem oblectant, secundas res ornant, aduersis perfugium ac solatium præbent, delectant domi, non impediunt foris, pernoctant nobiscum, peregrinantur, rusticantur &c. Omni ætati iucunda est horum tractatio, attamen senibus multò iucundior, quod fortè eò fit, quia hæc

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-62-quod/start.htm?image=00000044

ætas alijs oblectationibus destituta, in hac vna conquiescit, & in hac quasi reiuuenescere meditatur, aut quia propter maturitatem magis videt, atq; intelligit quantum boni sit in hoc Scriptore. Neq; igitur scholasticos quoq; pigeat in hoc iuuentutis flore summo Scriptori & Scriptorum omnium principi operam dare, Quem cùm omnium ætatum homines ingeniosi doctiq; admirati sunt, tùm verò Plato omnis doctrinæ liberalis fontem ac parentem nominare non dubitauit. Reuerendæ & sanctæ memoriæ vir D. Philippus Melanthon præceptor perpetuò colendus, cùm paulò ante mortem hanc mihi prælectionem commendaret, hoc elogium addebat, post sacratiß: Biblia haud dubiè nulla extare meliora neq; vtiliora scripta Homero, Sophocle, & Euripede, Proinde hortabatur, vt ea in schola perpetuò conseruarentur. Debet hæc vox optimi & fideliſsimi Præceptoris non minus iam emortui, quàm cùm viueret, studiosis calcar addere, eosq; inuitare vt hos Scriptores magnifaciant, & illis hunc ætatis florem consecrare neutiquam dubitent, agent olim senes mihi iam pridem sepulto gratias pro hac adhortatione, qui nunc iuuenes meis monitis obtemperabunt, Neq; mihi quicquam iucundius nec dulcius erit, quàm studijs discentium quàm

quàm maximè prodesse, quod cum DEO laboribus nostris benedicente, ita fieri intellexero, tunc mihi etiam mortuo molliter ossa quiescent, Sed tu, clementiſsime DEVS, fons veritatis, & omnis sanæ ac salutaris doctrinæ parens, Spiritu sancto tuo nobis tàm docentibus, quàm discentibus, clementer adesto, vt, te studia nostra gubernante, fœliciter laboremus, vtq; labor noster sit salutaris Ecclesiæ & Reipublicæ in Christo & per Christum redemtorem nostrum, Amen.

Vitus VVinsemius
senior.

RECTOR ACADEMIÆ VVITEBERGENSIS ERNESTVS

Ludouicus Dei gratia Dux Pomeraniæ &c.

FVIT in Vicino oppido IVTERBOCK, cuius nomen bonitatem DEI sonat, & quod à multis annis veram religionem vnà nobiscum amplectitur, Pastor Ecclesiæ DEI, Vir pius & doctus Magister ARNOLDVS CORVERVS Lemgouiensis VVestphalus, qui & olim in huius nostri Oppidi schola pueritiæ primas literas fideliter docuit, et postea in ministerio eruditione cum vitæ sanctimonia coniunctam

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-62-quod/start.htm?image=00000045

iunctam bonis omnibus probauit. Talium ministrorum cum proculdubio nomina in libro vitæ scripta sint, non minus quàm Mosis & omnium S. Prophetarum & Apostolorum, quorum est inde vsq; ab initio mundi & Ecclesiæ omnium vnum et idem ministeriũ, nobis quoq; eorum memoria retinenda est & celebranda non solùm exempli causa, vt iuniores ad ministerij reuerentiam inuitentur, sed etiam propter mandatum DEI, ad quem vel honos ministerij, vel cõtemtus, qui à pijs longissimè abesse debet, immediatè pertinet, sicut inquit, Dominus. Qui vos audit, me audit. Qui vos spernit me spernit.

Euocatus est autem ille quidem ex hac vita ante annos 13. & præter memoriam fideliter præstiti officij sui in Ecclesia reliquit nihil ferè præter inopem Viduam cum orba filiola, quæ nunc etiam superstes est. Sed mater annis, inopia, & mœrore consumpta, quæ tamen superasse septuagesimum putatur, hac nocte ex hac ærumnosa vita placidè decessit. Cùm autem huius ipsius etiam pietas erga Deum, fides, & inuocatio Ecclesiæ nota sit, præcipimus Scholasticis, vt ad funeris deductionem sub horam XII conueniant in Vico qui à cupro nomen habet. Datæ 11. Ianuarij Anno 1564.

In

IN ETHICORVM REVERENDI VIRI CELEBRANDÆQVE memoriæ D. Philippi Melanthonis explicationem.

NOn casu volucres atomi sine mente ruentes
Concursu genuere suo pulcherrima mundi
Lumina, nec seriem, distinctaq; corpora rerum,
Astrorumq; ratas leges, cœliq; meatus,
Annorumq; vices, numerorũ atq; ordinis omnis
Noticias, hominũ fixæ quæ in mentibus hærent:
Cuncta sed hæc sapiens, verax, bona, libera, iuMens æterna, Deus, formatrix cõdidit arte (sta
Miranda, seruatq; manu formata potenti.
Præcipuè vt templum diuinæ & mentis imago
Esset homo, radios diuinæ in pectore lucis
Fecit habere suæ, & praui ac discrimina recti
Legis noticias, & Legi consona corda.
At simul insidias colubri, fraudemq; secuti
Crimine supremi violarunt iussa parentis
Traxerunt homines letale per ossa venenum
Quò iam dissidium est in mente & corde rebelli
Pro dolor, humanas faciens torpescere vires.
Mens tenebris oppressa iacet, corrupta voluntas
Vult aduersa Deo flammisq; vruntur et ardent
Corda vagis, sanctæ nimium contraria Legi:
Noticiæ mansere tamen, Legesq; seueræ

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-62-quod/start.htm?image=00000046

Scilicet vt morum ſint normæ & regula vitæ,
His externa Deus vult vt modo membra
regantur,
Ne pecudũ in morẽ ſine mente ſine ordine legũ
Vita ruat temerè, quo fert maleſana cupido.
Has quicunq; aliquo violarint crimine Leges
Ordine diuino pœnas patientur acerbas,
Iuſta Dei ſontes quia punit vindicis ira:
Contra qui rectæ rationis iuſſa ſequuntur,
Tranquillæ capient felicia commoda vitæ.
Præterea ſoli nemo ſibi naſcitur, omnes
Officijs, opera iunctos, ſtudijsq; ligatos
Eſſe Deus voluit. Repetunt ſua iura parentes
Et patria, & quidquid ſub nomine fertur amo-
Ergò iuuare decet cõmunis cõmoda vitæ (ris.
Pro ſe quenq; ſuis operis pro parte virili.
An verò poterit de relligione doceri
Improbus, an ſitiente fide ſibi munera Chriſti
Applicet, indulgens vicijs ſine fine ſceleſtis?
Quiq; cupidinibus laxat veſanus habenas?
Atq; ruit contra rectæ dictamina mentis?
Nunquid in hoc ſanctos Numẽ ſpirabile motus
Excitet? excutiat cũ verbũ et munera Chriſti?
Quare cùm dederit cœleſtia dogmata Verbi
Ipſe Deus, vitæ normam, lumenq; regendæ
Certius: Eſſe tamen reliquas quoq; conditor idẽ
Noticias voluit, quæ membra externa guber-
nent. Vt

Vt quanquã iratus gladiũ ſtringebat Achilles,
Cum ratione tamen dextramq; iramq; repreſſit.
Ex his noticijs, quas mens diuina creatrix
Mentibus inſeuit noſtris, hæc ipſa profecta
Ethica doctrina eſt, hoc conſignata libello:
Quem ſummo ingenio, ſummapietate Philippus
Præceptor ſtudij, vitæ morumq; fidelis
Ordine, materia, exemplis, atq; arte politum
Conſcripſit ſenior, cùm venerat vſus ab annis,
Hìc diſces pulchrũ cum laude, vel vtile quid
Quæ ſit honeſtatis ratio, quid turpe decusq;, (ſit,
Quæ bona ſint alijs, ſi fit contentio, longè
Anteferenda bonis, vitæ, morumq; bonorum
Quæ leges: quò te, patriamq;, domũq; gubernes,
Quid deceat dominos, ſeruos, iuuenesq;, ſeneſq;.
Quæ ſint virtutum diſcrimina quæue regantur
Quæq; regant, quæ ſint humano in corpore vires
Imperij expertes alieni: præmia virtus
Quæ ferat, et pœnæ mala quæ peccata ſequãtur,
Quæ ſit meta hominũ menti, quãq; expetit vnã,
Quò referat ſtudia, et ſenſũ, in quo fine quieſcat,
Quæ ſint iuſticiæ ſpecies, quæ pacta fideſq;,
Contractuſq;, quibus conſtant cõmercia vitæ.
Quotquot Ariſtoteles, aut Tullius ore diſerto
Quotquot Socratici res comprendere libelli.
En ſtudijs etiam iuris, quid conferat idem
Hic liber ipſe vides. Taceo, quod ſæpè requirãt

Fontes hos ſacri profitentes dogmata verbi.
Felix præceptis qui pectora talibus implet,
Nobiliore ſui fit parte excultus, & idem
Ornamenta parat, quæ contra tela, minasq́;
Fortunæ ſecura manent: ſin dogmata verbi
Diuini accedant, tunc verè vita beata eſt.
At tu Nate Dei λόγος, & ſapientia Patris,
Et Sol iuſticiæ, radios in pectora noſtra
Sparge, tuaq́; tibi nos verbi luce perenni
Aßimila, accendens meliora in cordibus imis
Virtutem & decus: æternũ quæ neſcia mortis
Flamine dona Dei viuunt agitante ſacrato.
His igitur ſcriptis iungamus dogmata Chriſti
Vt λόγος ipſe Dei noſtris in mentibus imis
Viuat, & æternam ſuccendat pectore lucem.

11. Ianuarij 1564.

M. Martinus Henricus.

IOHAN. MAIOR IOACH. D. SCHOLASTICIS Viteberg. S. T. D.

TErtius occiduas cùm Sol properabit ad vn-
Labentẽq́; diem tertia ſigna notant: (das
Ordiar Andini diuina volumina Vatis,
Ille quibus Troiæ concinit excidium.
Troia quidem ſtabat gemmis imperdita luſtris,
Victa tamen Danaũ poſtmodò fraudè cadit.
Excidij

Excidij cauſam Paridis malus ignis habebat,
Quo Priami exarſit regia tota ſenis.
Qui legis hæc, diſcas vitare libidinis æſtus,
Inceſtos pœnis adficit ipſe Deus.
Vatis adulterio Ieſſæi quanta cadebant
Agmina lethifera depopulata lue?
Nunc cinis eſt Sodomæ quondam pulcerima tel-
Tetraq́; ſulphureo ſtagnat odore palus. (lus,
Sed quare ſuperat diuino carmine Vates
Quos tulit hæc ætas, quoſq́; vetuſta, Maro?
Inter Apollineos quos flumine paſcit Olores
Mincius: edidicit carmina docta Maro.
Antè tamen iuſſæ quàm ſortis adibo labores,
De ſtudijs faciam verba ſoluta bonis.
Quare qui cupiunt aures præbere legenti:
Gymnaſij iuſto tempore tecta petant.

14. Ianuarij.

STVDIOSIS DOCTRINÆ SACRÆ.

GRAVISSIMVM eſt & plenum conſolatione Pauli ad Coloſſenſes præceptum: HABITET INTER, VOS SERMO DEI ABVNDE IN OMNI SAPIENTIA DOCENTES AC COMMONEFACIENTES VOS MVTVO. *Vult haud dubiè*

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-62-quod/start.htm?image=00000048

hiè Apostolus primùm totam Ecclesiam domicilium esse librorum, in quibus vocem suam DEVS patefecit. Hos vt depositum præclarum & sacrosanctum, in hoc domicilio suo custodiri vult ac propagari. Deinde & singulorum pectora vult eiusdem vocis domicilia esse, Vult ita familiariter ac sæpè colloqui singulos cum Christo, cum Patribus, Prophetis, & Apostolis omnibus, vt cum ijs nobis dulcis & assidua est familiaritas, qui domi nostræ viuunt nobiscum, quos amamus ac magnifacimus maximè, qui consiliorum curarum, & rerum nostrarum omnium sunt conscij. Tale pectus quod domicilium est vocis diuinæ non solùm populi DEI cuius est, & membrum viuum, sed reuera etiam templum est, & domicilium totius diuinitatis, in pectore tali habitantis, & lucem, sapientiam, lætitiam, & vitam æternam ei impertientis. Sicut inquit filius DEI: Qui diligit me sermonem meum seruabit, & pater meus diliget eum, & veniemus ad eum & mansionem apud eum faciemus. Quibus bonis quid cogitari aut expeti maius potest? Sed vt alia multa ingentia bona in hac caligine & miseria nostra, nec intelligimus nec magnifacimus, Ita proh dolor, &

& præceptum hoc & dulcis illa cum voce diuina & cum Deo ipso familiaritas à maxima multitudine horribiliter contemnitur. Et quidem ita latè nunc contemtus hic vagatur, vt hi etiam, qui destinati sunt ac consecrati his studijs, velut saturi fastidiant lectionem ac considerationem huius vocis paulò accuratiorem. Postquam semel atq; itreum legerunt seu audiuerunt obiter vnum vel alterum librorum diuinorum Caput, totam se sapientiam diuinam exhausisse existimant, ac relectionem aut meditationem aliquantisper lectioni immorantem, nec necessariam nec vtilem esse opinantur. Hæc fastidia valdè taxanda sunt. Nam crebra lectio & in meditatione assiduitas, imò mora etiam aliqua multa habet ingentia commoda, verè efficit hoc, quod Paulus iubet, Vt habitet tecum sermo diuinus, vt ad instar familiarium ac domesticorum tuorum totum doctrinæ corpus fiat notius & illustrius. Imò vt DEVS ipse in pectore tuo habitet, vt motus verbo suo congruentes filius DEI exuscitet, flectat ad pœnitentiã, incutiat terrores, exuscitet inuocationẽ, erigat ac confirmet animum doloribus perterrefactum ac languentem. Hæc cùm fiant lectione & cogitatione sermonis diuini, assiduitatem in legendo necessariam esse confitendum est.

est. Quodq; in priuata lectione necessarium est, id multò magis in enarrationibus faciendū est interpretibus. Nam vt discentibus sententia sermonis diuini natiua ac perspicua tradatur ac familiaris reddatur, cura & studio accurato, & profecto assiduitate aliqua immorante enarrationi opus est. In Genesi ergò quod immorati hactenus sumus, ac pernestigare res necessarias studuimus, spero boni consulturos candidè iudicantes. Nam his vt fidem & assiduitatem probaremus nostram quanto potuimus studio conati sumus, Sicubi tamen maiestati rerum nō satisfactum est, cogitent auditores dictum de his libris vetus: Vox diuina pelagus est, in quo Elephas natat, agnus peditat. Pergemus autem cras hora septima in descriptione operum sexti diei, inter quæ hominum quoq; creatio est, quæ sapientiam continet plane inenarrabilem, Sed ita necessariam nobis, qui non modò homines, sed et ciues Ecclesiæ sumus, aut haberi volumus, vt hæc vna fundamentum sit præcipuorum fidei nostræ articulorum, De quibus in enarratione fideliter, qui nos audient erudiemus. T T. 16. Ianua. Anno 1564.

Paulus Crellius Doctor
& Professor.

Ratio-

RATIONIS DICENDI STVDIOSIS,

TOTA ratio propriæ & perspicuæ orationis formandæ non solùm à studiosis literarum cognoscenda est, vt dexterius de Phrasi, de ordine partium doctrinæ, de eloquentia eruditorum possint iudicare, sed & hoc consilio, vt propagare doctrinam cœlestem, ac saniores disputationes politicas, aduersus petulantia ingenia defendere queant. Quare solidæ eruditionis studiosus non sit rudis Grammaticæ & Dialecticæ, nec exercitia eloquentiæ negligat, sed acurato studio & indefessa opera sibi comparet rationem aptè & planè explicandi per verba & sententias, ea quæ animo sunt concepta. Cum autem verba elocutionem gignant, sicut Cæsar ad Ciceronem dicitur scripsisse: Verborum delectum esse originem eloquentiæ, eò neruos ingenij intendant facultatis dicendi cupidi, vt copiam & apparatum verborum in promptu habeant, & ex ipsa copia deligant optima & maximè ad negocium pertinentia. Huius diligentiæ gubernatrix sit consuetudo, pendens ex consensu eruditorum, qui optimè loquuntur, vt est vnum illud & orbi terrarum diuinitus concessum & relictum seculum Ciceronis, quod Terentij, Ciceronis & Cæsaris

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-62-quod/start.htm?image=00000050

Cæsaris scripta complectitur. Ex his nobis consuetudo metienda est, ac vitandæ sunt in primis quæ cum ipsorum phrasi non congruunt, & tenenda est regula: Verbum inusitatum fugiendum esse in oratione, non aliter quàm scopulus in mari. Quare vt studiosi elocutionis optimam loquendi & dicendi formam eligant, proponant sibi imitandum Ciceronem, cuius sermo purissimus, & verè Romanus esse iudicatur. Hoc itaq; consilio constitui studiosis facultatis dicendi proponere elegantiæ verborum & sapientiæ rerum plenam orationem Ciceronis pro lege Manilia, in qua vsum Præceptorum Rhetorices declarabimus. Explicationem autem splendidissimæ orationis Deo auxiliante ordiar ad proximum diem Iouis. T T. 16. Ianuarij Anno 1564.

Albertus Lemeiger
Hamburgensis.

RECTOR ACADEMIÆ VVITEBERGENSIS, ERNESTus Ludouicus, Dei gratia Pomeraniæ Dux, &c.

ET hominum mores, qui indies vergunt in deterius, & ostenta cæli, ipsiq; inter se Planetarum

netarum congressus, neutiquam contemnendi, & commouentes sese vndiq; orbis terrarum tumultus, armorumq; strepitus ac terrores, de quibus præmonuit Filius DEI, magnas occidenti portendunt mutationes. Quas enim gentes ad bella exciuerint ignes cæleſtes, qui arserunt creberrimi, sed specie aliàs alia versus Boream, & ortum solstitialem, hisce annis aliquot, & quæ pericula denunciârint, & quòd contemni prodigia talia non debeant, cum oculis proponant, quod vox Legis diuinæ auribus inculcat, pœnæ inferunt corpori, vitæ, fortunis: Id ergò discimus quotidie ex irruptionibus Moscorum & vicinorum Regum ad Boream conflictibus. Speciem meminimus concursantium ab aduersis cæli plagis ignitarum hastarum, quas globus ardens cum impetu ab ortu æstiuo aduolutus obruebat & obterebat vniuersas. Ne ergò certamen dirimat potentior hostis nostro omnium summo cum discrimine, periculum est. Adduxit sua etiam ostenta huius anni initium. Crebra enim hisce diebus Parelia, Solis æmula, non vano prorsus aut fortuito naturæ ludibrio, vt somniant homines Epicurei, ebrij voluptatibus, & successibus securi, Item Irides, & Soli circumfusas areas, quæ rarius obseruantur, conspeximus. Hæ species fortasse Ecclesiæ & lucì

doctrinæ cœlestis afferunt noua pericula à præstigijs fanaticorum hominum, aut hostium Euangelij, quibus mendacia velut æmula veritatis specie illita sese venditabunt. Vrgebunt & Pontificij decreta facta in Synodo Tridentina, quam nuper die quarta Decembris Anni Sexagesimi Tertij, Cardinalis Lotharingus concluſit, promulgato Anathemate cum ſolenni acclamatione ſui gregis, in omnes, qui his decretis aduerſarentur. Fuit hic Cardinalis fax proximi belli Sacri in Gallia, & illarum molitionum Architectus, quæ etſi multo piorum ſanguine Romano Pontifici litarunt, ipſum tamen tandem è patria eiecerunt in exilium. Redit enim talium conſiliorum fructus ad autorem, iuxta verſum veterem, τεύχων ὥς ἑτέρῳ τι ἑῷ κακόν ἅπαντι τεύχει. Nunc fulmina anathemathum Lycaonio more vibrat & excutit in pias Eccleſias. Sed & has in ipſius retorquebit caput, & in totum vertet agmen Pontificium Filius DEI cuſtos ac protector Eccleſiæ ſuæ. Minus verò violentia Pontificiorum nocebit iuſtæ cauſæ, quàm fraus ſophiſmatum, quæ hinc inde à malicioſis ingenijs cuduntur inſidioſè in veritatis perniciem. Quare precemur aſſiduis gemitibus Filium DEI, vt cùm ipſe

ipſe ſit illa vera lux, quæ ſola tenebras falſarum opinionum de mentibus hominum depellit, vt ergò ipſe caliginem, quæ multiplicibus impoſturis offunditur luci veritatis, diſcutiat ac diſſipet, & inſidioſa ac violenta conſilia hoſtium Eccleſiæ elidat, ne efficiantur maiores vaſtationes. Complectamur verò & alias res neceſſarias, pacem, ſalubritatem aëris, & ſimiles, præſertim cum & tempeſtatum mutationes periculoſæ acciderint, & huic vrbi fatalis ſit inceſſus Saturni per aſteriſmum Leonis.

Chriſte λόγε viuens certa effigies q; parentis,
Verus & è pura virgine natus homo.
Qui patris ad dextrã regnans, tua munera gratis
Spargis in humanum voce ſonante genus.
Te noſtri miſerere rogo, defende periclis
Agmina doctrinæ verba profeſſa tuæ.
Sic Euangelij fructus vocem q; guberna,
In noſtro inter nos ne grege deficiant.
Ipſe tuo mentes accendas lumine noſtras,
Et flatu ſacro corda nouata regas.
Corporibus vitam, victum q; & commoda cœli
Tempora, pacato confer in orbe precor.
Vt veri ſtudium pacis moderetur amorem,
Tu piâ præcipuè dirige conſilia.

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-62-quod/start.htm?image=00000052

Semper honos nomenq; tuũ celebretur, & omni
Nostra vt posteritas te pietate colat
Hæc tibi deferimus, tu defer vota parenti
Per te præcepit qui bona cuncta peti.

Cùm autem nunc tempus instet, quo eleemosynæ publicè colligi solent, de quibus & Nosocomium Academiæ instruitur atq; conseruatur, & subuenitur miserorum atq; egentium inopiæ quocunq; tempore, Commonefaciendos esse Scholasticos duximus, vt in hoc beneficentiæ genere præcipua quadam religione erga Deum gratitudinem declarent, erga proximum dilectionis Christianæ officia exerceant, cum hac collatione multis consulatur, quos iuuari præcipit vox cœlestis. Neq; vllum erga proximum officij genus encomijs & promissionibus illustrioribus et amplioribus ornatur hac beneficentia. In dicto Esaiæ: Frange esurienti panem tuum, & gloria Domini colliget te, excellens promissio est, qua cogitari maior nulla potest. Certissimum est Deum beneficia pauperibus præstita remunerari æternis et præsentibus præmijs, in pijs timentibus Deum, & liberalitatem fiducia Christi Mediatoris exercentibus, ὅικτω γὰρ ὄικτος καὶ θεὸς σαθμίζεται. *Benè & fœliciter valete. Datæ 14. Calend: Feb: Anno 1564.*

Rector

RECTOR ACADEMIÆ VVITEBERGENSIS ERNESTVS Ludouicus Dei gratia Dux Pomeraniæ &c.

VERISSIME *dici: Nullam calamitatem solam esse, singuli experimur & in nostris fortunis atq; corporibus, & in totis familijs nostris. Sed non est humanarum calamitatum maxima mori, etsi triste est orbari parentibus, liberis, fratribus, amicis, in quibus positum est si quid est præsidij à rebus humanis: Præsertim si qui moriuntur, ita discedunt ex hac vita, vt certum sit recipi eos in Ecclesiam cœlestem, in qua filius* DEI *præsens non verbo tantùm, vt in hac vita erudit, & illustrat mentes, sed totas luce æterna complet, habitans in cordibus sanctorum. Multò tristior est & acerbior conspectus furorum Diabolicorum & immanium scelerum, quæ fiunt Diabolo incitante, qui interdum longam texit telam humanis consilijs & viribus inextricabilem, quam sequuntur tandem pœnæ Tragicæ, quæ in totas grassantur familias multis seculis, sæpèq; totas absumunt atq; extirpant. Quare quibus tale nihil euenit, etiamsi cogantur spectare ac deducere funera suorum piè ac placidè extinctorum, cum il-*

 lustri

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-62-quod/start.htm?image=00000053

lustri fama virtutis, pietatis, ac meritorum, agant DEO *gratias & similem exitum assiduis votis precentur.*

Hæc cogitatio leniat mœsticiam honestissimæ familiæ CRAPPIORVM, *quæ nuper extulit senem parentem consulem, de hac vrbe præclare meritum, & non multò ante matrem, qui ita ex hac vita emigrarunt, vt desiderium sui ingens apud bonos omnes honestatis, integritatis, beneficentiæ & pietatis exemplum priuatim & publicè reliquerint posteris illustre. Eadem familia hodie fratrem* IOHANNEM *sepeliet longa Phtisi consumptum. Huic funus fiet hora* QVARTA. *Vt ergo ad priora officia, quæ parentibus præstita sunt, hoc etiam addant scholastici, vt filij funus ad sepulchrum deducant, cum id & debeatur & præstetur parentibus præcipuè quanquam mortuis, præcipimus. Datæ 12. Calend. Feb: Anno 1564.*

RECTOR ACADEMIÆ VITEBERGENSIS, ERNEstus Ludouicus, Dei gratia, Pomeraniæ Dux &c.

DE IACOBO *Isacide illo ex præcipuis & sanctis Patribus gentis Hebreææ, in historia*

historia sacra legitur, quòd cum filium Iosephum mortuum crederet de indicio vestis cruentæ, tum igitur quòd tantum dolorem cæperit, vt laceraret vestes suas, & lacrimas profunderet, & nullas consolationes suorum admitteret, & profiteretur se cum luctu ad filium suum in sepulchrum descensurum, quo significatur ægritudinem ei esse allatam mortiferam. Fuerunt ex priscis scripturæ explicatoribus, qui ita perculsum morte opinata filij Iacobum tradiderunt, vt propter illam ægritudinem virtus Prophetica in eo deficeret, vel potius interquiesceret, eamq; tum rursus excitatam in ipso fuisse, quando nunciatum fuit à filijs Iosephum viuere. Scribitur autem de tempore accepti nuncij huius quòd & gaudio ingente affectus fuerit, & quieuerit super eo sanctus Spiritus, cuius afflatus documenta dedit anno decimo septimo pòst, extremo tempore vitæ suæ, quo enarrat fata filiorum suorum & posteritatis omnis, quæ sunt duodecim tribus populi Israelitici. Hic igitur senex sanctissimus, quem et colloquio suo DEVS *dignatus, & cuius pietatis tanta virtus fuit, vt Israelis ei cognomentum apud* DEVM *pareret, cum angelus in eum immitteretur, cum quo luctans vinceret, atq; ita aduersus pericula, quæ metuebat, confirmaretur. Hic, inquam,*

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-62-quod/start.htm?image=00000054

sanctus vir, fundator populi eius, quem DEVS *in terris primum & cariſsimum atq; maximum habuit, & ex quo Homo naſci, & ſalutem omnemq; ſapientiam venire omnibus gentibus voluit, tantò maiorem dolorem accepit atq; ſenſit in morte filij, quo vir fuit pietate & virtute præſtantior, Nam in barbaris & impijs Patribus hic affectus peccato obruitur, in pijs verò per hunc repreſentatur ſpecies aliqua imaginis diuinæ, ad quam ſumus conditi, etſi moderari eum oportet, nam et hîc & aliâs, ſicut ἔλλειψις, ita ὑπερβολὴ etiam vitioſa eſt, intra quæ virtus medium eſt. Sed auxit in Iacobo dolorem, quòd in ſenecta ſuſcepiſſet eum filium circiter annum ætatis ſuæ 91. imprimis tamen quòd indoles eſſet adoleſcentis mirifica, & ſapientia in eo, vt Chaldæi interpretantur, ſenilis, cum quo tempore amiſſus fuit Ioſeph, annum vitæ egerit decimum octauum. Huius hiſtoriæ commonefacit nos dolor & ægritudo Reuerendi ſacræ Theologiæ Doctoris & Profeſſoris in Academia publici, & Eccleſiæ huius Paſtoris,* D. PAVLI EBERI, *viri clariſsimi, & ſingulariter dilecti noſtri, cui heri hora 4. veſpertina filiolus mortuus eſt* TIMOTHEVS, *& hic quidem alter fermè biennij ſpacio, Nam 14. Cal. Sextilis anni 61. vt cognouimus,*

amiſit Melchiorem, puerum, vt ſignificatur nobis, optimũ, & qui feliciſsimè omnium diſceret, agentem ætatis annum decimũ. Sed hic Timotheus quadrimulus fuit, et puer, vt plærique nouimus, belliſsimus, & ingenio minimè vulgari, atq; ætatis maturitatem anteuertente, vt de dolore Patris facile ſit æſtimare omnibus, qui nouerunt Puerum. Spem patris nomen pueri arguit, neq; ab indole, quæ in eo iam tum ſe oſtendebat, quicquam mediocre expectari potuit. Etſi quo ſit euaſura hominis ætas, vita & conditio, humano iudicio obſcurum eſt, Itaq; pueris benè precari ſolet & debet pietas, atq; his, vt locuti fuère, benedicere, precibusq; ſuis DEO *hos commendare, & extitit in gente Hebræa formula huius benedictionis ab illo ipſo Iacobo Iſacide, qua benedixit filijs Ioſephi: In te benedicetur* ISRAEL, *atq; dicetur, faciat tibi* DEVS, *ſicut Ephraim, & ſicut Manaſſe, vt legitur Geneſis 48. quæ formula deinceps in populo conſeruata atq; vſurpata fuit, & ſunt de hoc more gentis ad Chriſtum adducti pueri in hiſtoria Euangelica, quibus ſecundum hanc, vt videtur, benediceret. Quod accidit igitur paruulis noſtris, poſt commendationem precum noſtrarum, id eis iudicabimus optimum, cum ſiat de ſapiente iudicio* DEI, σοφῶς καὶ

καθέως τὰ περὶ ἑκάστου ἡμῶν προβλεπομένου. *Id quod consolationem præstat in talibus euentis non minimam, absq; hoc enim quæ in mentem veniunt, non possunt non vehementer animos conturbare, præsertim cum iusticiam* DEI *magis intelligat humana sapientia, quàm misericordiam, Illa enim sapientiæ legis est, hæc Euangelij. Huic accedit altera consolatio efficax & ipsa, quòd paulò pòst iterum videbimus nostros, & cum his coniungemur in consuetudine cœlesti & æterna.. Vidit autem octonorum liberorum funera* D. EBERVS *noster, & filios sepelire orbitas est.* σὺλοι γὰρ οἴκων παῖδες εἰσὶν ἄρσενες. *In huius autem* TIMOTHEI *exitu memorabile est ad celebrationẽ misericordiæ* DEI, *quòd statim post peractas pro hoc preces in templo publicas, & priuatas circumstantium ad lectulum ægroti, quibus petebatur, vt cruciatus mortiferi, & agon extremus puero mitigarentur, atq; præciderentur, Tum igitur statim quòd puer expirauerit, & verè expirauerit, nam huius significationis verbo Hebræa lingua de leni morte vtitur, cum paulò antè secutus fuisset patrem præeuntem formulam precum & benedictionis diuinam, quæ est Numeri 6.* BENEDICAT TIBI DOMINVS &c. *Et recitasset verba Christi:* SINITE PARVVLOS AD ME VENIRE &c. *Post has igitur preces & sermones suos puer hinc migrauit ex morbo vnius integri mensis, difficili & graui, quem ille tamen patientia tulisse dicitur in hac ætate incredibili. Nunc viuit spiritus eius in quiete fidei eorum, qui in Domino moriuntur, quem in innocentia ætatis suæ coluit & inuocauit. Hunc dilectum suum efferet hodie pater* HORA QVARTA. *Volumus igitur vniuersos qui sunt subiecti iurisdictioni scholasticæ, ad deductionem funeris, ita vt decet atque par est, officiosè conuenire indicato tempore, obtemperantes edicto nostro, & sua sponte considerantes, quid debeant ei, cuius curatio præcipua est inter eos, qui sint* φρουτίζοντες τοῦ λάου τοῦ κυρίου ἀπὸ πίστεως. *Itaque nos etiam nostro loco declarabimus, affici nos dolore viri præstantissimi.* P P. *pridie Calend: Februarij, Anno 1564.*

Elegia

ELEGIA IN OBITVM IMMATVRVM SVMMÆ SPEI pueri, Timothei, Reuerendi, & Clariſſimi viri, Domini Pauli Eberi, S. Theologiæ Doctoris, & Paſtoris Eccleſiæ VVitebergenſis, cariſſimi filioli, qui 3. Calend. Februarij, Anno Domini 1564. iam quadrimulus, expirauit, ſcripta à

IOHANNE BAPTISTA Lechelio Onoltzbacenſi.

QVas lacrymas, quæ verba tibi dulciſſime fundam
Timothee, exuuijs quæ dabo iuſta tuis?
Magna equidē præſtare tibi, puer optime, vellē,
Magna negant vires, magna dolorq; negat.
Morte tua afficior, luctu afficiorq; parentum,
Me mouet & reliquæ iuſta querela domus,
Quam tu præ cunctis veluti pulcherrima gemma,
Ornabas cultu, dulcis alumne, tuo.
Siue quis ingenium, teneris præſtantius annis,
Spectaret, ſpondens omnia ſumma tibi:
Siue quis admirans audiret, quàm tua lingua
E roſeo dulces funderet ore ſonos,
Quando Deum tenera poteras iam voce vocare,
Re præſtans, tibi quod nominis omen erat,
Dictaq;

Dictaq; cum nobis interdum talia ferres,
Vidimus ætatem quæ ſuperare tuam.
Sic memini, nuper cum lux feſtiua rediret,
Qua pueris Chriſtus dona parare ſolet,
Ac reliquas inter, quas fert occaſio voces
Eſſet & Angelici mentio facta gregis:
Aligeris tunc tu de mentibus illa rogabas,
Ad quæ permultos obſtupuiſſe ſcio.
Tam tibi naturas harum, officiumq; ſciendi,
Et quibus hoc præſtent, anxius ardor erat.
Omen ineſt facto, tibi mens præſagijt, inter
Venturum Angelicos te citò ad aſtra duces.
Vade igitur dilecte puer, nunc addite Cœli
Alitibus, Chriſto ſub Duce viue puer.
Nos lacrymas inter, quas nō cohibere valemus,
Gratamur Cœli te ditione frui,
Atq; frui Chriſti lætis amplexibus, ad ſe
Qui pueros blanda voce venire iubet,
Talibus æternæ promittens gaudia vitæ,
Gaudia non vllis interitura malis.
His etiam finita tibi, puer optime, verbis
Vita fuit, fuit hæc & benè clauſa tibi.
Viue Deo dilecte puer, tibi Cinnama ſurgant,
Creſcat & in tumulo ſpica Ciliſſa tuo.

De

DE RHASIS DOCTRINA.

MERITO agnoscimus & grata mente celebramus singularem DEI opt: max: bonitatem, quod inter alia innumera dona, quibus ornat genus humanum, etiam dat nobis miseris hominibus, tot & tantis, tamq; tristibus & inauditis morbis, obnoxijs, artem Medicam, qua vtcunq; miserias nostras leuamus, & morbis tristibus, corrumpentibus & consumentibus corpora nostra occurrimus, eorumq; sæuitiam aut prorsus auertimus, aut certè corrigimus & mitigamus: Quanquam vult DEVS, iræ suæ signa & pœnas peccatorum in genere humano, & esse & conspici, ita vt sæpè Medicorum optima consilia morborum sæuitijs cedere cogantur. Etsi autem morbi infestantes corpora nostra, infiniti ferè sunt, & nullo numero comprehensi, & experientia testatur, nouos quotidiè ferè & priscis incognitos, exoriri: Tamen conati sunt Medici eos & certo numero comprehendere, & eorum naturas, signa, causas, & curationes tradere. Quod cùm inter alios fœliciſsimè præstiterit Rhasis Arabs, in libro nono, ad regem Almansorem, ideo in scholis Medicorũ is liber semper est retentus et studiosis artis Medicæ prælectus, & explicatus. Quare cùm et nostri officij ratio eius explicationem

nem nunc à nobis requirat, & libellus venalis non habeatur sitq; dictio eius per se barbara & obscura, constituì ordine Rhasis seruato, doctrinam integrã morborũ omnium partium corporis humani sine textu aliquo explicare. Vbi & Græcorũ et Arabũ doctrinam coniungemus, & morbos omnes omnium partium corporis, quantum id quidem potest fieri, à capite vsq; ad calcem ita persequemur, vt tractatio integra & iusta de morbis particularibus possit dici et appellari. Ex qua doctrina quantum vtilitatis ad artis Medicæ & Philosophiæ studiosos sit peruenturum, non est huius loci explicare, & auditores ipsi, qui hoc expetiuerunt, iam intelligunt, & magis intelligent, postquàm aliquantulum in ipso opere erimus progressi. Promitto autem auditoribus meis nihil aliud, quàm summam fidem & diligentiam in hoc opere. Id quod re ipsa potius, quàm verbis demonstrabimus. Deum Patrem Domini nostri Iesu Christi oro, vt nobis adsit, et studia honesta et necessaria generi humano semper in hac schola conseruet, Amen. Incipiam autẽ (iuuante Deo) ad proximum diem Iouis in auditorio Medicorum, hora II. pomeridiana. Dat: 30. Ianu. 1564.

Ioannes Herman artis
Medicæ Doctor.

Rector

RECTOR ACADEMIÆ VVITEBERGENSIS, ERNESTUS Ludouicus, Dei gratia Pomeraniæ Dux, &c.

INGENS Dei beneficium est, quòd certò scimus, nos non casu nasci aut interire, nec tantùm nasci ad ærumnas huius vitæ, morbos, mortem: sed verè & ardenter diligi à Deo genus humanum, & restare aliam vitã, in qua, qui in Domino moriuntur, pleni luce et lætitia æterna fruentur conspectu & consuetudine Dei. Hæc sapientia est Ecclesiæ propria, patefacta per filium Dei Dominum nostrum Iesum Christum, qui horum beneficiorum omnium autor est generi humano, per quem conditum & restitutum est genus humanum, quod in æternum perierat, amissa luce, iusticia & vita æterna. Sapientes Ethnici omni tempore deplorârunt ingentem imbecillitatem hominum, & molem atq; magnitudinem miseriarum, quibus tàm præstans natura, cùm ornamentis ex diuinitate profectis alias omnes antecellat, durius tamen exercetur cæteris. Hinc sunt illæ voces, σκιὰς ὄναρ ἄνθρωποι. πᾶς ἔσιν ἄνθρωπος συμφωρή. Ἄμεινον ἄνδρώπω τεθνάναι μᾶλλον ἢ ζώειν.

Et Herodotus refert, Trausos gentem Thracibus permixtam & Getis, solitos esse recens editos lacrymis excipere, sepeliendos gaudio prosequi ad sepulturam. Sed hæc hominum sunt, qui ignorant & Deum, & causas propter quas inciderimus in has calamitates, & remedia quæ proponit & præstat Filius DEI. Ab his procul nos seiungamus, & quantum præstet doctrina Ecclesiæ Philosophorum commentis cogitemus. Etsi enim & hi de vtroq; de causis scilicet & remedijs calamitatum humanarum disputant multa: Tamen illa qualia sint, quàm non modò non vel explicent causas, vel tollant aut mala ipsa aut horum fontem, sed ne quidem vllam afferant efficacem consolationem animis dolore oppressis, testantur sapientissimorum exempla, quantumuis Plato glorietur, Philosophiam esse meditationem mortis. In nostris ergò doloribus petamus consolationem ex fontibus Israel, & confugiamus ad mediatorem filium Dei, à quo nos protegi, seruari, gubernari certò scimus. Hic cùm de paruulis pronunciet, Non est voluntas Patris, vt pereat vnus de paruulis istis: Item, Talium est Regnum cœlorum, certò statuamus Deo curæ esse non minus infantulos quàm adultos, & euocatos illos ex hac vita Dei voluntate certò hæredes

redes esse æternæ salutis. Hæc consolatio mæstitiam leniat viro optimo & doctissimo Magistro EVSEBIO MENIO professori huius Academiæ, qui hodie hora duodecima sepeliet filiolum vnicum THILIPPVM, extinctum repressa eruptione exanthematum, vel ob naturæ succumbentis imbecillitatem, vel ob materiæ malignitatem, quem ante dies duodecim vsitatis Baptismi ritibus Ecclesiæ initiatum DEO obtulimus ac dedicauimus, vt fieret capax omnium beneficiorum filij DEI, & templum Spiritus sancti. Non ergò dubitemus, receptum esse in numerum eorum, ad quos pertinet promissio: Talium est regnum cœlorum.

Patris luctu eò magis afficimur, quòd & clementissimè illum complectimur & diligimus vnicè propter doctrinam, integritatem, fidem & virtutem, quæ explorata nobis & perspecta fuerunt ante multos annos, cùm in nostra Academia Gryphisuualdiæ publicè docuit, & quo animo orbitatem ac desiderium vnici filioli ferat, facile æstimamus. Sed feret hunc casum ea animi moderatione, quæ est hominis Christiani, & intelligentis consolationes quas tradit vox cœlestis. Fuisse etiam aliquam causam βραχυβιότητος in genethliaco themate audimus, cùm inciderit partus in Lunæ, oppressæ Diame-

Diametro Saturni, σωσφὸν ad Solem. Esse autem nascentibus infestam Synodum Solis & Lunæ, Itẽ Lunæ & Saturni διάμετρον & τετράγωνον etiam, artificum obseruata docent, quæ Epicureo more ridere, aut zelo intempestiuo reijcere prorsus atq; condemnare parum religiosum est. Nam ne hoc quidem casu aut fortuitò accidere putemus, quod tali siderum positu hic, alius alio in lucem edatur, cùm Deus sit naturæ conditor & liberrimus administrator, qui multa per secundas causas, nulla absq; his agit ac perficit. Et magnam vim esse Luminis cœlestis, atq; efficaciam in nostris corporibus, experimentis quotidianis discimus. Hortamur autem Scholasticos, vt hora duodecima ad deductionem funeris ante ædes M. Menij conueniant. P P. Non: Calend. Februarij Anno 1564.

EPITAPHIA ANNÆ, FILIOLÆ, ET THILIPPI, FILIOLI

clarissimi viri, Eusebij Menij, ex Anna coniuge sua, Filia clarissimi viri Georgij Sabini D.

PArua, sed è magna descendens stirpe parentum
Anna sub hoc iaceo contumulata solo:

Cui maternus auus, Vatum flos ipse Sabinus,
Maternusq; atauus docte Melanthon eras.
Euſebiusq; mihi genitor, propè flumen Hiera
Quem genuit ſacra Menius arte potens.
Egregiam de me ſpem concepêre parentes,
Indolis egregiæ tàm bona ſigna dabam.
Cùm nondũ poteram factis, tunc nomine, et ipſa
Iniole ego retuli matrem, auiamq; meam.
Sed quod ego haud vnquã meritis explere valerem
Seu paruo, aut longo tempore vita foret:
Nempè mea expleuit Chriſtus vice, debita Pa-
Soluens perfectis integer officijs. (tri
Iuſtitiaq; ſua decorans, labemq; recondens
Dat mihi primitias Flaminis eſſe ſui.
Tandem orbis tenebris rapiens, in luce locauit,
Conſpectuq; Dei dat ſine fine frui. (rant,
Ergò alij precio, aut meritis decora alta requi-
Tu gratis meritò hæc das mihi Chriſte tuo.
Cur mortẽ inuidiæ inſimulem, maiora rependit
Quàm mihi ſi orbis opes longaq; vita forent.

EPITAPHIVM PHILIPPI MENII, FILIOLI eiuſdem.

INfantem quòd te rapuit mors atra Philippe,
Nec voluit terris te ſupereſſe diu:
Menius

Menius ipſe parens, & mater nata Sabino
Non æquis animis tàm cita fata ferant:
Ni ſcirent pueris deberi ſydera, & eſſe
His tantò melius, quò citius veniant.

Requieſcunt Vitebergæ, in ſpe gloriosæ Reſurrectionis.

Iohannes Maior
Ioach. D.

RECTOR ACADEMIÆ VVITEBERGENSIS ERNESTVS

Ludouicus Dei gratia Dux Pomeraniæ &c.

DVÆ illuſtres notæ veram Dei Eccleſiam omnibus temporibus diſcreuerunt ab alijs gentibus, doctrina, & doctrinæ congruatq; conformes ritus & mores. Sola enim Eccleſia intellexit, & complexa eſt promiſſionem Euangelij de Mediatore, & eius beneficijs, in qua & Dei voluntas atq; affectio erga genus humanum exprimitur, & illuſtratur doctrina de eſſentia, quæ rationi prorſus eſt ignota: Sola legem conſeruauit integram atq; incorruptam, in qua DEVS & ſe qualis ſit, & quale genus humanum voluerit eſſe ante lapſum, quale

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-62-quod/start.htm?image=00000061

quale nunc esse velit, postquam redemptum est, atq; restitutum, per Filium declarauit: Ethnicis prorsus ignotam fuisse promissionem, de remissione peccatorum, ac reconciliatione, ignotum fuisse mediatorem, & vniuersam illam sapientiam Ecclesiæ propriam, de causis imbecillitatis & calamitatum generis humani, & tristissimi dissidij mentis & cordis in natura hominis, manifestum est. Iidem etsi aliquam legis particulam retinuerunt: tamen horribiliter discesserunt à primo præcepto conficta multitudine Deorum, & inuocatione hominum mortuorum: A quinto, mactatione humanarũ victimarum: A sexto, teterrima & fœdissimæ confusione libidinum, et obscœnitatib. infinitis, quas ita approbauerunt, vt religionibus etiam miscuerint. Idem prorsus accidisse in ea multitudine quæ nomen Ecclesiæ habuit, cuius se hierarcham & principem professus est Pontifex Romanus, ante oculos est. Doctrinæ depravationes ita detectæ et refutatæ sunt, vt neminem fallere possint amplius, nisi aut odio diabolico, aut cæca pertinacia vocem doctrinæ publicè sonantis auersantem. Ritus ex Idolatria, abusibus, spurcicie & obscœnitate facile cognoscuntur, horũ aliqui ex Iudaicis ritibus κακοζηλίᾳ quadam politiæ & hierarchiæ Iudaicæ instituti sunt,

ti sunt, multi recepti sunt ex consuetudinibus Ethnicis Romanorum κακοζηλίᾳ politiæ Romanæ, cui fabricârunt hierarchiam similem, vt sunt inuocationes Ethnicæ mortuorum hominum, templa mortuis dedicata, supplicationes, concursus furiosi ad templa & statuas, obscœna festa & similia. Nonnulli velut vmbra sunt rituum primæ ac purioris Ecclesiæ, quæ retenta est, ritibus ipsis vel amissis, vel abusu deprauatis. Neq; occulta sunt libidinum flagitia, quæ Idolatrias consectari, iusto DEI iudicio, solent omni tempore, velut vmbra corpus. Hæc cùm Pontificij & sophistica, & parricidijs defendere ac stabilire pergant, certum est, quod non sint Ecclesia. Ab his cùm discesserimus luce repurgatæ doctrinæ immensa DEI bonitate reuocati ad societatem veræ Ecclesiæ, agnoscamus grati hoc beneficium, quòd scimus nos esse Ecclesiã Dei, Idq; conseruare studeamus, quod fiet, si tueri puritatem, et consensum in doctrina, si mores ad præscriptum doctrinæ componere atq; conformare, si feces reliquas ex Pontificijs, & Ethnicis moribus impijs, profanis, obscœnis extirpare studuerimus. Idq; eò maiore cura nos præstare decet, vt palàm fiat, nihil nobis in vlla parte religionis nostræ cõmune esse cum illo grege, qui hostiliter euidenti veritati aduersatur.

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-62-quod/start.htm?image=00000062

Inter eos mores, quos reliquit nobis religio Pontificum Romanorum, est etiam plena turpitudinis & obscœnitatis consuetudo discursandi & debachandi furiosorum hominum ritu hisce diebus, quos Ethnico nomine BACCHANALIA & DIONYSIA *vocamus. Hanc Pontificij ex Ethnicis ritibus Romanis in suos transtulerunt. Romani à Græcis originẽ duxerunt. Athenienses enim primos Nouembri mense Bacchanalia & ludos Gymnicos ac liberales celebrasse tradunt, tanta licentia, vt Nympharum & Heroum habitu Bacchantes prodirent in forum, & ad tibiæ sonitum modis compositis cum lasciua gesticulatione psallerent. Hæc sacra cùm per anum deliram & temulentam indicerentur, eò processerunt insolentiæ, vt in his promiscuè viri, mulieresq; ornati hædera, crine fluxo discursarent cum Thyrsis velut mente capti afflatiue furore, & obuios quosq; ferirent. Erant Ministri sacrorum Sileni, Satyri, Bacchæ, Lenæ, Mimallones, Naiades, Nymphæ: Conuiuia habebantur frequentia accinentibus tibijs. Et quoniam ad expiationem perpetratorum scelerum, & animæ expurgationem conducere ea sacra persuasum erat, Vannus etiam quo triticum cribratur, & quum Sphærali figura adhibebantur.*

Tandem

Tandem ritu in apertam & furiosam tupitudinem erumpente, cùm lasciuiæ, luxuriæq; deformitas Solis aspectum ferre amplius non posset, in noctem translata sacra & Nyctileïa sunt appellata. Romæ quando & quibus occasionibus cœperint, Liuius commemorat. Sed non diu natam ex illis sacris fœditatem vagæ & promiscuæ libidinis, ac flagitiorum magnitudinem tulit Romana grauitas, Senatu prohibente ne BACCHANALIA *amplius Romæ, vel per Italiam reliquam celebrarentur.* LVPERCALIA *tamen vrbs Roma retinuit post Bacchanalia abolita, quibus capra candida mense Februario ad decimũ quintum Calendas Martias litatum est Iunoni februatæ, expiationis causa, vt populus purgaretur, & inferorum manes placarentur. Nam ad inferos partim, partim ad steriles pertinere existimabantur, quæ se grauidas fore credebant, si loris è caprina pelle excisis cæderentur ab Adolescentibus, qui discurrebant aliâs personati, aliâs nudi, sed sanguine cæsæ victimæ aspersi. Ex his non dubium est* BACCHANALIA *Pontificia orta esse, quæ cum his, tempore, & turpitudine morum ac gestuum congruunt, quamcunq; vel causam habuerint vel occasionem. Etsi consentaneum est causam fuisse aliquam, vt licentia antece-*

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-62-quod/start.htm?image=00000063

deret ſeueritatẽ, quam adferebat ναεία πεσεgαπος ἡ, quæ eluere ac delere nœuos omnes impia & falſa perſuaſione putabatur. Ita error errorem gignit, & ex vno peccato naſcuntur infinita. Nos qui reducti ſumus ad veram Eccleſiã, & luce doctrinæ cœleſtis donati, deteſtemur hæc toto pectore, cùm propter ipſam flagitioſæ conſuetudinis fœditatem, tùm propter occaſiones multorum peccatorum, quæ inde exiſtere ſolent. Vt verò & nos loco noſtro teſtemur, nobis omnem quæ à Chriſtianis moribus aliena eſt conſuetudinem, vehementer diſplicere, ſeriò præcipimus Scholaſticis noſtris, ne perſonati noctu vel interdiu his diebus vagentur in Plateis, nèue in alienas ædes velatis quocunq; habitu faciebus ingrediantur, vel ludorum, vel ſaltationum cauſa. Si qui ſecùs fecerint, in eos iuſta ſeueritate animaduertetur. Dominica Sexageſima. Anno 1564.

IN VRBEM ROMAM.

HI Colles vbi nunc vides ruinas,
Et tantum veteris Cadauer vrbis
Quondam cæca Lupis fuêre luſtra.
Donec per freta vectus exul Arcas
Pani (pelleret vt Lupos) Lycæo

Luppere-

Luppercalia feſta dedicauit.
Nudos currere iuſſit & Lupercos.
Sacrum & collibus addidit Lupercal.
Sed vis inſita, contumaxq; flecti,
Peruicit genij laborem & artem,
Et per ſecula longa ne perirent
Iſtis ſemina collibus Lupina,
Triſtes progenuit ſolum Lupinos.
Lætum progenuit Lupos ſalictum.
Et coniunx Lupa Fauſtulo tyranni
Albani pecoris fuit Magiſtro:
Et qui mœnia prima condiderunt
Nutriuit Lupa Romulum Remumq;.
Et floralia feſta ſunt Luparum.
Et quondam in media fuit ſuburra
Vico vrbis celeberrimo Lupanar.
Et quos Fabricios graues putabis,
Obſerua, inuenies Lupos rapaces:
Et quas Lucretias reare caſtas
Obſerua inuenies Lupas ſalaces.
Et ne poſſe lupis Deos carere
Credamus, Lupus eſt ſacer Gradiuo.
Squammatosq; lupos mare atq; Tibris
Sub cryptam mediæ vomit ſuburræ.
Nec putris ſoboles aranearum
Defit, nobile nomen & Luporum eſt.
Totam deniq; quantacunq; Roma eſt,

Naſcen-

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-62-quod/start.htm?image=00000064

Nascentem, vegetam, excute & ruentem.
Tum nil comperies nisi Lupercos,
Luppercele, Lupos, Lupas, Lupanar.

OPT: ARTIVM STV-
DIOSIS S. P. D.

CVM occupationes, quas publici muneris ratio mihi imponit, tum aliæ quoq; domesticæ difficultates obstitere, quo minus, qua solitus fui antehac, quaq; maximè volui, assiduitate operas vrgerem. Nunc, leuatus nonnihil, DEO iuuante, ad prælectiones reuertar, in quibus quod neglectum est hactenus, fideli studio diligentiaq; compensabo, & operam dabo, vt auditoribus meis, quorum erga me perspexi humanitatem & candorem, meam vicissim honestam voluntatem, beneq; mercndi de ipsorum studijs conatum probem: In quo instituto atq; proposito, vt nobis adsit dux & gubernator clementissimus DEVS, propter filium λόγον, toto ipsum pectore oro. Cùm autem nuper initia doctrinæ primi Mobilis, quæ in Sphærico libello continentur, vtcunq; tradiderim: Visum est præceptoribus ei parti Astronomicæ doctrinæ alteram nunc adiungere, quæ de secundo cœli motu, hoc est, stellarum omnium tàm inerrantium quàm errantium proprijs ab occasu in ortum cursibus & passionibus pertractat: vt hoc pacto, breui temporis interuallo vtriusq; partis Astronomiæ ἐπιτομὴν quandam cognoscerent, ij qui harum artium amore ac desiderio tenentur. Itaq; libellum Theoricarum, G. Purbachij auspicabor proxima die lunæ, hora matutina VI. Debet verò & hanc ob causam grata esse auditoribus hæc lectio, quod cum à V. Cl. D. Seb. Theodoro, Mathematum professore ordinario, nunc calculus motuum tradatur, hinc fundamenta, causas & seriem computationis intelligent. Ne verò & aliæ discendi occasiones adolescentibus deessent, significo me priuatim explicaturum eam Physices partem, quæ de hominis organis & potentijs atq; actionibus in communi doctrina de Anima traditur: Et adiuncturum esse Isocratis grauissimi Scriptoris interpretationem, vt Græcæ linguæ cupidi exercere se in cognitione illius possint: Styli deniq; informationi diem ♃ tributurum. Hæc opera mea, si qui iuuari se posse existimant, ij sciant, paratam sibi illam promptamq; fore, si modò intra hoc octiduum me prius conuenerint. Benè valete. P P. VIII. Idus Martij. Anno 1564.

B. Schonborn.

Rector

RECTOR ACADEMIÆ VVITEBERGENSIS, ERNESTVS Ludouicus, Dei gratia Pomeraniæ Dux, &c.

DECESSIT hesterna die Iuuenis honestus ERICVS BARTOLOMÆVS natus in Suecici regni prouincia FINLANDIA, & ea parte huius, quam, quod superioribus annis coli primùm cœperit, Incolæ Nulandiam vocant, quæ longo tractu in septentrionem vsque ad Oceanum Scythicum extenditur, Ibi igitur natus patrem habuit, vt audimus, virum apud suos eruditione & virtute celebrem, & Ecclesiæ Christi in illis locis pastorem, qui moriens hortator fuit filio, vt externas gentes viseret, & studiorum atq; piæ & liberalis cognitionis causa peregrinaretur, atq; hoc etiam modo virtutem colligeret, ad quam rem peregrinationes conferre Græcus versus memorat. Inprimis autem vt eas scholas sectaretur mandauit, in quibus veritas religionis Christianæ sincerè traderetur, eamq; ad rem certam pecuniæ summam filio constituit, quæ argumenta sunt, & recti iudicij & pietatis in hoc viro minimè obscura. ita igitur optimi patris optimus filius hanc Academiam sibi delegit, in quam tanquam ex testamento parentis discendi causa migraret,

migraret, & vixit in hac in studijs pietatis, & literarum, vt demonstratum nobis est, modestè & verecundè, & assiduitate in discendo singulari, vt spes esset optima, vtilem eum Ecclesiæ & suis honorificum ciuem futurum. Sed occulto iudicio DEI præcisus ei hic cursus fuit, Cùm enim superioribus diebus ex fluxionibus & destillationibus ægrotare cœpisset, & febris postea fieret, tandem hæc in hecticam abijt, qua consumtus est. Pietatis suæ in morbo & extrema vitæ tempore documenta dedit illustria inuocatione ardenti, & religiosa professione atque confessione sanctissimæ fidei nostræ de formula Symboli Apostolici, quod subinde repetiuit recitatione indefessa, Et paulò antè mortem comites sibi adesse dixit, quos sequeretur in cœlestem & æternam Academiam, atq; ita commendans animam suam DEO Psalmi verbis, beato fine vitam clausit. Ei funus fiet hodie hora QVARTA, quod vt scholastici frequentes deducant, eos hortamur. Cùm & pietas & humanitas hoc officium ab vnoquoque postulet.

PP. Idibus Martij.
Anno 1564.

Lecturis

LECTVRIS S.

MANIFESTA est vtilitas Apologorum, non eò tantum, quòd tectè sed concinnè, si tempestiuè vsurpentur, multa monent intelligentes, ac fere animos vehementius afficiunt atq; efficacius permouent, quàm aperta, nuda ac simplicia argumenta: Sed etiam, quia lepore ipso ac venustate delectant, & in loco adducti ornant atq; commendant orationem. Cùm Alexander deletis Thebis, accessurus ad vrbem Atticam, postularet sibi dedi Rhetores, & Phocion id faciendum esse suaderet, Demosthenes periculum apud concitatam plebem auertit fabella de Lupis petentibus à pastoribus, vt dederent canes. Commonefactus populus canum exemplo de Rhetorum beneficijs, aliud iniuit consilium placandi Alexandri. Quid concinnius Apologo Aristotelico de leporibus, qui leges laturi Leonibus ab his discerpuntur? Talia eueniunt cùm vel leges præscribunt, vel conditiones ferunt inferiores potentioribus. Talia acciderunt nobis, cum Pontificibus & Regibus emendauimus Religiones. Vna ibant Cancer & serpens, cumq; serpens nunquam rectè incederet, quacunq; se verteret, tandem cancer eum strangulat, Ibi iacet serpens directus. Sic Sophistæ nunquam erunt recti, nisi mortui. Nihil

Nihil pulchrius pingit fœdera inæqualium, quàm Apologus de societate Leonis, Asini & Vulpis, partientium acquisitam prædam. Dimicaturi erant Lupi cum Canibus, Ibi forte egressi speculatum exercitum Canum, cùm viderent alios albos esse, nigros alios, alios russos aut maculosos, Nihil periculi erit respondent. Sic rarò fœliciter præliantur dissimiles & diuersæ gentes in uno exercitu, In exercitu Francisci Regis Gallici ad Ticinum erant Germani, Heluetij, Galli, Vascones, Itali, In Caroli exercitu Germani tantum & Hispani. Asinus & Vulpes vnà venantur: Ad hos cùm venisset Leo, Vulpes accedens, pollicetur se ductu-rum Asinum in loca oportuna, vadens igitur per deuia, hæret in laqueis Vulpes & laceratur à Leone. Sic ducens exercitum Caroli Borbonius interficitur ad vrbem Romam. Sed longum esset exempla recitare, quorum cum extent plurima & pulcherrima in eo libello, quo recens apologos veteres complexus est carmine eleganti vir doctrina & virtute ornatissimus M. Hieronymus Osius, sitq; is eum libellum enarraturus, hortor Scholasticos, vt diligenter eum audiant & propter Apologos & propter carmen ipsum.

Caspar Peucerus.

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-62-quod/start.htm?image=00000067

IN PRÆLECTIONEM APOLOGORVM.

MAGNAM semper dignitatem, gratiamq; fuisse Apologorum, testantur omnium ætatum Græci ac Latini scriptores, qui orationibus suis figuratas narrationes passim inspersérunt, etiam tum, cum de rebus grauibus disserendum eis esset. Cuius rei exempla videre licet apud Platonem, Aristotelem, Demosthenem, & alios, qui Apologorum narratione delectati sunt, quòd animaduerterent ciusmodi argumenta non parum decoris ac virium scriptis suis addere, & augeri, & mirificè ornari hac ratione orationem, & quòd figurati sermones ferè legentium animos altius penetrarent & permouerent, quàm nudæ ac simplices rerum expositiones facere solerent. Nemo enim est, opinor, eruditorum, qui non intelligit ac confiteri cogitur, maximam vim esse figurata-

rum narrationum ad mouendas ac delectandas hominum mentes cùm in loco atque tempestiuè ad res præsentes, accommodantur. Ita videmus ipsum filium Dei allegorijs & alijs sermonum figuris passim delectari. Et quid aliud sunt multæ sacrarum literarum figuratæ locutiones, nisi picturæ similes Apologorum? Nam vt breuitatis causa nunc plura exempla non recitem, consideretur saltem illud Simsonis problema, de examine apum ex putrefacto Leonis corpore nascentium, an non affine hoc esse Apologo dices? Plena sunt talium imaginum scripta Prophetica & Apostolica. Vnde in magno honore apud omnium ætatum viros doctos pariter & idiotas eruditi Apologi fuerunt. Reuerendum virum Martinum Lutherum dixisse perhibent, se existimare, quòd post codicem, quo sacræ literæ comprehenduntur, nullum extaret scriptum, cui tanto inesset sapientia & suauitas, atque commentis illis solertissimis, qui Phrygi Æsopo ascriberentur, nec, quod dignius esse lectione ac cognitione iudicaret. Memini & Philippi Melanthonis præceptoris mei carissimi crebros sermones, quos de Apologis ad turbam scholasticam habere in publicis scriptorum enarrationibus solebat, & commonere non adolescentes tantùm, sed & adultos iam ad assiduam Fabularum lectionem, vt eas sibi singuli familiarissimas ita redderent. Horum virorum iudicio quid tribuendum sit, nemo est, vt arbitror, qui ignoret. Cum igitur lectio Apologorum non tantum iucunda, sed & vtilis & maximè necessaria sit, ego de hortatu Magnifici D. Rectoris

& aliorum huius Academiæ Professorum, quos singulos Præceptores meos reuerenter colendos agnosco, & colo, instituo publicam enarrationem Apologorum Æsopi, in Auditorio veteris collegij, quos carmine Elegiaco perspicuè, vt opinor, reddidi ac edidi, quia de felicitate huius versionis nihil habeo polliceri, de qua eruditis candidè sentientibus iudicium relinquo. Hanc interpretationem etsi eruditam audituris polliceri vix possim, eam tamen fidelem & accuratam fore promitto, quantum omnino Dei beneficio fieri poterit. Præfationis seu declamationis vice, vita ac historia Æsopi, à me carmine Elegiaco reddita & conscripta recitabitur ad diem Mercurij hora 12. Quam iucundam auditoribus fore puto vel eo nomine, quod res facetas & auditu iucundas ac dignas comprehendit ac recitat. Sequente die ordiar textus enarrationem, quam diebus singulis, donec finiam, continuabo.

Hieronymus Osius.

RECTOR ACADEMIÆ VVITEBERGENSIS ERNESTVS Ludouicus Dei gratia Dux Pomeraniæ.

Præcipua

PRæcipua in miserijs & ærumnis humanis consolatio est spes liberationis finalis, proposita in dissolutione corporis mortalis, anima, quæ immortalis est, euocata ac discedente ad lucem & lætitiam cœlestem. Etsi enim triste spectaculum est, & non sit sine ingenti consternatione, dolore & gemitu hæc seu dissipatio seu destructio compagis terrenæ & domicilij animæ, Tamen non solùm mali nihil in hac esse aut accidere homini ab Ethnicis etiam sanioribus existimatum est, sed & vox diuina hanc vnam metam finem malorum & miseriarum esse infinitis locis docet, & hanc adeo non extimescendam esse ostendit, vt potius momentis omnibus optanda & petenda sit ardentissimè. Vt autem Paulus se dissolui optat, & vt significantius in Græco dicitur, migrare desiderat, quo ad Christi tandem consuetudinem æternam perueniat ac perducatur, De qua eodem loco hoc pronunciat, quod versu infra scripto comprehenditur:

Vita mihi Christus, mors mihi dulce lucrum,

Est hæc spes consolatio præcipua ac summa, sed altera, quæ in præsenti ferendis ac vincendis miserijs destinatur, & homines propter ærumnas adfirmat à Deo neq; abiectos esse, neq; deseri vnquam, sed accedere ad DEVM ærumnosos, &

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-62-quod/start.htm?image=00000069

petere auxilium, mitigationem ac liberationem iubet. Ac promissa præsentia & auxilio DEI hos imprimis Deo curæ esse asseuerat, qui videntur calamitosissimi. Ea ergò consolatio & par est priori, & in erigendis ac confirmandis animis ad quoscunq; fortunæ casus efficacissima. Ita Psalmus 107. inquit: Qui errauerunt in solitudine & in deserto à via, ciuitatem habitaculi nõ inuenerunt, Esurientes et sitientes erant, anima eorum in ipsis loquebatur, & clamauerunt ad Dominum cum tribularentur, & de necessitatibus eorum eripuit eos, &c. Confitentur Domino pro misericordia eius & pro mirabilibus eius in filios hominum. Vtraq; se consolatione constanter erexit ac confirmauit honestus adolescens, VALENTINVS STOCKEL Regiomontanus Francus, qui superiore nocte in valetudinario nostro extinctus est. Verè enim erat exemplum & εἰκὼν insignis picturæ illius ærumnosæ, quam Psalmus proponit, Longo itinere venerat in hanc Academiam sumptibus & necessarijs rebus omnibus destitutus, ad quas miserias & morbus accessit, plane cum exuens, & bonis vitæ huius omnibus spolians, sed nec spem liberationis abiecit, nec calamitatibus suis fractus est vnquam, vt vllum animi impatientis aut immodicè dolentis

tis signum ostenderet. Certò statuebat se Deo curæ esse, & fore propediem, vt his miserijs omnibus liberaretur, sæpè repetebat dictum Psalmi: Cum ipso sum in tribulatione, eripiam eum, & ostendam illi salutare meum. Itaq; cùm vinci maturam morbi vehementia cerneret, fœlicitatem sibi hanc gratulatus est, quòd ad consuetudinem cum Deo euocari se intelligeret, ac commendata filio DEI animula sua, & tota hac Ecclesia & Academia, à qua benignè adiutum se profitebatur, placidissimè decessit. Huic VALENTINO funus fiet hora quarta hodie, ad quod vt ante ædes Nosocomij Academiæ conueniant scholastici, & piam funeris cæremoniam exemplo & præsentia sua ornent & conseruare studeant, non solùm studiorum, sed & miseriarum similitudo eos hortabitur. Defuncti enim ærumnas cum cogitabunt, suas aspiciant singuli, & filium DEI orent, vt & ipsis & Ecclesiæ vniuersæ has leniat & mitiget. Datæ 19. Februarij Anno 1564.

DECANVS COLLEGII PHILOSOPHICI IN ACADEMIA VVitebergensi BARTOLEMÆVS SCHONEORN VVitebergensis omnibus Lecturis S. P. D.

CVM alia multa, quæ vigebant olim rerum optimarum exercitia perijsse atq; extincta esse, dolendum est: tùm quod eam, in qua positam omnes maximam vtilitatem intelligunt, disputandi atq; conferendi de studijs nostris sententias, rationem & consuetudinem ita amisimus, vt ex discentium magno ac infinito propè numero, non tamen ita multos, qui tolerabiles disputatores videantur: qui verò excellant, quàm pauciſsimos liceat inuenire. Atq; huius quidem incommodi vel mali potius culpa vndè manarit, qui nostræ ætatis mores, vitæ instituendæ discendiq; rationem cum superioris sæculi consuetudine longè alia contulerit, haud difficulter iudicabit. Quæ enim res in studijs duæ plurimum possunt, hæ magna rei literariæ iactura propè sublatæ ex scholis ambæ sunt: Latinè dicendi scribendiq; exercitium, ac de literis nostris conferendi sententias, consuetudo. Verum vt de priore illo dudum ob priuatæ disciplinæ neglectionem: amisso frustra querimur:

mur: ita optandum esset, colloquia saltem de studijs frequentiora esse, in quibus placida fit sententiarum opinionumq; collatio de rebus bonis atq; vtilibus, quarum veritas ac certitudo, vltro citroq; habitis sermonibus inquirenda est atq; illustranda.

Hoc consilio veterem ac laudatiſsimum Academiæ nostræ morem, sapienti consilio primum introductum, perq; manus nobis à maioribus traditum atq; commendatũ, quo par est studio ac fide retinemus: explorandi nimirum profectus auditorum nostrorum prius quàm ad gradus sublimiores admittantur. Cumq; his diebus priuatim à nobis auditi sint, qui gradum Magisterij in Philosophia à collegio nostro petunt: hoc die, iuuante Deo, eosdem ad examina publica, hora à meridie prima, producemus. Quod cur faciamus, causas habemus grauiſsimas. Vt enim quod latiſsimè patet, in paucа contraham, nihil est in tota studiorum ratione, ad formanda iudicia, excitandam diligentiam, acuendumq; studium, ad ingenia corrigenda, ad virtutem flectenda, hac exploratione discentium, hisq; sententiarum collationibus vtilibus, magisq; frugiferum. Hæc est illa, cui Cicero studiorum atq; eloquentiæ parens, primas in discendo partes tribuit συζητησις. Ta-

teo cætera, quæ hic locus commemorare non sinit. Cum autem deceat frequentes esse bonorum et eruditorũ congressus, hortamur Philosophiæ Magistros, vt ad erudita & modesta de studijs colloquia, non grauatim hodie conueniant: Eoq; officio suum erga Rempubl. studium & erga nos beneuolentiam declarent.

14. Calend: Martij
1564.

DECANVS COLLEGII PHILOSOPHICI IN ACADEMIA VVitebergensi Bartolemeus Schonborn VVittebergensis, Lectori S. D.

QVOD fœlix, et faustũ sit Ecclesiæ filij Dei, Reipublicæ, & nobis vniuersis, post exploratos à Collegio nostro discentium profectus, Gradum Magisterij in Philosophia proxima die Iouis, quæ est 24. huius Mensis, decernemus quinquaginta tribus honestis & doctis viris, quorum nomina infra scripta sunt. Cùm autem causæ sint grauissimæ, propter quas publicè in magna frequentia deceat iudicia eruditorum de studijs discentium fieri, rogamus omnium

tum ordinum Professores, viros doctos & auditores, vt ad eam renunciationem conueniant, eoq; officio testentur se fauere honori candidatorum, quorum est spectata industria, & probata virtus, seq; de studijs Philosophiæ honorificè sentire, & preces nobiscum ad DEVM coniungere pro Ecclesia & doctrinarũ omnium in hac confirmatione. Est omnino hæc præcipua et dignissima causa, quæ incendere & acuere in bonis ingenijs studium amoremq; artium liberalium debet, quod scimus eas Ecclesiæ Dei seruire, quam eruditam & magna artium varietate instructam esse oportet. Ideoq; omnibus temporibus scholæ fuerunt Ecclesijs adiunctæ, vt homines docti testes essent, & propagatores veræ ac natiuæ sententiæ verbi diuini. Cùm autem inenarrabili DEI beneficio in hac mundi senecta post diuturnas & densissimas tenebras errorum ac superstitionum, penè eodem temporis articulo, accensum sit rursus, & in his terris fideliter propagatum vtrumq; doctrinæ genus, Theologicum & Philosophicum: non solùm agnoscenda & prædicanda est φιλανθρωπία καὶ χρηστότης θεοῦ, Verumetiam excitandæ sunt mentes ad doctrinarum cognitionem assiduam, earumque ad posteros fidelem propagationem.

Ad

Ad eam rem cùm prodesse examina multis iam annis in hac schola experti simus: bono consilio etiam gradus & consuetudinem titulos decernendi retinemus, non vt ambitionem illiberalem in iuuenilibus ingenijs alamus: Sed vt ordinem discendi ac proficiendi adolescentibus monstremus: Deinde vt nostram de profectu & moribus ipsorum iudicium extet apud alios, ne vel inexplorati, vel rudes literarum, vel prauis opinionibus infecti, ad Ecclesiæ aut Scholarum gubernationem admittantur. Ad hunc finem operas scholasticas referimus erecti spe promissionis diuinæ: ὁ κόπος ὑμῶν οὐκ ἐστι κένος ἐν κυρίῳ. *Oramus igitur* DEVM *æternum Patrem Domini nostri* IESV CHRISTI, *vt Ecclesiam sibi deinceps inter nos colligat, seruet doctrinarum studia, & politias honestas, nosq; omnes & nos candidatos faciat* σκευὴ ἐλέους, *vt vnum simus in ipso, Amen.*

PP. 20. Februarij
Anno 1564.

RECTOR ACADEMIÆ
VVITTEBERGENSIS ERNESTVS
Ludouicus Dei gratia Dux
Pomeraniæ. &c.

Et

ET PER *se res est ingenij non vulgaris pingendi artificiũ, et ita honorificè de hac arte sensit antiquitas, vt etiamsi manu perficitur, non tamen* βαναυσὸν *haberi eam voluerit, sed inter liberales artes locum ei fecerit, & in medio est Galeni de hac iudicium. Sicut autem ex veteribus quidam, non fieri scripta laudabilia, dixit, in eruditione & doctrina, nisi calamus mente tingatur: Ita pictor etiam penicillum mente vt tingat oportet, si laudabile opus artis suæ edere debeat. Neque verò sine opticis fundamentis, & dimensionum & numerorũ scientia perfici, & opera huius possunt ex his præcipua in hac arte præcepta deducuntur, etiamsi nunc arte constituta, multi sine illorum fundamentorum scientia præstare ea possunt. Geometria etiam manuum opera vtitur, cum diagrammata pingit, sed hæc cognitionis est,* γραφικὴ *tota in opere producendo elaborat. Cùm autẽ sit* εἰκασῖα τῶν ὁρωμένων, *vt à Xenophonte definitur, nimirum historia hæc quædam fuerit, qua exprimuntur, quæ oculis patent in rerum natura vniuersa, sed sine verbis, vt sit expers quædam verborum oratio seu historia, sicut Plato* διανοίαν *definit, esse* λογὸν ψυχῆς ἄνευ φωνῆς. *Multa etiam pictura melius, quàm verbis repræsentari possunt, & certant*

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-62-quod/start.htm?image=00000073

tant in hoc genere cum pictoribus Poëtæ, qui verbis pingunt, vt illi coloribus. Hinc æstimare licet quàm latè vsus huius artis pateat, et quod non voluptati tantùm seruiat, sed Reip. vtroq; tempore huius operam nauare possit & soleat. Ex hoc genus artificum summis viris regibus & principibus familiare semper fuit, qui operibus horum & delectari consueuerunt, & fructum aliquem ex his perceperunt. Veterum etiam sapientum literis celebrati sunt in hoc genere multi, quorũ memoria vsq; in hunc diem à multis iam seculis conseruatur. Apellis, Polygnoti, Parrhasij, Pansonis, Dionysij, et aliorum. Nostra autem tempora Albertum Durerum habuerunt patria Norbergensem, quẽ & exteri mirantur. De quo viro meminimus D. Philippi Melanthonis V. Cl. elogij, tantam & ingenij & virtutum in ipso multarum fuisse præstantiam, vt comparatione cum cæteris, quæ in eo fuere insignia, pingendi ars minimum fuerit, cùm hac quidem immortale nomen sibi pepererit. Huius Durери de nostratis artificis patre, Luca Cranachio, iudicium & sermones honorificos ab eodem Melanthone didicimus. Sed filius patrem æquat ad minimũ, si nõ superat. In huius autem Lucæ F. honesti & honorati viri, & ciuis & artificis egregij officina educa-

educatus est IOHANNES SCHONBORN VVitebergensis, qui laudem in hac arte comparasset sibi non vulgarem, si vita ei suppetiisset longior, ex qua heri euocatus hodie Hora XII. sepelietur.

Hortamur igitur scholasticos, vt & propter cognationem huius artis cum liberalibus studijs & artibus, & propter doctiss. virum M. Bartolemeum Schonborn Professorem Mathematum in hac Academia tertiũ, et hoc tempore Collegij Philosophici Decanum, cuius hic demortuus frater fuit germanus, deductione sua funus illud frequentes prosequantur, quod efferetur ex ædibus M. Georgij Schonborn, qui & ipse frater est demortui, & minister Ecclesiæ Christi fidelis. PP. XI. Calend. Aprilis.

IN PSALMI XXII. PRÆLECTIONEM.

NVLLVM tempus anni est, quo maiores & admiratione dignissimæ res gestæ sunt, quàm hoc ipso tempore. Nam hoc mense Martio mundus et Homo ad imaginem & similitudinem Dei conditus, & homo in peccatum & mortem lapsus est, & Dominus noster Iesus Christus conditor & saluator generis humani in vte-

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-62-quod/start.htm?image=00000074

in vtero virginis conceptus de Spiritu sancto humanam naturam assumpsit, & postea eodem 25 Martij die quo conceptus erat, ingressus 34. ætatis annum crucifixus pro nobis, semetipsum λύτρον redemptionis pro omnibus æterno Patri dedit, ac necesse est immensam & infinitam fuisse peccati offensam, cum nullo alio λύτρῳ ira Dei quam morte vnigeniti & dilecti Filij placari potuerit, cuius cogitatio in nobis fugam & odium peccati, consideratio verò ineffabilis amoris Dei erga nos, qui vt seruum redimat, nec Pater Filio, nec Filius ipse sibi pepercit, rursus fidem seu fiduciam misericordiæ et amorem Dei & mutuam inter nos dilectionem accendere debet. Vt igitur ad tantarum rerum considerationem, nos inuicem excitemus, repetemus iam multis annis recepto & vsitato more breuiter Psalmum 22. qui est de passione Domini nostri Iesu Christi, hora tertia, die Lunæ & Martis.

Die Palmarum Anno
1564.

Georgius Maior sacræ Theologiæ Doctor & Professor.

Lotio

LOTIO PEDVM.

NAM quod inauditum, & seclis memorabile factum
Commemorem? quóue ore feram? aut quo nomine dicam? (instar
An cadat in quenquam tàm sancta modestia, &
Demissæ mentis, cùm qui sit summus, & omnia
Excedat longè donis, lateq; creata, (est
Cui seruit mare, terra, polus, cui quicquid vbiq;
Submittit famulamq; vicem, & submittere fas
Non patrio solùm è socio demissus in orbẽ (est,
Is rerum Dominus, miseris mortalibus vltrò
Seruit, & in nostros humilem se colligit artus:
Quin etiam ad viles operas abit, atq; retorto
Seruilem in morem lini succinctus amictu
Ipse genu nixus, labris splendentibus amnem
Ingerit, & positis bissenis ordine alumnis
Sordida permulcet liquidis vestigia lymphis,
Quamuis hi tenues, quamuis ille arduus esset,
Ille carens vicijs, hi gens obnoxia labi. (res
At quid te tenues Rex maxime adire labo-
Impulit? vt qui vnus summi fruereris honore
Flaminis, & velles adytis iam inferre sacratis
Soli concessos tibi gressus, atq; regressus,
Præstares tamen antè tuis opera ista ministris
Tàm magno tenues iam nunc dignatus honore?

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-62-quod/start.htm?image=00000075

Scilicet hoc signum voluisti gentibus esse,
Tu quòd ad has à Patre vices delectus es vnus
Qui possis homines lauere omni labe reatus
Spargens flumina pura, salutiferumq; cruorem.
Et nisi tu Petrum ablueris, quanq; ipse refugit
Tale ministerium, tantum indignatus honorem,
Iam tum ille exciderit cœlo, oblataq; salute,
Nec partẽ inde tui teneat, nec munera apud te.
Quid referam Isaiden hyssopi aspergine tactum,
Lustratumq; cruore tuo, cui protinus omnis
Exuitur macula, atq; infectum crimine pectus
Fit niue candidius, plumáue albentis Oloris.
Et fors si qua super mansit de labe cicatrix,
Irrita, pacatam soluit formidine mentem, (ti.
Neu posset trepidare Deũ, aut succũbere mor-
Quare agite, & quorũ mẽtes macula inficit
Magna quib. cõmissa lues, decurs aq; vita ẽ (atra,
Turpiter, atq; ideò exercent hos numinis iræ,
Et furiæ, quibus anguineo fœcunda capillo
Frons exundantem vindictæ nunciat iram,
Cùm stimulos adhibẽt animis, torrentq; flagellis:
Huc huc aduentate, fideq; immittite mentes
His lymphis, fluuioq; huius mersate salubri.
Quippe ministerio Christi, sanctoq; cruore
Eluimur macula, & vitio lustramur ab omni,
Non opus est nobis lustrali aspergine lymphæ,
Quæ magicis cantata sonis purgare reatum,

Inq;

Inq; fugam nigros Erebi conuertere manes
Credita, fallebat miseros errore lauantes.
Hoc etiã exemplo, voluit pater addere ho-
Ipse ministerio, cuius de munere sancto (norem
Sanguine lustramur roseo, vitijsq; leuati
Ritè Deùm accipimus vitã, & noua massa cre-
Nempè ministerij sortem, vestigia nobis (amur.
Ima pedum, & sanctũ legati munus adumbrat.
Ergò vt gens hominũ cum magno ferret honore
Tale ministerium: nec non qui fungitur isto
Ore sonans partam pacem mortalibus ægris
Cogitet in pulcris vestigia ducere plantis:
Hanc pater ob caussam sociũm ad vestigia stra-
Sacrauitq; pedes, & tanto affecit honore (tus
Permulcens manibusq; pijs, & flumine viuo.
Et quanq; persona nocens quandoq; reperta est,
Ceu fidei oblitus, scelerumq; inuentor Iudas:
Ipsi ritè pedes tamen, & sua functio sacra est.
Quare cùm liquidis vestigia terserat vndis,
Tum ritus tanti rationem exponere pergit,
Et sic voce refert: Socij, mea numina testor,
Qui vos cunq; meo legatos nomine missos,
Et quæ deinde meo susceptа ex ore sacrato
Legati mandata ferent, susceperit olim
Vltrò animis, nec præceptis parêre recusat:
Idem me ille, meumq; patrem susceperit olim,
Tanta ministerio maiestas credita vestro est.

At pauci accipiunt fido cum pectore Christum,
Quandoquidē hos vestræ ceperunt tædia sortis,
Atq; illis odio est veræ doctrina salutis.
Quod superest porrò: cū sese maximus ipse
Ad minimas operas etiā demiserit vltrò (stus,
Discе animos humiles gerere, & compescere fa-
Fastus inest magnis, & reddunt dona superbos,
Hinc variæ illiudunt pestes, & crimina multa:
Quò quisq; est maior, tantò sit mitior idem.
Si tibi sunt animi dotes, his consule egenti,
Ne contrà tenues aliorum despice vires,
Sed vitium tegere, & virtutem extollere disce,
Sæpè etiam in paruis diuina potētia magna est.
Sic ô sic cursu peragetur vita secundo
Vberibus fœcunda bonis, opibusq; beatis,
Et dona in nobis crescent, crescemus & ipsi.

Iohan. Maior Ioach. D.

RECTOR ACADEMIÆ VITEBERGENSIS, ERNESTVS Ludouicus, Dei gratia Dux Pomeraniæ &c.

ANNVS *hic est* 3073. *à primo Paschate, quod Israelitæ mandato diuino, præscriptis ac solennibus ritibus primùm celebrârunt in Ægypto, sed deinceps recoluerunt annuatim destina-*

to tempore, eadem festiuitate in antiqua & prima patria vsq; ad Christi mortem & resurrectionem, qui significatus typo agni Paschalis, cùm sese obtulisset Victimam æterno patri pro genere humano, vmbratilem rituum instituti & consuetudinis pristinæ sustulit atq; abolevit, præstitis et cōpletis ijs vniuersis, quæ cælitus editæ promissiones, Prophetarū vaticinia & prædicta, rituum Mosaicorum typi vel denunciârant vel adumbrârant. Tempus abinstitutione prima vsq; ad Christū crucifixum annorū est 1543. Ritū anniuersariū esse, et solenni festiuitate Deus repeti voluit, tùm vt commonefieret posteritas de admiranda & gloriosa defensione, conseruatione, ac liberatione maiorum à Tyrannide Ægyptiaca: (Ita enim victura erat memoria totius præteriti beneficij, si renouaretur annuatim quodā quasi monumento sacri publici) tùm vt eodem excitaretur, ac confirmaretur spes & expectatio promissi Messiæ, in ijs, qui ad manducationem agni Paschalis hanc adferebant fidem, quòd significaretur alia victima, quæ esset expiatura peccatum, ac deletura mortem, Neq; interitura esset, vt cæteræ victimæ, quæ vel abijciebantur in mare aut flumina, vel cremabantur, Sed reuictura ex morte, & vitam æternam redditura omnibus

credentibus. Et consentaneum est, etiam ante mandatam mactationem agni, primos parentes seu institutione diuina, seu obseruatione eorum, quæ accidissent, suæ Ecclesiæ verno tempore proposuisse similes commonefactiones, vel ritibus typicis, vel exemplis rerum gestarum, repetitis simul promissionum declarationibus, quibus deduxerunt mentes ad certam spem venturi Messiæ. Nam et mundum conditum, & creatum, lapsum ac restitutum Adamum, & Abelum à fratre Caino trucidatum esse, & Isaacum à patre Abrahamo hostiæ loco cædi debuisse, eodem tempore tradunt.

Legentes autem historiam exilij, seruitutis, liberationis & reditus populi Israëlitici ad sedē veteris patriæ, exprimi in ea cogitemus, atq; proponi imaginem generis humani, vel potius Ecclesiæ omniū temporum. Exulant Israelitæ à vera patria, oppressi in Ægypto durissima seruitute, & tyrannide sæuissima, à gente peregrina, polluta Idolis ac libidinibus, dedita artibus ac prestigijs diabolicis, et horribili furore interitum moliente, atq; internecionem hominibus sanctis. Seruatur tamen maxima multitudo populi mirandis modis, ornaturq; illustribus testimonijs plurimarū miraculorum, vt pijs dubi-

dubium esse nō posset, se Deo curæ esse & fore, quantumuis cresceret rabies impij Regis, & blasphemæ gentis. Miraculum præcipuum fuit, quòd cum cæde primogenitorum funesta rederetur tota Ægyptus, Deo transeunte, ac primogenita trucidante, vnde nomen est PHASE*, quòd ergò tum parcitur Israëlitis, qui sanguine agni Paschalis limina domorum conspersérant, Sed non seruatur tantùm populus in Ægypto, verùm tandem consilio diuino eductus è terra, ac per fissas, repressasq; & rupium instar vtrinq; tumentes vndas maris rubri ad sinum Arabicum traductus, eripitur ex insequentium hostium manibus, aquis Regem cum exercitu in eandem voraginem insana & cæca vindictæ cupiditate temerè ingressum obruentibus, & per longas, atq; impeditissimas viarum in locis desertis ambages, perq; difficultates humanis consilijs inexplicabiles, reducitur in terram beatam, fluentem lacte et melle, quæ olim maioribus primas sedes præbuerat, præeunte atq; iter regente filio Dei, ex nube obscura in columnæ speciē fastigiata, è qua noctu coruscantia fulgetra assiduo ignium vibratu excussa, tenebras progressum impedituras depellebant. Hæc species obuersantis*

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-62-quod/start.htm?image=00000078

ante oculos columnæ nubilæ confirmabat trepidantes ac desperabundos, de præsentia filij Dei, curantis, custodientis, ac deducentis agmen miserorum exulum, quod in vastissimis & amplissimis solitudinibus à tota videbatur deseri, ac destitui rerum natura. Ad hunc modum exulat Ecclesia in hac vita à prima patria vitæ innocentis, in qua regnassent lux, iusticia, & lætitia æterna. Inde ejecta primorum parentum lapsu, vagatur & oberrat sine certa sede, sine politijs certis, inter prophanam multitudinem maximæ partis generis humani dispersa, oppressaq; immani tyrannide Diabolorum, & malorum hominum, quibus diaboli tanquàm organis vtuntur ad Ecclesiam oppugnandam ac perdendam. Seruantur tamen qui sanguine filij Dei redempti & abluti, notas iusticiæ, gratis ab hoc liberatore donatæ, præ se ferunt, & quibusdam quasi circuitibus ab exilio tristi, per crucem, afflictiones, mortem reducuntur ad patriam cœlestem, filio Dei, Domino nostro Iesu Christo, qui est nostrum Pascha, secundùm Paulum, monstrante ac dirigente iter & sufficiente vires. Hic enim assiduè præsens accendit per ministerium verbi & Sacramentorum, nouam lucem, fidem, & consolationem in mentibus piorum, dat Spiritum sanctum, qui reuo-

uat corda credentium ad iusticiam & vitam æternam. Munit ac tuetur corpora, liberos, fortunas præsidio sanctorum Angelorum, ac piorum magistratuum, ac suppeditat alia bona innumera, Ecclesiæ in hac vita necessaria, vitam, victum, pacem, copiam rerum fructuarum, sæpè sine causis secundis, non minoribus miraculis, quàm cùm pauit, ac seruauit Israëlitas in deserto, etsi & minus nostra in oculos incurrunt, & negligentius etiam à nobis obseruantur. Vbicunq; sonat vox Euangelij, ibi ostendit adesse filium Dei, & efficacẽ esse in illo cœtu, in quo exauditur & recipitur, eidemq; distribuere beneficia mortis et resurrectionis suæ, quæ Paulus explicat 4. Rom. cùm inquit: Qui traditus est propter peccata nostra, & resuscitatus propter iusticiam nostram. Vbi discernit Paulus pœnam persoluendam pro nobis, & iusticiam nobis communicandam. Christus cùm est mortuus satisfecit iusticiæ Dei, ac pœnam persoluit, quæ nobis erat sustinenda, cùm omnis Lex obliget ad obedientiam vel ad pœnam. Idem postquam resurrexit à mortuis, exaltatus ad dextram Patris & regnans diuina potentia, efficax est in liberandis suis à morte æterna, qui ad nos fructus resurrectionis nõ rediissent, si in morte ille mansisset. Suntq; beneficia re-

 surre-

surrectionis, omnia opera Christi regnantis, quæ complexus est Paulus ad Corinthios, inquiens: χρισὸς ἐγγυήθη ἡμῖν ἀπὸ τῦ πατρὸς σόφια & δικαιοσύνη καὶ ἁγιασμὸς & ἀπολύτρωσις. *Scilicet accendere in mentibus veram Dei agnitionem, fidem & consolationem, iustificare credentes, regere & confirmare eos Spiritu sancto, defendere aduersus potestatem diaboli, liberare à morte æterna, incoare vitam æternam. Ergò ad Euangelij vocem & Sacramentorum vsum respiciamus, per quæ se filius Dei communicat Ecclesiæ, vt ad columnam nubilam respiciebat populus Israëliticus in deserto. Nec nunc alio argumento* DEVM *quæramus quàm per verbum. In Ecclesia resuscitata vbi Dominus noster Iesus Christus adduxerit nos æterno Patri, hunc nobis demonstrabit non amplius in ministerio doctrinæ, sed coràm in clara luce, & quanquàm tunc non erit opus earum rerum præsidio, quibus hæc vita carere non potuit: Tamen ipse manebit Rex & caput Ecclesiæ, ceu agglutinans nos patri, non societate humanæ naturæ tantùm, sed præsenti efficacia totius diuinitatis, cùm Deus erit omnia in beatis omnib. Diabolos verò & impios, vt reprimit, & coërcet in hac vita, sicut repressit Pharaonẽ, Ita tunc abijciet in æter-*

æternos cruciatus, Nam in hoc apparuit, sicut Iohannes testatur, vt destruat opera Diaboli.

Ad has res cogitandas præparemus & componamus animos hisce diebus festis, quibus Ecclesia vsitata consuetudine repetit in publicis cõgressibus historiã Paschatos vtriusq; Prioris ac veteris typici: Posterioris veri de sacrificio filij Dei, & de resurrectione, Et in hanc cogitationem simul includamus considerationem magnitudinis peccati, iræ Dei aduersus peccatum, amoris & misericordiæ Dei erga genus humanum, precij seu τῦ λύτρȣ, *quo redemptum est genus humanum, cruciatuum ac pauorum, quos in agone sustinuit filius Dei ad conspectũ, sensumq; iræ Dei, & mortis æternæ, Deniq; beneficiorum quæ credentibus comparata hoc precio atq; donata sunt. Vnum omnium certissimũ atq; euidentissimum documentum est, & atrocissimæ iræ Dei aduersus peccatum, et inexhaustæ misericordiæ erga genus humanum Mors filij Dei, quem assumere humanam naturam, & mori oportuit, ac resurgere, vt genus humanum vindicatũ à morte æterna seruaretur, sicut ipse dicit: Sic Deus dilexit mundum, vt filium vnigenitum daret, vt omnis qui credit in ipsum non pereat, sed habeat vitam æternã. Hæc enim vt præstaret atq; perficeret, cùm nulla creatura potu-*

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-62-quod/start.htm?image=00000080

potuisset sustinere iram Dei, & vincere ac delere mortem æternam, Deum simul esse oportuit, & hominem. Nam humana natura, nisi à diuina sustentata fuisset ac viuificata, periisset, redacta in nihilum: Εἰ γὰρ μὴ σωθῆναι ὁ ἄνθρωπος τῷ Θεῷ, οὐκ ἂν ἠφανίθη μεταχεῖν τῆς ἀφθαρσίας, inquit Irenæus. Extat & alia eiusdem grauissima sententia in Oratione tertia aduersus hæreses. Ὥσπερ ἦν ἄνθρωπος ἵνα πειρασθῇ, οὕτω καὶ λόγος, ἵνα δοξασθῇ, ἠσυχάζοντος μὲν τοῦ λόγου ἐν τῷ πειράζεσθαι καὶ σαρκοῦσθαι καὶ ἀποθνήσκειν: συγγινομένου δὲ τῷ ἀνθρώπῳ ἐν τῷ νικᾶν καὶ ὑπομένειν καὶ χρηστεύεσθαι καὶ ἀνίστασθαι καὶ ἀναλαμβάνεσθαι. Id est, sicut erat homo vt tentaretur, ita & λόγος, vt glorificaretur, Quiescente quidem verbo, cùm tentaretur & crucifigeretur & moreretur, sed rursus seruante hominem, vt vinceret, & perduraret, & posset prodesse, & resurgere, & ascenderet in cœlum.

Harum maximarum rerum meditatione transigamus hoc festum in azymis sinceritatis, sicut Paulus præcipit: Gratias agamus filio Dei, quòd assumpta carne nostra factus victima pro peccatis nostris, & resuscitatus carne ac regnans ad dextram æterni Patris, misericordis

dis Dei, dat dona hominibus, colligit Ecclesiam in genere humano voce Euangelij, & sanctificat eam sancto suo Spiritu, defendit, protegit, seruat eam, procurat hospitia & victum. Et petamus vt in his terris ministerium Euangelij nõ sinat extingui falsis dogmatibus, aut barbaricis vastationibus, ac leniat pœnas. Ostendamus etiam exemplis assiduæ præsentiæ, & ardentis inuocationis cum Ecclesia in publicis et solennibus congressibus, qui fiunt sacrorum causa, quòd simus viua membra Ecclesiæ Christi, & reuerenter sentiamus de ministerio verbi ac Sacramentorum, per quod filius Dei vniuersa sua bona nobis impertit. Ad huius reuerentiæ publicam testificationem coram Ecclesia, cùm pertineat etiã significatio, quæ fit oblatione vsitata ad aram, Præcipimus Scholasticis nostris, vt honesti exempli causa hodie accedant ad Aram singuli cum aliqua debitæ gratitudinis declaratione.

Die Paschatis quæ est 2.
April. Anno 1564.

RECTOR ACADEMIÆ
VVITTEBERGENSIS ERNESTVS
Ludouicus Dei gratia Dux
Pomeraniæ. &c.

Assy-

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-62-quod/start.htm?image=00000081

ASSyrio quondam detentæ carcere gentes
Dicuntur rubeas ponti transisse per vndas
Ægypti hospitium fugientes, & iuga sæua,
Cùm lecti proceres, Hebrææ lumina gentis,
Seruitio optantes Phario subducere collum
Ausi sunt vada rubra cito decurrere gressu
Inuia sollicitis calcantes æquora plantis,
Ipse quibus summis suspẽdens fluctibus vndas,
Instar montis aquas diducto limite findens,
Errabunda viæ rexit vestigia Christus
Nocte facem simulans, claro sed lumine nubẽ,
Ne trucis Ægypti de finibus egredientes
Falleret inconsultos, & irremabilis error.
Vtq; rubram cursu gens attigit Amphitriten,
Fissa sinu dedit vnda viam, siccisq; repentè
Transibat pedib. cum à tergo barbarus instans
Ægypti dominus, multusq; ante ora satelles,
Oceani vada cæca verget, properatq; viantes
Præcipere, et pelagi medio deprendere in æstu:
Cum subitò venit vibratus ab æthere fulgur,
Quo mota est tellus, atq; horrida contremuerunt
Æquora, concussiq; micantia sydera mundus.
Ipse autem pelagi medio deprensus in æstu
Vertitur in præceps reuoluto turbine ponti
Naufragus, & rubri insultãs bibit æquoris vn-
Cui subter fauces singultant flatus et vnda (dã:
Spiramenta animæ præcludens obice fixo.

Quo

Quo simul immissa est Nili gens decolor alueo,
Rubraq; palpantum spumis incanuit vnda:
Æquoreæ factum Nereides admirantes
Curruq;, nantesq; viros, & naufraga tela
Quæ prius Hebræi sitiebant sanguinis haustus,
Iam tandẽ aspiciunt submersa in gurgite rubra
Imbibere infidum conuersis fluctibus æquor.
Sed populi rubris è littoribus digressi
Insuetum per iter Domino ducente sequuntur
Antiquam patriam Canaæ, fataliaq; arua
Queîs longo abducti sub temporis interuallo
Sunt Pelusiacos acti sufferre vapores.
Vtq; quater denos Sol cursu exegerat orbes:
Iordanis rapidũ superabant grossibus alucũm,
Et vetus aërij cessabat copia roris,
Atq; explere famem Canaæ de frugibus almis
Incipiunt, patrijsq; agitant in finibus æuum.
Omẽ in hoc facto est: quia forsan tempore talì
Cùm iã primũ aperit luces verna aura serenas,
Cessabitq; Fides, & nos veniemus in arua
Promissæ patriæ, Paradysiq; ardua tempe
Israëligeno nati de semine fido.
Ex illo celebratus honos, atq; inde minores
Hunc dixère diem fatli de nomine Phasę,
Deuius has impunè domos quod transiit ales
Ægypti primos consternens funere fœtus,
Quæ sparsos agni seruabant ritè cruores:

Inde

Inde quòd et ponti vada cõcaua,et inde retortis
Conflua vorticibus visi transire fuissent.
Ergò die solennem illo gens omnis honorem
Dulcibus in libis, & cæsi carnibus Agni
Instituit,prisci monumentum insigne regressus
Carcere ab Ægypti,libertatisq́ receptæ,
Pro qua soluebant memori de pectore grates,
Et tùm vota dabant pro libertate futura
Quando ingũ excuterent mortisq́,Erebiq́ pro-
Iẽ regni immunes peccati,et carceris atri,(fũdi
Hostia cùm caderet maculis sine turpib. Agnus.
Scilicet humanam propter mactata salutem
Ipsa DEI suboles,vitæ melioris origo,
Dum venit mediã se offert,et crimina soluit.
Nos eiã hunc de more diè celebramus ouantes,
Semper honoratũ,et sacratum semper habentes,
Quo propria virtute potens in lumina vitæ
Exijt,euicti spolijs oneratus Auerni,
Sub pedibus lethũq́, atq́ impia tartara pressit,
Atq́ vni cessit rerum data summa potestas
Quæ superi,manesq́ tenent, immensaq́ tellus.
Illo quippè die nigro transiuit ab Orco
Arduus ad dextrã patris, atq́ adsumta locauit
Membra Patris solio, qualem miserabilis olim
Conspicere optabat Iobus sub imagine nostræ
Velatum carnis, patriaq́ in sede morantem,
Ipse etiam cum carne noua foret obsitus olim.

Hic

Hic genus Isacidum,credentumq́ agmina vbiq́
In Stygio deuincta lacu,quâ nullus aquæ fons,
Sed nebulæ obscœnæ,& torrẽtia sulphure stag-
Duxit ouãs secũ Paradysi ad floridatẽpe, (na,
Non secus atq́ olim Canaæ fatalibus aruis
Sistebat rubeo deductas æquore gentes.
*Luce sub hac etiã primũ de fruge manipl*ũ
Libatum posuêre Deo, sacrumq́ dicârunt.
Ritus is edocuit, primùm quòd lucis in auras
Ex hominũ numero qui seminis instar in agrum
Depositi mollem caperent tellure quietem,
Euasurus humo cœlesti numine Christus
Esset: & ex illo sacrati tempore vates
Primitiæ dicunt horum, qui lumine cassi
Venturi aërias essent iam rursus in auras.
Nam cum gens hominũ meritas exoluere pœnas
Debuerat,quod iusticiæ sic sanxerat ordo
Ferreus: ecce Deo stabat clementia præstò
Inuictum vt nostri posset miserescere pectus.
Non impunè tamen, sed enim sese ipse, suumq́
Filius obiecit caput, in sefeq́ recepit
Iramq́, Culpamq́, & culpæ debita tandem
Supplicia exoluit qui sit iustissimus vnus.
Nec prius ex illo flagrantia declinauit
Corda Pater,totam q̃ exhausit sanguine pœnam
Funditus,amissamq́ reuexit morte salutem,
Iusticiæ decus,& vitæ immortalis honorem,

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-62-quod/start.htm?image=00000083

Pro qua diſcruciandа dedit ſua viſcera ligno,
Et roſeum effudit iam extrema in morte cruorẽ.
Quantos ille tulit languenti corde dolores (ſtrũ,
Cum Stygium contra cuperet contendere mon-
Et mortẽ adpeteret reuocandа ad munera vitæ?
Nam velut in Libani pandentem brachia mõte
Cedrum, aut annoſam bencolẽti cortice laurum
Inclementi Boreæ quatientes flamine lignum
Eruere inter ſe certant: illa acta profundis
In terram longè radicibus, eruta tandem
Prona cadit, lateq; & cominus omnia frangit,
Et terram illiſo conſternunt ſtipite frondes:
Sic dum illum validis impellunt viribus hoſtes,
Illis morte cadens viſus dare maxima damna:
Sic domito ſæuam proſtrauit robore Mortem
Nequicquam vanos iactantẽ brachia dictus,
Inde pedem victor cœtu comitante reflexit.
Nam ne noſtra malis onerentur pectora tantis,
Ipſe ſuum potius pro caris corpus amicis
Proijcere optauit, quàm ſi monumenta ſuarum
Deficerent manuum, & letho reſoluta perirent.
Ipſe igitur nobis tàm ſe, quàm munera parta
Diuidit in numerũ, & conſortẽ gaudet habere
Hæc qui dona fide complexus nititur illis,
Et morti oblucțans clypeum hunc opponere cer-
Ipſe ſua vitam meruit mihi morte, mihiq; (tat.
Iuſticiam pro labe mea, quam ſanguine ſoluit,

Ipſe

Ipſe mihi cœliq; aditus, patriſq; fauorem
Conciliat, ſuperaq; iterum dat luce potiri,
Vnde olim excuſſus, tenebriſq; ſepultus Auerni
Excideram: ipſe iterũ victor de morte reducet
Hæc ſua mancipia, & cœleſti in honore reponet,
Cũ mare tranſibo rubrũ duce et auſpice Chriſto,
Et Canaæ ingrediar promiſſa, & debita fatis
Regna mihi, Elyſiumq; nemus, ſedeſq; quietas.
Nec tum primitijs tantùm locus: integra meſſis
Æterno libata Deo ſiſtetur Olympo,
Omnia grana, omnes collecti faſce manipli,
Omnes & meſſes complebunt horrea cœli.
Infelix lolium, & ſiliquis fallacibus herbæ,
Lappæq; paleæq;, & dumis carduus aſpris
Collecta in nodum torrentibus arida flammis
Nutrimẽta dabunt furuis crepitantia in antris,
Quâ nigræ Eumenides angues pro crine geren-
Et ſcelerũ facies, pœnarũ & nomina mille, (tes,
Auditæ & voces commiſſa antè acta gemẽtum
Nequicq̃, & fruſtrà optantũ iã in priſca reuer-
Corpora, & expertẽ ſpondentũ crimine vitã, (ti
Ni fata obſtiterint, & inexorabile numen
Morte obita, & magno præcluſerit obice pontus
Flammeus, & nouies Styx interfuſa vetârit.
Tu verò, tu gnate Dei, qui gurgite rubro
Iſacidũm gentem Pharia è tellure reduxti
Ad dulcis patriæ fines, feliciaq; arua;

Tu nos, tu medio versantes turbine lethi
Eripe, & aspersos agni cum sanguine sancto
Securos Sathanæ, atq; necis, tecum alta per astra
Duc patriam ad sedem, promissaq; rura piorum,
Quò nulla inuisa facies, nulla impia labes,
Nulla lues, nullæ clades, absque tarentes
Lætitiæ, superûmq; chori, semperq; recenti
Personat assultans cœli domus aurea cantu.

In Paschate, Anno 1564.

RECTOR ACADEMIÆ VVITEBERGENSIS ERNESTVS Ludouicus Dei Gratia, Dux Pomeraniæ, &c.

AB antiquo nobilis Sedes est Principum Saxoniæ, & nunc multis nouis & eximijs ornamentis aucta inter Germanicorum Principum celeberrimas, Oppidum DRESDA, A cuius Oppidi amplißimo ordine, missus est in hanc Scholam optimus Iuuenis MICHAEL CALVVS, Dresdensis & ipse, quem propter spem optimam de ingenio & studijs huius conceptam, Respublica Patriæ ipsius apud nos liberaliter aluit, vt inchoatum cursum horum persequeretur, & in discendi occasionibus præsentibus ad nauandam operam Ecclesiæ Christi & Reip:

& Reipub. matureſceret. Ita autem verſatum cum apud nos in ſtudijs pietatis & literarum comperimus, vt & omnibus, quibus notus eſſet, tàm diſcendo quàm in omni officio diligentia ſua ſatisfaceret, & expectationem de ſe concitatam præclarè ſuſtineret & tueretur, atq; expleturus etiam fuiſſe videretur, ſi vita ei ſuppetiſſet. Sed ſuperioribus diebus Catarrho correpti cœpit, ex genere eorum, qui hoc tempore vulgò grauſſantur, vt morbi ἐπιδήμιοι, hic febrim ei commouit, qua conſumptus mortè obijt, vt ratio iudicat immaturam, & ſtudijs quidem ipſius et expectationi ſuorum planè talem, quòd ad frugem vita nondum peruenißet, cùm per ſe omnis ætas ad mortem matura ſit. Quantum autem in pietatis ſtudijs perfeciſſet, etiam moriens declarauit. Nam inter preces religioſas ſuas, et ſanctiſſimam conteſtationem fidei noſtræ, commemoratione ſententiarum Scripturæ præcipuarum, expirauit, cuius ſententiæ verbo lenem & placidam mortem Hebræi ſignificant. Et à popularibus circumſtantibus petiuit, vt Parentes conſolarentur nuncio mortis piæ & placidæ, Cuius affectus erga ſuos tali tempore argumentum & ipſum eſt ingenij probi, & pietatis non vulgaris, Et ſunt σοφῶν κίνηϱα φύσεως et δίμὲς καυτῆϱες huius, vt Gregorius

nominat, quas in bonis naturis & quæ ab integritate Archetypi eius, ad quem conditi sumus, absunt propius, illustres esse necesse est. Hortamur autem Scholasticos, vt funus demortui ad sepulturam frequentes deducant, quod efferetur hodie HORA QVARTA *ex ædibus, quæ sunt è Regione earum, quas nos incolimus, Ita, & quod nos volumus, & ipsos facere decet, præstabunt.*

PP. 8. Idib. Aprilis.

RECTOR ACADEMIÆ VVITTEBERGENSIS ERNESTVS Ludouicus Dei gratia Dux Pomeraniæ &c.

NEVTRVM *conuenit, neq; vt viuant Scholastici in hoc cœtu sine Magistratu certo, neq; vt ij, qui Magistratum agnoscunt, ignorent leges huius suæ velut ciuitatis. Paulus expressè sancit discrimina & gradus eorum, qui præsunt & obediunt, atq; omnes Magistratui certo subijcit, cùm inquit:* OMNIS ANIMA TOTESTATIBVS SVBDITA SIT, *requirens subiectionem & obedientiam. Quare si qui vel incogitantia hactenus Nomina sua apud Rectorem non fuerunt professi, ijs edicimus, ne*

ne differant diutius, sed ostendant vtrius velint esse Reipublicæ ciues. Neq; enim publicis rebus expedit, vt vel fruantur communibus commodis, vel tollerentur, qui ab honestissima ac sanctissima societate huius pulcherrimi agminis Scholasticorum, qui sine dubio est domicilium DEI, *volunt esse alieni. Si qui vero contumaci contemptu recusantes magistratum præsentem, ex huius sese potestate eximunt sua autoritate, vt soluti legibus impunè peccent, hi se sciant tandem iudicem diuina ordinatione inuenturos esse, cuius sententiæ parere cogentur etiam inuiti.* Ἄγει γὰρ τὸ θεῖον τὸν κακὸν πρὸς τὴν δίκην. *Sed ne & ij, quibus curæ est, Magistratum, vt conuenit, venerari ac colere, καὶ νόμοις τοῖς ἐγχωρίοις ἑπέσθῃ, ignorent quid sui sit officij, néue ignorantia committant aliquid legibus vetitum, cùm nosse suæ ciuitatis mores & instituta vnumquemq; deceat: Constitutum est decreto* SENATVS *Academiæ, vt ad diem Dominicam proximam, quæ est 9. dies mensis Aprilis, publicè repetantur leges Academiæ.*

Præcipimus itaq; Scholasticis, vt perendie Hora duodecima conueniant in Lectorio maiore ad vocem legum audiendam.

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-62-quod/start.htm?image=00000086

Optaremus nonnullos ex Scholasticis accuratius considerare, quo consilio huc missi sint, quid parentes ab ipsis flagitent & expectent, quæ sit erga ipsos affectio, quæ cura & sollicitudo præceptorum, quorum consilia, labores & operas experimur assiduo conatu impendi in hoc vnum, vt commodis, saluti, dignitati, studijs Scholasticorum consulant. Id si facerent, minus negocij facesserent ijs, qui sunt in gubernatione, nec turbarent tranquillitatem aliorum, aut studia sua negligerent, cum irrecuperabili iactura rei preciosissimæ, temporis scilicet, ea parte ætatis, quæ vigentissima & ad omnia honesta studia alacerrima est. His cùm optimè cupiamus, hortamur eos, vt memores officij sui sint, & modestius viuant. ταμεῖον γὰρ τῆς ἀρετῆς ἡ σοφροσύνη *inquit* MENANDER, *et* Νόμοις ἕπεσθαι πάντα δεῖ τὸν σόφρονα. *Modestiæ verò studium & laudem qui spernunt, Cyclopum, non Scholasticorum nomine digni sunt, & ordine, & tales abesse ab hoc cœtu præstaret, cùm & vmbra eorum noceat bonis. Valete, Die mensis Aprilis 7. Anno*

1564.

Oratio

ORATIO PRONVNCIATA AB ILLVSTRISSIMO TRINCIPE ET DOMINO, Domino Ernesto Ludouico Pomeraniæ Duce, RECTORE Academiæ VVittebergensis: Cùm Leges Academiæ Scholasticis repeterentur. Die 5. Iduum Aprilis, Anno 1564.

Cvm Scholæ debeant esse officinæ sapientiæ, et virtutum, iudico vtile esse, vt sæpè repetantur, non tantùm doctrinæ necessariæ, sed etiam commonefactiones, de legum fontibus, & dignitate totius ordinis politici, vt teneris animis instilletur honesta de legibus opinio, & rudior ætas nondum cicurata doctrina, pauiatim assuefiat ad amorem legum, ac disciplinæ, & reuerentiam erga ordinem politicum, quæ assuefactio deinceps adhæret & prodest per omnem ætatem.

Nec minor est laus obedientiæ erga leges, ac Magistratum, quàm magnæ eruditionis ac sapientiæ, vel potius multò illius maior laus est, cùm sit ornamentum hominis præcipuum, complectens totum chorum virtutum, cuius pulchritudinem Aristoteles Hespero ac Lucifero

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-62-quod/start.htm?image=00000087

fero, decus Plato omnibus victorijs olympicis præfert. Quod si corporeis cerni oculis posset vt illa conspiciuntur, ardentiores multò sui amores, & maiorem admirationem commoueret. Sed perspicitur tamen acie mentis, quando legum fontes considerantur, in quibus cùm ostenditur autor legum, & Architectus, ac custos ordinis politici, qui sese in legum sapientia depinxit atque expressit, Si qui hæc audientes, aut leuiter, aut nihil afficiuntur, eos quouis Cyclope feriores esse oportet.

Probo itaq; consilium & consuetudinem huius Academiæ, quòd & leges suas repetit annuatim publica voce, & autoritate, & ante recitationem proponit commonefactiones adolescentibus necessarias. Cumq; & initio me legum autoritati reuerenter subiecerim, & postea libenter paruerim sententijs Professorum huius Academiæ, quando Magistratum Scholasticum mihi imposuerunt: Nunc etiam non grauatim me ab ijsdem huc ad illas ipsas commonefactiones recitandas produci passus sum, cùm id exigeret ratio muneris, quo fungor, & exemplis inuitarer multorũ illustrium hominũ, qui ante me eundem Magistratum gesserunt.

Fateor me aliquam huius rei partem etiam debere institutioni Scholasticæ, quòd à teneris

neris ita assuefactus sum, vt sciam non debere me, vel opiniones, aut cupiditates priuatas anteferre legum sententijs, cuius rei exemplum habeo in Cyro Xenophonteo, vel temere refragari iudicijs, & voluntatibus Seniorum ac prudentiorum. Neq; excidet vnquam animo meo lex Theodosij Imperatoris, in quamcunq; me gubernationis publicæ partem DEVS collocarit, Dignam esse vocem maiestate regnantis, Legibus alligatũ se Principem profiteri. Hanc consuetudinem quæ paulatim iudicio & ætate confirmatur, cùm intelligam mihi maximoperè profuturam esse, meritò Scholas amo & colo.

Sed venio ad id quod nunc agitur. Vos Scholasticos adhortor, vt cogitetis leges sapientiæ diuinæ riuulos: Ordinem politicum & conseruationem humanæ societatis, iusticiæ diuinæ opus: vtraq; testimonium præsentiæ diuinæ esse in genere humano.

De Magistratu verò ita sentiatis, non ab hominum ambitione & πλεονεξίᾳ Tyrannicè rapientium Imperia, aut à violenta oppressione infirmiorum hunc extitisse, sicut multi prophani iudicant: Sed à DEO legibus additum, & autoritate ac potestate diuina armatum esse, cuius officium est, vt sit legum custos. Sicut præclarè describit Magistratum Aristoteles, id est,

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-62-quod/start.htm?image=00000088

id est, vt sonet decalogi vocem in societate Ciuili, vt exequatur pœnas, & coherceat ac puniat delinquentes contra Decalogum, vt cum opus est, suas quasdam leges addat, & interpretetur, quæ non pugnent cum Decalogo, vt pœnas etiã suis legibus sancitas exigat ac persequatur. Leges enim sine pœnis cõtemnuntur. Et laudatur dictum Æschinis: οὐδὲν ὄφελος πόλεως, ἢ τισὶ μὴ νεῦρα ὑπὸ τοὺς ἀδικοῦντας ἔχει. *Certò etiam vobis persuadeatis,* DEVM *tueri, & ordinem suum, & constitutos à se huius ordinis custodes ac præsides, ea seueritate, vt si Magistratus impediatur vel sua imbecillitate, vel delinquentium ferocia, ipse & iudicis & satellitis munus obiens, autores mirabilibus modis, & occasionibus comprehensos atq; irretitos, rapiat ad exquisitas pœnas.*

Est enim certa & immota regula. Non erit benè impio. Item, Non erit impunitum scelus, qua cum congruit Oraculi versus: οὐδεὶς ἀνθρώπων ἀδίκων τίσιν οὐχ ἀποτίσει, *etiam in hac vita. Neque vllus vnquam contumacem violationem legum & ferocem sui Magistratus contemptum, inultum tulit, Neq; impunitatem speret quisquam, qui ordinem diuinum turbauerit.*

Nulli

Nulli exercitus, Satellitia nulla, nulli aggeres, aut propugnacula magis muniunt Magistratum, quàm Pauli Concio ad Romanos, quæ non tantùm ciuiles pœnas contumacibus denunciat, sed eosdem ræos fieri æternæ iræ DEI, *& ruere in æternum exitium, pronunciat. Quotiescunq; ergò legum vocem auditis,* DEI *vos audire vocem cogitetis, & ad Magistratum quotiescunq; acceditis, memineritis, vos, vt Plato ait, ad numen quoddam accedere, cui & vices suas, in ciuili gubernatione societatis humanæ* DEVS *delegauit, & præstò adest, adiungit autoritatem, ac sufficit vires, quando cognoscit ac disceptat causas, dicit & exequitur sententias, deposcit ad pœnas delinquentes. Cuius rei exempla suppeditat quotidiana experientia.*

Sunt autem ordinis politici, post Oeconomias, prima ac præcipua pars, Scholæ, doctrina ac disciplina benè constitutæ, quæ velut seminaria ac promptuaria Ecclesias & Respublicas deinde instruunt. Oeconomiæ enim tantùm gignunt & nutriunt, Scholæ verò formant & excolunt Ecclesijs & Politijs idoneos gubernatores.

Quare certò statuatis, Scholas DEO *eò magis curæ esse, quò magis refert plurimos, quàm*

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-62-quod/start.htm?image=00000089

quàm optimè, à teneris educari, & quàm paucissimos corrumpi, præsertim ea ætate, quæ verè est domicilium DEI, *& custoditur à castis Angelis.*

Ita de Scholastico agmine qui sentiunt: Qui gigantum aut Cyclopum colluuiem, aut Circes stabulum esse putant, in quo sit licentia omnium flagitiorum ac scelerum, hi Scholasticorum nomen, vel ipsi immeritò vsurpant, si his sese annumerent, vel contumelia summa afficiunt, si ab hoc grege sunt alieni. Nec se dubitent grauissimas Deo daturos esse pœnas, qui ætatem innocentem & improuidam exemplis vitæ dissolutioris, & insolentis contumaciæ inuitant ad peccandum, vel seductos aut incitatos etiam cogunt degenerare, & hoc modo conturbant in ipsis Spiritum sanctum, dolore afficiunt optimos parentes eorum, defraudant Ecclesias, & Rempublicam, contumeliosi sunt in DEVM, *cuius Imaginem, quæ restitui debebat, polluunt prius, ac deformant magis magisq́, quàm ab insita labe purgari cœpit atque expoliri.*

Cùm autem conuocati nunc sitis ad audiendas leges Academiæ: hortor vos, eo vt animo illas audiatis, quo vocem de cœlo sonantem admissuri essetis, & amplexuri.

Sunt

Sunt enim inter has præcipuæ ipsa vox Decalogi ita descriptæ, vt verè sint ὁμοίας εὐχαῖς, *quales Plato leges esse debere rectè disputat.*

His additæ sunt quædam de executione, quæ à DEO *Magistratibus mandata est. Obedientiã autem secundũ has leges, memineritis, debere vos primum* DEO, *deinde Magistratui, quam vt præstetis, mouere vos debet ante omnia autoritas diuina, multis declarata præceptis, quibus Decalogo, & legitimo Magistratui dignitas sua atq́ potestas asseritur ac stabilitur. Moueat vos & publicæ tranquillitatis ratio, quam petulanter turbare per se scelus est, etiamsi sequatur Impunitas. Accidit enim quandoq́, vt cœlestes etiam pœnæ, quas* DEVS *infligit, differantur, cum quidem impunitas blandiens ferocibus Ingenijs, acuit studium peccandi augetq́ licentiam. Sed hæc eo ipso quod crescit, pœnarum & numerum accumulat, & atrocitatem exasperat.*

ὕβρις γὰρ ἐξανθοῦσ' ἐκάρπωσε στάχυν
Ἀτῆς, ὅθεν πάγκλαυτον ἐξαμᾷ θέρος.

Nec cunctatur datis occasionibus diabolus, sed ab initijs talibus telas texit nobis inextricabiles, quibus irretitos, conijcit in calamitatum pelagus, quæ deinceps in totas gentes

&

& familias multis seculis grassantur horribiliter. In liberalibus ingenijs verò pius valeat honesti respectus, propter mandatum DEI, *quàm formido pœnarum,* ἢ χὴρ αἰσχρῶς τοῖς καλῶς πεφύκοσιν *secundum Sophoclem. Turpe est dignitatem generis à parentibus acceptã, turpitudine propria, aut contaminare, aut obscurare: Sed omnium maximum est, quòd in ijs, qui perseuerant in delictis contra conscientiam,* DEVS *non est efficax.*

Qua de re grauissima est Syracidæ sententia: Ἀνὴς σοφὸς οὐ μισήσει νόμον, ὁδὲ ὑποκρινόμενος ἐν αὐτῷ ὡς ἐν ναυαγίδι πλοῖον, *id est, vir sapiens non odit legem, Qui verò est hypocrita in ea, est velut in tempestate Cymba. Simulator qui non verè assentitur voci diuinæ, legibus expressæ, sed putat fabulam esse astutè excogitatam ab hominibus ambitiosis, pacis causa, is erit vt cymba in tempestatibus, iactabitur fluctibus cupiditatum, & Diabolorum impulsionibus, ac tandem sine consolatione ruet in exitium æternum. Quid tristius est, quàm esse & manere hostem Dei, & organum Diabolorum, qui contumaces contemtores legum ex vno scelere in aliud, & tandem in tristissimas pœnas corporum & animarum præcipitant:*

Horum

Horum cogitatione excitate & alite in animis reuerentiam erga leges, & ordinem politicum, & nunc, dum in Scholis versamini, & deinceps omni tempore, ad quodcunque vos genus vitæ DEVS *vocârit, & libenter Deo, Magistratui, & honestis legibus obtemperate.*

DIXI.

RECITA LEGES.

POST LEGES RECITATAS.

AVDIVISTIS *leges Academiæ, quas cum fateri omnes oporteat, pias, honestas, & tranquillitati communi vtiles esse, Præcipimus, vt eis obediatis, ea autoritate, quam audiuistis legibus diuinitus attributam esse.*

Debebat post gradum ministrorum Euangelij, agmen Scholasticorum, flos & decus esse Ecclesiæ, Et est flos præcipuus, pij senes Doctores, & pij Adolescentes, quales in hoc cœtu multi sunt. His vtinam non essent admixti alij efferi, qui DEVM, *leges, Ecclesiam, Magistratum, honestam societatem & omnia virtutum officia contemnunt, & Præceptorum conciones atque commonefactiones verè paternas, ideo leuius curant, quòd videant, non satis armatos esse,*

L tos esse,

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-62-quod/start.htm?image=00000091

tos esse, ijs præsidijs, quibus talem petulantiam cohercere possent.

Sed sciant isti, Deum fore vindicem, & se Deo pœnas violati sui ordinis debere, quas persoluent, quando eas Iudex expetiuerit, cuius declinare forum, aut defugere Iudicium non poterunt, & persoluent non præmoniti. Fortasse cum iniuriarum quas fecerunt obliti, beatos se esse, & extra periculum somniabunt, testabuntur suo exemplo, vt multi alij,

Indomitum nihil esse pio, tutumue nocenti.

Precamur autem Filium DEI, Dominum nostrum IESVM CHRISTVM, crucifixum pro nobis, ac resuscitatum, Sedentem ad dexteram æterni Patris, ac dona largientem hominibus, vt Scholam hanc velit manere domicilium Ecclesiæ suæ, & veritatis restitutæ Custodem, sicut fuit huc vsque, Et coniunctionem cum hac Schola Ecclesiarum & Scholarum patriæ & regionum nostrarum, in vna fide & Spiritu vno, qua inter sese hactenus ita deuinctæ fuerunt, vt dissolui nullis humanis, nullis diabolicis artibus potuerint.

Illam ergò Coniunctionem precamur vt conseruet ac tueatur, vt simus omnes vnum in ipso.

FINIS.

Rector

RECTOR ACADEMIÆ VVITEBERGENSIS.

MAGNVM omnino adfert dolorem parentibus orbitas ex amissione liberorum, præsertim si simul quasi eripiatur spes posteritatis cum sobole mascula, suntq; versus Menandri verissimi:

ὁδὶ ωκῃρὸν ζῆν εὐτυχοῦντα ζῳῦ βίῳ
ἔχθ' ἕξκμον διαδόχα τὴν οἰκίαν
σύλοι γὰρ οἴκων παῖδες εἰσὶν ἄρσενες.

Quò enim quisque & prudentior est, & in hac misera vita beatior, eò magis optat nasci sibi hæredes, quos velut in sua collocet vestigia, & cupit παῖδας παίδων καταλίπων, ἀεὶ ζῳῦ θεῷ ὑπηρέτας αὐθ' αὑτοῦ παραδιδόναι, vt de fine coniugij Philosophatur PLATO. Hæc opinio etsi vehementer hominum animos mouet & afficit: tamen maior est vis σοφῶν, quæ non assumuntur & ponuntur opinione aliqua tali aut persuasione, neq; induuntur & exuuntur consuetudine longi temporis, sed flammulæ sunt in cordibus vtrorumq; parentum ac liberorum vi seminum propagatæ, indeq; expressæ & accensæ vi quadam naturæ, quam admirando consilio & artificio naturæ indidit summus Architectus, qui hos igniculos ardere in

cordibus perpetuo, cognatæq; originis ac naturæ occulto sensu excitari, & transfusorum vtrinq; in osculis mutuis spirituum commixtione augeri & ali voluit, vt nos de amore DEI erga genus humanum commonefacerent. Cumq; ad cognatæ naturæ obiectum quasi destinato motu nec aliorsum ferantur, & in eo solo cum quadam suauitate acquiescant, si obiectum illud vel lædatur vel destruatur, in ingens incendium exardescunt, quod cor ipsum magno cum dolore deurit, magna vehementiq; commotione exagitat ac fatigat. Hanc τῶν σοφῶν vim qui experti intelligimus & meminimus quanta sit, doleamus de orbitate illorum, qui multiplicibus nobis officijs coniuncti atque deuincti dolores similes sæpe sunt perpessi & hos illis lenire studeamus. Ereptus est autem heri hora Sexta præmatura morte Doctori Iohanni Hermanno filiolus IACOBVS vnicus, sequutus matrem, quæ ante menses septem præcessit, qui ex matre vnus fuisset columna huius familiæ, si vixisset, & ad calendas Maias, annum compleuisset. Huius interitum quo animo ferat pater, cùm hunc habuerit vnicum, quo senex auus Doctor MELCHIOR FENDIVS, cui hac ætate molestiæ senectutis funeribus suorum cumulantur, in quibus ei spes longæ poste-

ritatis sita fuit, facile quiuis intelligit, cuius animus non prorsus friget aut stupet. Cum autem præclara extent merita vtriusq; erga Academiam, decet nos eorum luctu affici, & dare operam, vt opis aliquid & leuationis dolori ipsorum adferamus. Hunc animum esse nobis ostendamus in deductione funeris, quod fiet hodie hora 12. Id vt scholastici frequentes prosequantur, & se, hanc scholam, & regionem pijs precibus Deo commendent hoc difficili tempore, quo nil nisi armorum crepant strepitus, præcipimus.

STVDIOSIS DOCTRINÆ SACRÆ S. P.

CRas auxiliante Deo hora & loco solito ad explicationem secundi capitis in Genesi accedemus, Quod totum cùm hominum causa scriptum sit à Mose, regente ac gubernante mentem & manum eius Spiritu sancto, Et testimonia recitet multa & illustria amoris diuini erga nos inenarrabilis, pertinentia ad sapientiæ doctrinam, de qua Delphicum illud γνῶθι σεαυτον, singulos & omnes monet, vt nosmetipsos rectè cognoscamus, Sæpissimè id & diligentissimè legendum ac cogitandum est. Id propterea significo publicè, vt si quos sapi-

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-62-quod/start.htm?image=00000093

entiam hanc diuinam audire aut discere iuuat, Aut sui cognitio delectat, Aut gratitudo erga conditorem benignissimum ad cognitionem rerum illarum maximarum excitat, Hi nostris se auditoribus, καὶ ὁμιλίαις, in quibus Mosen nos erudientem ac docentem sonamus, coniungant. Nos Deo iuuante, ita enarrationem instituemus, ne fides, assiduitas ac studium qualecunque accusari meritò possit. Bene vale candide Lector. 9. Aprilis. 64.

Paulus Crellius Doctor.

RECTOR ACADEMIÆ VVITEBERGENSIS ERNESTVS Ludouicus Dei Gratia, Dux Pomeraniæ, &c.

SERVATAM esse hactenus consuetudinem didicimus, inde ipse vsque ab obitu Reuerendi viri D. PHILIPPI MELANTHONIS, vt ad 13. Calend. Maij, quo ille ex hac vita discessit, celebretur memoria duorum huius Academiæ præcipuorum luminum LVTHERI & MELANTHONIS, qui ex hac Cathedra docendo Ecclesijs puritatem doctrinæ cœlestis: scholis, & hanc & veram ac solidam Philosophiam reddiderunt. Quæ duæ res cum per

per se dignæ sunt, quæ posteritati commendentur, hunc morem eò magis probamus, quòd tali occasione celebratur DEVS autor horum beneficiorum, & gratiæ pro his aguntur, petiturq́; coniunctis votis & animis eorundem conseruatio ac propagatio, quæ non minus DEI opus est, quàm ipsa fuit restitutio. Vt enim non sapientiæ fuit aut industriæ humanæ veritatem cœlestem ex tot tantisq́;, & tàm intricatis atque inueteratis erroribus eruere & explicare, Sic non putemus sustineri eam, atque defendi aduersus impetus tot & veterum machinationum & nouarum atq́; admirabilium disputationum, quibus ex omni parte nunc quassatur ac tunditur, solo præsidio, vigilantiæ, curæ, dexteritatis, industriæ aliquorũ hominum, Sed consistere illam atque insultus hosce vincere DEO custode & vindice. SYNODVS Tridentina veteres κόκκυσμοὺς repetiuit eadem pertinacia qua ante, Sed impudentia aliquanto maiore in tam clara doctrinæ luce. Nunc ablegantur πρεσβεύται Cardinales in Germaniam, qui decreta de altera cœnæ Dominicæ parte, & de cœlibatu sacerdotum laxent, tanquam res, vt ipsi loquuntur, Iuris positiui. O egregios νομοθέτας, qui suorum Canonum, id est, traditionum humanarum autoritatem ita ex-

 tollun

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-62-quod/start.htm?image=00000094

tollunt & amplificant, vt eos, qui hos violant, audeant pronunciare reos æternæ damnationis commentitia poteſtate. Sed quæ mandati ſunt & inſtitutionis diuinæ, eoq; ipſo immota, quibus violatis conſcientia verè fit rea iræ DEI, *& niſi reſipiſcat, ruit in exitium æternum, hæc ergo ita abijciunt, vt non vereantur affirmare, quòd ſint Iuris poſitiui, quæ mutilare, mutare, abolere, aut ſi ita videatur reuocare & redintegrare arbitrio noſtro liceat. Hanc tàm manifeſtam impietatem, vel potius hæc ludibria impietatis Pontificiæ* DEVS *puniet tandem publicis cladibus, & huius autores ac defenſores delebit penitus, Sicut Orientem puniuit propter Arij blaſphemias. Tàm manifeſta eſt in decretis Tridentinis impietas, vt fallere neminem poßint niſi ſua culpa cæcutientem. Ab his tantis furoribus, quod non eſt cur veritati metuamus amplius, Id debemus* DEO *autori & his organis diuinis, quorum opera adduci nos* DEVS *ad agnitionem ſui voluit. Meritò igitur grata horum memoria retinetur & colitur, cum gratiarum actione ad* DEVM, *& precatione. Et quanquam hæc vota aßidua eſſe debent: tamen repeti in congreſſu publico iis temporibus vna quaſi voce omnium, & vno ſpiritu conuenit quibus ab animis & circumſtantia*

ſtantia temporis commonefactis, & vnius ceu præeuntis voce excitatis, concipiuntur ac funduntur ardentiora. Cùm ergò ad proximum diem Mercurij Clariſs: vir, & poëta eximius, Doctor IOHANNES MAIOR, *Profeſſor huius Academiæ, & nobis plurimum dilectus, conſtituerit priorum annorum exemplo & conſuetudinne, horum duorum virorum memoriam Scholæ commendare carmine, hortamur ſcholaſticos, vt hora duodecima frequentes conueniant in auditorio maiore, & communibus votis* DEO *gratias agant pro reſtituta & conſeruata huc vſque doctrina cœleſti.*

Cumque certò manſura ſit aliqua Eccleſia vſque ad glorioſum aduentum filij, qui exaltatus carne, rediturus eſt carne, vt iudicet genus humanum, cumq; in illa Eccleſia ſonatura ſit hæc ipſa vox doctrinæ, quam noſtræ Eccleſiæ profitentur eandem cum Prophetis, Apoſtolis, & Eccleſia Chriſti omnium temporum, petant vt DEVS *ſeſe, & poſteritatem ſuam illius cœtus vera & viua membra eſſe, ac manere velit. Bene & feliciter Valete Die 16. Aprilis Anno 1564.*

L 5 *Rector*

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-62-quod/start.htm?image=00000095

RECTOR ACADEMIÆ VVITEBERGENSIS, ERNESTVS Ludouicus, Dei gratia Dux Pomeraniæ &c.

DIES Calend Maij, dies est mortis Arcadij Imperatoris, qui filius fuit Theodosij primi, & pater secundi seu iunioris Theodosij. Decessit is autem anno Imperij decimo tertio, Anno Christi quadringentesimo duodecimo: Anno vno ante mortem IOHANNIS CHRYSOSTOMI, qui exul in limitibus Armeniæ diem suum obijt, pulsus vrbe & Episcopatu artibus Eudociæ Imperatricis, quæ oderat Episcopum propterea, quòd reprehenderet eius fastum & insolentiam, & acuebatur odium cuiusdam hypocritæ SEVERIANI artificijs, cui Chrysostomus autoritatem conciliarat, sed aula, spes potentiæ, & ambitio ingenium mutarant, vt fit vsitatè. Biennio post capta est à Gottis vrbs ROMA, Alarico duce, qui fuit annus à deleta Carthagine quingentesimus quinquagesimus sextus. Præsagijt animo hanc patriæ cladem SCIPIO Æmylianus victor, cum spectans conflagrationem vrbis antiquissimæ, & potentissimæ, quæ totos annos septingentos florucrat libertate, opibus, Imperio,

Imperio, cum multis lachrymis recitauit de vrbe ROMA hos præsagos versus, Polybio historico præsente, qui & præceptor eius fuit:

ἔσσεται ἦμαρ ὅταν ποτ' ὀλώλῃ Ἴλιος ἱρὴ,
καὶ πρίαμος καὶ λαὸς ἐϋμελίω πριάμοιο.

Etsi autem gubernatio horum principum Theodosij senioris patris, filiorum Arcadij & Honorij, Nepotis Theodosij salutaris fuit Ecclesiæ: Tamen Imperium Occidentis tunc detrimentis est affectum maximis, ac penè prorsus dilaceratum à gentibus diuersissimis, quas commouerunt & sedibus exciuerunt suis fatales causæ mutationum publicarum, occasionibus mirabilibus. Gotti Italiam, Franci Galliam inuaserunt, contra illos acciti sunt Longobardi: Contra hos Burgundi, Sueui, Alani, Vandali, qui tota Gallia peruastata tandem Hispanias occuparunt. Orientem infestarunt assiduis incursionibus Persæ. Harum gentium collisionibus & confusionibus inter sese, cum magna multitudo hominum deleta, & in nonnullis Occidentis partibus etiam Lux doctrinæ vel obscurata, vel extincta sit: Bella enim confirmatorum & impunè grassantium scelerum pœnæ sunt communes & fatales, & secundum Poëtam κακωδείσης τῆς γῆς νόσε

καὶ

καὶ τὰ θεῖα, *Non tantum quia negliguntur res diuinæ, sed multò magis quia commixtionibus gentium commiscentur religiones diuersæ: Tamen ita hæc pericula superauit Ecclesia protectione diuina & pijs horum principum consilijs, vt non tantum conseruata, sed multis controuersiarum maximarum explicationibus illustrata, & grauissimis piorum hominum testimonijs atq; confessione stabilita sit. Synodus Ephesina celebrata à Theodosio secundo refutauit Nestorium, cuius erat dogma: Diuinam naturam humanæ coniunctam fuisse sola societate seu potestate, non vnione hypostatica. Mileuitana Synodus in Africa decreta fecit contra Pelagium, quem eodem seculo grauissimè refutauit* AVGVSTINVS, *qui fuit Episcopus ab initio Arcadij vsque ad finem Theodosij per annos quadraginta, quo tempore à Genserico Vandalorum rege in vrbe Hippone est obsessus. De illorum ergo temporum historia hic nos dies commonefaciat, quam cum intuemur, repetamus & nostra tempora, quibus mirabiliter* DEVS *hanc Sareptam, quæ consilijs & viribus maximæ partis Europæ oppugnata est, hucusque defendit ac tutatus est. Cumq; Carolus Imperator potuisset exercere sæuiciam in pios & recte sentientes, &*

& incitatus esset ab adulatoribus Pontificijs: Tamen DEVS *ita repressit & flexit animum eius, & plurium aliorum, vt ab eo tempore in dies singulos multi facti sint mitiores. Multis etiam partibus doctrinæ lucem attulerunt explicationes, quibus præbuerunt occasionem certamina mota ab inquietis & turbulentis ingenijs. De his beneficijs gratias nos agere decet* DEO, *quoties conuenimus hisce diebus, quibus fit solennis renunciatio Magistratus Scholastici, quia intuentes nostrum magistratum, animo & cogitatione complecti debemus & politias pias orbis Christiani & Ecclesias, & his vniuersis bene precari. Cum ergo crastino die simus promulgaturi decretum Senatus Academiæ de Magistratu, qui per æstiuum semestre rebus scholasticis præfuturus est, Præcipimus scholasticis, vt frequentes post sextam manè adsint in templo Academiæ, quod est ad arcem, &* DEO *gratias agant, quòd omni tempore inter conflictus opinionum, gentium confusiones, imperiorum ruinas aliquam seruauit Ecclesiam, ac dedit interdum salutares Principes, quibus doctrinæ puritas curæ fuit, ac petant ita porrò, vt gubernet hanc scholam suo Spiritu sancto, vt maneat exemplum illustre* καὶ ὑποτύπωσις ὑγιαινόντων λόγων

&

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-62-quod/start.htm?image=00000097

& omnium piarum ac honestarum virtutum gentibus exteris, quæ ad hanc scholam tanquam matrem respiciunt. Ita etiam studia sua & vitam instituant, vt eandem suo quisque loco ornet, non dedecoret. Pridie Calend Maij, Anno 1564.

FORMA RESIGNATIONIS MAGISTRATVS SCHOlastici, qua vsus est Illustrissimus Princeps Pomeraniæ &c. Dominus ERNESTVS LVDOVICVS, *cùm Magistratum Illustrissimo etiam Principi Pomeraniæ &c.* BARNIMO IVNIORI *fratri suo dilectissimo traderet, & gubernationem rei scholasticæ commendaret.*

MVLTÆ magnæ incidunt difficultates in omnem quantumuis salutarem & placidam gubernationem. Nam & hominum naturæ sunt infirmæ, & odio DEI *grassantur Diaboli homicidæ, qui imbecilles naturas incendunt, vt conturbent disciplinam, & moueant Respublicas. Id docent exempla omnium historiarum, & quottidianæ experientiæ. Sed vos qui in doctrinæ studijs versamini, præcipuè decet hæc considerare & intelligere, & his com-*

commonefactos reprimere errantes impetus, quibus turbatur vitæ ordo, ac petere ardentibus votis, vt cœtibus hominum DEVS *ipse adsideat, consilijs interfit gubernatorum, & flectat mentes ipsorum, ac subditorum ad virtutum intellectum atque amorem. Verissimum est enim, quod à Salomone scriptum est, Vt oculi videant & aures audiant, Deum facere vtrumq;, id est, vt qui præsunt rectè consulant suis, et subditi modestè obtemperent, nec furenter dilacerent benè constitutum ordinem, hæc* DEI *beneficia esse, adsidentis ad gubernaculum, sicut in naui ad clauum adsidet gubernator. Hæc vota assiduè repetere debetis, sed tali tempore ardentius, quando fit renunciatio Magistratus vestri publica, vbi conspectus Magistratus de toto vos ordine politico commonefaciat. Mecum igitur omnes his verbis precemini: Tibi æterne* DEVS, *pater Domini nostri* IESV CHRISTI, *conditor, & conseruator omnium rerum & Ecclesiæ tuæ, vnà cum filio & Spiritu sancto, qui in societate generis humani vis conspici sapientiam tuam, iusticiam, & bonitatem erga genus humanum, & vis politias esse hospitia Ecclesiæ tuæ, Tibi ergò toto pectore gratias agimus, quod in tantis furoribus hominum, qui varijs sceleribus*

vitæ

vitæ ordinem turbant, seruas tamen aliquas politias in his regionibus, & nostris atque alijs pluribus, in quibus sonat vox Euangelij, excoluntur artes vitæ communi necessariæ, Ecclesiæ velut nidulos habent, vita ciuilis non Tyrannicis imperijs, sed sapienter & iustè scriptis legibus regitur, & mores hominum mediocri disciplina frenantur. Et oramus vt has politias porro tuearis ac regas, ne opinionum ac morum tetræ confusiones existant, sed maneant ac vigeant vox Euangelij, honesta ac necessaria studia, leges, iudicia, & omnes nerui disciplinæ, vt semper inter nos perpetua DEO *colligatur Ecclesia. Hæc bona & peti præcepisti, & affirmas te daturum esse propter filium. Confidimus itaq; te vota ac gemitus petentium ea exauditurum esse. Ab hac precatione exorsi, nunc significamus vobis singulari consilio Senatus Academiæ decretum nobis esse successorem in magistratu scholastico per hoc æstiuum semestre Illustrissimum Principem & Dominum, Dominum* BARNIM *Stettini & Pomeraniæ ducem &c. fratrem nobis dilectissimum. Et adiunctum illi esse Pro rectorem, Virum eruditione, virtute & singulari prudentia excellentem,* CASPARVM PEVCERVM, *Philosophiæ & Medicinæ*

dicinæ Doctorem, eiusdemq; in hac Academia Professorem celeberrimum. Hunc vobis Magistratum constitui cogitetis à DEO, *non tantùm autoritate Præceptorum vestrorum. Quare qui* DEVM *timent, vera se reuerentia ei subijcient, & omni obedientia eum colent. Qui & Deum & Magistratum contemnunt, meminerint* DEVM *contumaciæ vindicem esse, & se persensuros tandem in animis, qui comitari hanc solent horribiles conscientiæ cruciatus, qui furiæ sunt vltrices contumaciæ, & in exitium agunt reos violatæ obedientiæ.*

Nunc tuæ dilectioni trado & Magistratum & insignia huius atq; ornamenta, & opto precorq; vt gubernatio T. D. sit tranquilla ac salutaris, Talis sine diuino auxilio cum esse nequeat, oro DEVM *æternum patrem Domini nostri* IESV CHRISTI, *vt ipse sit Rector Academiæ, ac T. D. & nos omnes clementer gubernet & adiuuet.*

DIXI.

Calendis Maij, Anno 1564.
in templo Arci adiuncto.

M Recto-

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-62-quod/start.htm?image=00000099

RECTORATVS SEMESTRIS ÆSTIVI ILLVSTRISSIMI PRINCIPIS AC DOMINI, D. BARNIMI Philippi F. DEI gratia Stetinensium, Pomeraniæ, Cassubiorum, Vandalorum Ducis Rugiæq; Principis, ac Comitis Gutzcouiæ &c. Anno Christi M. D. LXIIII.

GEORGIVS MAIOR PIO LECTORI S. D.

MANIFESTVM est Pauli organi à DEO electi scripta non modo velamen Mosi tollere, sed toti veteri Testamento lucem afferre, quæ & Petrus Apostolorum Princeps magnifacit, & Sapientia diuina ipsi ad hoc concessa scripta esse affirmat. Ideo omnibus studiosis sacrarum literarum Epistolæ Pauli nunquam è manibus deponendæ sunt, & familiarissimè notæ esse debent, & vt notæ essent, graui, pio, & bono consilio institutum est, vt earum enarratio in Schola hac sit perpetua & assidua. Sunt autem ordine iam per annos aliquot à me explicatæ hæ Epistolæ, si non ita eruditè, attamen singu-

singulari diligentia, & fide, & restat iam explicanda, ea quæ ad THILEMONEM est, ordine quidem sed non tempore postrema: Scripta enim Romæ est eo biennio, quo ibi in vinculis fuit, quo tempore Demas adhuc cum Paulo, nondum amplexus præsens seculum, deserto Paulo profectus Thessalonicam erat, & ad Galatas, Ephesios, Philippenses ac Colossenses scripsit Paulus. Etsi autem breuis est Epistola, & quidam etiam Hieronymi temporibus indicarint indignam, quæ inter Paulinas numeraretur: Tamen verè γνήσιον Pauli scriptum esse, ostendunt & rerum pondera & argumentorum nerui, quibus hîc in persuadendo vtitur, ac verborum lumina, & loci doctrinæ maximè necessarij & cognitione dignissimi, quos in argumento Epistolæ, deinde etiam in eius Enarratione Auditoribus ostendemus. Atque haud scio, an vllum vllius hominis eloquentis Græci aut Romani scriptum, vel in Ecclesia DEI, vel extra Ecclesiam, in hoc genere scribendi, SVASORIO nempe extet, quod huic vel aliqua ex parte conferri possit. Ita miranda breuitas Orationis est, & tamen Argumenta confertim posita, vt subinde vnum alterum vrgeat, miscentur affectus crebri & ad mouendum & per-

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-62-quod/start.htm?image=00000100

ſuadendum efficaciſſimi, vt non humanam, ſed diuinam eloquentiam hîc in Paulo agnoſcas, ſuperantem longè omnium Oratorum Græcorum & Latinorum dicendi vim & maieſtatem hac Epiſtola quanquam breuiſſima, Cuius Enarrationem, Deo iuuante, ordiemur proximâ die Lunæ, hora tertia, loco ſolito.

RECTOR ACADEMIÆ VVITTEBERGENSIS BARNIMVS Iunior Dei gratia Dux Pomeraniæ &c.

COMMEMORABILIS eſt & eximia liberalitas, atque munificentia Illuſtriſſimi Principis ac Domini D. AVGVSTI, Ducis Saxoniæ, Electoris &c. conſanguinei & affinis noſtri honorabilis & dilecti, in conſeruandis ſtudijs diuinæ & humanæ ſapientiæ ad gloriam DEI æterni, & veritatis propagationem, & ſalutem publicam & priuatam omnium tàm ſuorum quàm externorum. Qui & ſolus ex Principibus Germaniæ præclarè conſtitutas à maioribus ſcholas publicas duas habet, & conſeruat, & priuatas tres illuſtres. Cumq; in Academiâ Lipſica hactenus in ſtudijs Theologicis & bonarum literarum alantur ſumtibus

tibus eiuſdem ſeptuaginta & aliquot diſcipuli, Nunc & in hac altera Academia ſua, ad alendos pauperes ſcholaſticos in Theologiæ, Iuriſciuilis, Medicinæ, & bonarum artium ſtudijs, ſua ſponte decreuit aureorum. M. D. penſionis annuæ, qui iam ſtatim diſtribui incipiantur, Quibus etiam præterea beneficijs hanc Eccleſiam & Academiam denuò augeat atque cumulet, hoc loco non eſt dicendum, & paulò pòſt ipſum ſeſe oſtendet atque apparebit. Hoc tamen quod nunc promulgatur quale ſit, & & quantum: præſertim in horum temporum periculis & difficultatibus: æſtimare licet bonis & intelligentibus atque amantibus Reipublicæ omnibus, qui & hanc penè regiam munificentiam venerabuntur & celebrabunt vbique locorum, & auguſtiſſimum nomen immortalitati commendabunt.

Sicut autem ſententioſe dixerunt Teutonici veteres, diuinitus vitam produci ijs, qui ſationibus ſtudent, quod horum labor proſit poſteritati, inprimis in cultura hortenſi, quando arbores ſeruntur, quæ profuturæ ſunt alteri ſeculo, Ita multo magis vita & ſalus à DEO conſeruatur eorum, qui liberalitate ſua ad poſteritatem conſeruant ſtudia ea, quibus veritas cœleſtis & ſocietas humana carere non poteſt,

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-62-quod/start.htm?image=00000101

teſt, vt diu multumq; proſint generi humano. Et plantantur hoc modo etiam ab ijs cœli, qui ſunt nutritores Eccleſiæ et ſtudiorum, quæ huic vtiliter ſeruiunt. Sed hæc alijs locis & temporibus relinquenda ſunt, & nuper publicè in ſcholaſtica feſtiuitate de Illuſtriſsima donatione ſolenniter dici audiuiſtis.

In præſentia autem mandamus omnibus petitoribus horum ſtipendiorum nouorum, qui ab Illuſtriſsimo Principe Electore &c. ad examinationem huc miſsi ſunt, & præſentes aſſunt, vt abſente D. CASPARO TEVCERO noſtro viro clariſsimo, hodie profiteantur nomina ſua apud D. Paulum Crellium Theologiæ Doctorem, & quid facere eos oporteat ex eodem cognoſcant. Cæteris verò, qui nondum aduenerunt, octiduum præfinimus, intra quod ſe hîc ſiſtant examinationi inſtitutæ, vt edoctus de ingenio, & ſtudijs ſingulorum Illuſtriſsimus Princeps Elector ſtatuere poſsit, quibus hæc beneficentiæ ipſius ſtipendia noua rectiſsimè conferri poſsint, & quamprimum hac frui incipiant, eo modo, quem ipſius Illuſtriſs. excelſitas definiuit, atq; præſcripſit. P P. V. Non. Maij.

Dialec-

DIALECTICÆ STVDIOSIS AVDITORIBUS S.

REDIIT iam nobis DEI beneficio labor actus in orbem, quo ſcilicet Dialecticarum præceptionum explicatio, altero ab hinc menſe abſoluta, nunc rurſum Deo iuuante inchoanda & repetenda eſt. Ita enim maiorum conſilio & ſapiente & vtili ſtudijs adoleſcentiæ conſtitutum eſt, vt Dialecticæ artis vnius omnium maximè neceſſariæ perpetua ſit, ſubindeq; repetatur lectio, atq; idem nunc etiam ſtudiorum communium gubernatoribus reliquis placere intelligo. Horum igitur & grauiſsimo iudicio, & piæ de veſtris ſtudijs ſollicitudini & honeſtiſsimæ voluntati veſtræ, ſtudioſi adoleſcentes, induſtriam reſpondere & obtemperare iuſtum eſt. Ita enim veſtræ ipſorum vtilitati rectiſsimè conſulueritis. Ego igitur, quod ſtudijs communibus ſalutare ſit, Cras Deo dante, hora nona rurſus inchoabo Enarrationem Præceptorum Dialectices, quæ quidem illuſtribus & vtilibus exemplis ex cœleſtis Doctrinæ & aliarum artium, in quibus verſamur, tractatione ſumptis, more conſueto declarare ſtudebo. Non. Maijs 1564.

P. Vincentius Vratisl.

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-62-quod/start.htm?image=00000102

1564.

RECTOR ACADEMIÆ VVITEBERGENSIS, BARNIMus Iunior Dux Pomeraniæ &c.

QVOD fœlix sit & faustum atq; Ecclesiæ filij Dei et toti posteritati vtile ac salutare, cras inchoabuntur examina eorum, quos Illustrißimus Princeps AVGVSTVS Dux Saxoniæ, sacri Romani Imperij Elector &c. ab Academia audiri, & explorari voluit, priusquàm admitterentur ad ea beneficia, quæ pia munificentia Celsitudo ipsius nuper Academiæ attribuit, eo fine, vt inde alerentur in studijs, quorum opera prodesset deinceps Ecclesiæ & Reipublicæ. Hæc examina & totum hoc negotium, quod pio sapientiq; consilio susceptum atq; constitutum est, vt gubernet, atq; adiuuet filius DEI Dominus Iesus Christus, qui se adfuturum promisit congregatis in nomine suo, toto precamur pectore. Mandamus igitur ijs, qui ad Theologiæ studia capessenda atq; persequenda sese obtulerunt, cras hora duodecima adsint in area Collegij, & expectent donec ad examen vocati fuerint. Datæ 8. Maij, Anno 1564.

Re-

1564.

RECTOR ACADEMIÆ VVITEBERGENSIS BARNImus Iunior Dux Pomeraniæ &c.

PRIMA à temporibus Apostolorum Ecclesia, cœnam Domini nominauit Ἀγάπην, quòd simul esset fœdus & vinculum mutuæ dilectionis. Accessuri enim ad κοινωνίαν, prius se osculabantur & offerebant Eleemosynas ad alendos ministros & pauperes, quas qui colligebant, & deinceps distribuebant, hi vocabantur Diaconi, vt testatur Apostolorum historia. Eleemosynæ ipsæ verò Ἀγάπαι dicebantur, quod sicut oscula symbola erant, sic eleemosynæ velut σφραγίδες essent dilectionis mutuæ, & obligationis ad officia necessaria debitæ mandato diuino, de quibus vitu cœnæ Dominicæ cõmonefierent. Nec fuit aliud Diaconorum munus vsq; ad Gregorij Magni tempora, & aliquanto post etiam, quàm quòd Oeconomi, id est, pecuniæ publicæ, & annuorum prouentuum Ecclesiæ fuerunt custodes, ac dispensatores. Sed cùm opes Ecclesiæ ex collationibus quotidianis & redditibus annuis creuissent, & nonnulli ex Diaconis auarè & iniustè administrarent pecunias publicas, Canonibus officia Diaconorum describi astringiq; oportuit, quibus &

M 5 pro-

prouentus annui in quatuor sunt partes distributi, quarum vna in ministros Ecclesiæ insumpta est, Altera in pauperes domesticos, Tertia in ædificia sarta tecta conseruanda, Vltima in egenos exteros & aduenas. Ita vera Ecclesia semper post ministros præcipuè curam egit pauperum, quos negligere, vel insuper contumelia afficere etiam scelus piaculare fuit apud Ethnicos, quibus pauperes & hospites Deo curæ esse, & protegi, seruariq; diuinitus ex noticijs natura notis & insita singulis hominibus φιλοστοργία erga cognatum genus, persuasum erat. Noti sunt versus Homerici:

ξεῖν' οὐ μοι θέμις ἐστὶν οὐδ' εἰ καίκων σεθεν ἔλθοι
ξεῖνον ἀτιμῆσαι, πρὸς γὰρ διός εἰσιν ἅπαντες
ξεῖνοι τε πτωχοί τε.

Sed Ecclesia suæ beneficentiæ habet plures causas & maiores præter noticias legis naturæ & innatas στοργὰς, *Nimirum mandatum Dei, promissiones, exemplum filij Dei. Et durauit vetus in Ecclesia consuetudo eo vsq;, donec natus ex opibus luxus omnem veterem disciplinam euertit, & extinxit, & facultates Ecclesiasticæ ministris & pauperibus ereptæ cesserunt auaritiæ, luxui, libidinibus, superbiæ Pontificum & Episcoporum, qui studio & cura doctrinæ*

1564.

ctrinæ abiectis, id dederunt operam, vt excogitatis nouis subinde Idolorum & superstitionum præstigijs, superbiæ & potentiæ suæ instrumenta amplificarent & cumularent.

Veterem Ecclesiæ morem in conferendis eleemosynis ad pauperes iuuandos ac subleuandos, eò studiosius nos imitari & colere decet, qui illustrati luce doctrinæ, quæ in prima Ecclesia fulsit, mores ex Apostolorum natos atq; profectos institutione optimos ac laudatissimos intelligimus, & hos eosdem postea cum ipsa doctrina corruptos in Pontificijs reprehendimus, quo maiorem Deo gratitudinem debemus, & quidem in Academijs maximè, in quibus plurimos quotidie præsens nobis offert & commendat necessitas, natura idoneos ad literas, sed multis difficultatibus implicitos, quibus opitulari iustissimum est, cùm Ecclesiæ prodesse possint. Quare vt sit occasio reuocandi moris pristini & huius beneficentiæ exercendæ, quæ antiquissima in Ecclesia fuit, & præcipuis testimonijs ac promissionibus ornatur, constituti sunt, qui vt olim Diaconi, eleemosynas à scholasticis hoc tempore colligunt, adseruant, & de sententia Academiæ distribuunt, præsertim ægrotis, quorum necessitati vt quouis tempore consulatur, Nosocomium publicis sumptibus instruitur.

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-62-quod/start.htm?image=00000109

tur. Hi cùm biduo circumituri sint, hortamur Scholasticos, vt pro facultatum suarum modo hilariter et liberaliter conferant. Cumq; DEVS hoc beneficentiæ genus exigat, & remunerationem spondeat, certò confidant singuli cultum Deo sese præstituros gratissimum, & expectent vicissim præmia à Deo fœlicis successus in studijs, & in omnibus consilijs, & actionibus vitæ. Valete bene & fœliciter. Datæ in festo Ascensionis 1564.

RECTOR ACADEMIÆ VVITEBERGENSIS, BARNImus Iunior Dux Pomeraniæ &c.

EXPLORATIONEM fieri eorum, qui frui cupiunt munificentia Illustrissimi Principis, Ducis Saxoniæ Sacri Romani Imperij Electoris &c. priusquàm ad beneficij perceptionem admittantur, vtile est, non ideò tantum, vt beneficia ipsa rectè collocentur, & tribuantur idoneis, Sed multo magis, vt in delectu ingeniorum, quorum magna est varietas, rectè consulatur Ecclesijs, Rebuspublicis & Scholis, quarum vsui tales destinantur. Multum enim refert qualia sint ingenia eorum, quibus commendandum est deinceps opus omnium in ge-

nere humano maximum, scilicet, munus docendi, & gubernandi, à quo procul arcendi sunt inquieti, turbulenti, perplexi, ambitiosi, Nam & doctrinas corrumpunt, & Ecclesias ac Respublicas turbant, & exemplo nocent. Cùm autem nuper auditi sint, qui sese Ecclesiæ addixerunt, vt huic seruiant in propagatione doctrinæ sacræ, constitutum est, vt hodie explorentur, qui suam Illustrissimo Principi Electori operam ad medicinæ studium indicarunt, & detulerunt. Hos ergo hodie adesse iubemus in area Collegij horâ secunda, & præceptoribus sese sistere & examina subire.

IMAGO ROSÆ.

VER redit, & Zephyri flatu rosa surgit in auras,
Æmula quæ Christi monstrat imago necem.
Is caput intextum paliuri germine habebat
Vt rosa quæ spinis pendula fixa iacet.
Et quia lacteolum depicta est sanguine florem,
Hoc est quod Christi saucia membra refert.
Nec rosa nomẽ habet soleat quod rodere quenq;,
Sed iacet à spinæ cuspide rosa rosa.
Sic quamuis Christum plagis adflixit Apella,
Crucq; humeros pressit, spina cruẽta caput:
Ille

Ille tamen patiens ſacros exhalat odores,
Atq; offert ſummo vota, precesq; patri.
At leuat arcano naturæ fœdere luctum,
Pellit & erecta nubila fronte roſa.
Sic pacem reuocbit Chriſtus mortalibus ægris,
Qui capiunt ipſum non dubitante fide.
Cumq; roſæ in florem Sol ardens lumina ſpargit,
Deijcit ardenti victa calore comas.
Sic Deus in natum calidam cum ſparſerat iram
Vt luit humanum victima facta nefas:
In cruce marceſcens mortalis forma cadebat,
Maieſtas obitus neſcia mente latet.
Purgat & obſcœnã vultu roſa perlita lepram,
Sic leuat is turpi perdita corda lue.
Atq; vbi lethifero corpus ſuccenditur æſtu,
Et torret calidum febris anhela iecur:
Nõ magis vtilior tabem leuat herba calentem,
Illita quàm toſtæ ſi datur vnda roſæ.
Sic liquor exudans reſoluto corpore Chriſti,
Quem calida extorſit vindicis ira Dei:
Extinguit patrios in crimina noſtra furores,
Et reprimit Stygij feruida damna rogi.
Admonet ergo homines partæ roſa verna ſalu-
O roſa q̃ paruo maxima flore doces. (tis,

Iohan. Maior. Ioach. D.

IN

IN QVARTVM ODYSSEÆ HOMERI LIBRVM.

THVCYDIDEM hoc biduo non ſumus prælecturi, quia multi ex ſcholaſticis adhuc in mercatu abſunt. Sed ad diem Iouis proximum, Deo auxiliante, incipiam interpretari Quartum Odyſſeæ Homeri librum, in quo errores Menelai commemorantur, & vaticinium Prothei, & Ægyptus, ſicut illis temporibus fuit, deſcribitur. Continet hic liber etiam partem aliquam rerum Troianarum, de conſilijs & aſtutia Vlyſſis, equo ligneo, & vltimo vrbis excidio. Et ſunt in hoc libro multa inſignia Orationis ornamenta, præterq; quod tota cõmemoratio valde illuſtris & dulcis eſt. Ideo ſpero eius tractationem iucundam fore auditoribus. Nam ſi quorum palato hæc non ſapiunt, his pro lactucis, vt puto, carduos apponemus edendos, vt iuxta prouerbium, ſimiles habeant labra lactucas. Ingenia verò liberalia & rectè educata haud dubiè hæc amabunt, ſeq; horum ſtudiorum tractatione vnicè oblectabunt. Et non tantum breuem voluptatem, ſed & fructum inde multiplicem atq; perpetuò durantem capient. Nam huic dulcedini vtilitas infinita admixta eſt. Quapropter nõ temerè vſq; adeo omniũ calculis approbatus eſt Homerus, ſicut Horatius dicit,

Omne

Omne tulit punctum, qui miſcuit vtile dulci.

Non enim alia ſchola, non aliud Gymnaſium virtutis melius nec præſtantius vllum eſt quàm lectio Homeri. De hoc enim genere ſtudiorum rectè vereq; Cicero inquit, An vllum exiſtimas fieri poſſe ciuem egregium, qui his ſtudijs non ſit excultus? an vlla alia putas eſſe rudimenta & incunabula virtutis? quibus animi ad honeſtatis & virtutis amorem atque cupiditatem aluntur & prouehuntur. Huic ſententiæ Ciceronis ſubſcripſit reuerendæ memoriæ Præceptor noſter, qui poſt ſacratiſs: Biblia nulla ſcripta Iuuentuti vtiliora proponi poſſe affirmabat, quàm Homerum, Sophoclem & Euripidem. Hæc repeto vt ſcholaſticos ad hæc ſtudia amanda inuitem, Etſi res ipſa multò magis eos inuitare poteſt & debet, Non enim melior preco Homeri eſſe poteſt, quàm ipſe Homerus. Et ſicut prouerbio dicitur, vino bono ac vendibili non opus eſt ſuſpenſa hedera. Ita neque Homero opus eſt exotico laudatore, vt qui ipſe domeſtico preconio ſatis ſit commendatus. Meam aſſiduitatem & diligentiam auditoribus notam eſſe ſpero. Deum oro vt & nobis docentibus & vobis diſcentibus Spiritu ſancto ſuo clementer adſit, vt ſtudia noſtra, conſilia, & omnes actiones tantum

tantum ad gloriam DEI, *Eccleſiæ Chriſti propagationem & Reipub: atq; plurimorum hominum ſalutem, dirigamus, In Chriſto & per Chriſtum Redemtorem Filium* DEI. *Amen.*

Vitus VVinſemius
Senior.

RECTOR ACADEMIÆ VVITEBERGENSIS BARNIMVS

Philippi filus, Dux Pomeraniæ &c.

DONA DEI *ſunt, & illuſtria teſtimonia præſentiæ diuinæ in genere humano, ordo politicus & huius conſeruatio, fœlices & ſalutares gubernatores, & tota legum Sapientia, quæ cum oſtendat in infinita caſuũ diſſimilimorum varietate, Deum & iuſtum eſſe, id eſt, æqualem, dantem æqualia æqualibus, & ſimul ἐπιεικῆ, cum ſeueritatem ſummi Iuris moderatur, & mitigat pœnas, tam latè patet, vt exhauriri nullis humanis cogitationibus, nullo ſtudio vniuerſa poſſit. Vult tamen* DEVS *& lucere & conſeruari hanc in genere humano, Nec ſine ea adminiſtrari politiæ poſſunt, quæ ſublatis legibus mox in ἀναρχίαν degenerarent, allaturam tetras confuſiones & perniciosas communi ſocietati. Nam legum vinculis*

velut repagulis quibusdam hæc circumdata, munita, ac fulta consistit, his detractis rumperetur subitò ac dissiliret. Quod ergò velut ad clauum & ad gubernacula sedet Sapientia legum, in præcipuo semper post Sapientiam Ecclesiæ, honore fuit atque admiratione, & summis principibus curæ semper fuit hanc tueri, illustrare & augere. Hoc consilio Illustrissimus Princeps Dux Saxoniæ, Sacri Romani Imperij Elector AVGVSTVS etc. cum annuos sumptus bonis ingenijs, ad aliarũ artium ac disciplinarũ culturam decreuisset, deligi etiam idoneos iuuenes voluit, qui doctrinam legum suis adiuti subsidijs discerent, atque exercerent, quorum usus esset deinceps, vel in gubernatione, vel in eiusdem doctrinæ propagatione. Cum itaque diebus præteritis auditi sint cæterarum professionum alumni, & viri clarissimi doctrina, virtute, sapientia, ac dignitate præstantes Doctores Iuris, eo tempore abfuerint, Significamus ijs qui se ad studium Iuris obtulerunt Illustrissimo Principi Electori, decretum esse, vt his diebus ipsi explorentur. Quare hodie sua nomina profiteantur apud Decanum Iurisconsultorum, virum nobilitate, doctrina, virtute clarissimum D. Doctorem Ioachimum Bustium. Ex eo enim tempus & locum examinis cognoscent.

Lecturis

LECTVRIS S.

HActenus elementarem primi INSTITVTIONVM libri doctrinam, de PERSONARVM statu & Iure, qua potuimus breuitate absoluimus: quæ etsi ad reliquas iuris Ciuilis disputationes sublimiores collata, tenuior esse videatur: Eam tamen vsum habet, vt non lucem tantùm magnam sequentium librorum materijs adferat, & necessaria planè sit his, qui ad solidam legum cognitionem adspirant: Verum etiam ad mores formandos, vitamq; regendam (Vt in titulo de Nuptijs ostensum est,) plurimum momenti conferat. Nulla enim ferè in rebus, contractibus, aut obligationibus oratio, aut disceptatio instituí potest, in qua non simul de personis, diuersisq; illarum ratione disseratur.

Aliter de seruis, quàm de liberis hominibus iudicamus: Dissimilis militum & paganorum conditio est. Aliud in adulto qui sui iuris est: Aliud in pupillo, qui per ætatem se defendere nequit, statuitur. Alia eorum, qui sanæ mentis sunt, Alia vero mente captorum ratio habenda est: Aliæ tutoris, aliæ Curatoris partes sunt. Nec minus insulsus sit, qui remoto hoc discrimine, idem ius de omnibus pronunciet, quàm si medicus eadem omnibus corpori-

bus pharmaca adhibere, vel gubernator politicus, abolita Geometrica proportione, Arithmeticam tantum in ciuilibus vitæ officijs, muneribus, & præmijs, æqualitatem seruare conetur. Rectè enim & grauiter Achilles apud Homerum, eam detestatur Rempublicam, in qua æqualis bonos fortibus & ignauis tribuatur.

Rerum verò, vt magna est in vita humana varietas & amplitudo: Ita explicandarum quoque illarum ratio vberior & operosior est. Tractatur autem de REBVS, tum communibus & publicis, tum priuatis, & quæ ad singulos pertinent, Ac quemadmodum hæ, vel naturali, vel ciuili Iure acquirantur, in II. INSTITVTORVM libro: Quæ doctrina cùm latissimè pateat, & rerum dominia certis quasi metis circumscribat, ac cupiditatibus iniustis eorum qui in facultates alienas inhiant, frenum iniiciat, Non in pulpitis tantum Iurisconsultorum sonare, sed & singulorum animis infixa esse debet: Siquidem, (Vt Imp: de finibus regendis præcipit) vnumquemq; suo contentum esse, Nec rem alieni Iuris appetere conuenit, Cumq; non raro, vel plecnexia, vel errore hominum, dissensiones & controuersiæ, de rebus communibus aut priuatis incidant, Et hæc certamina sæpè florentissimis Regnis, de finibus aut

aut maris littorumq; libero vsu, inter sese contendentibus consulendi inuestigandiq; Iuris scripti, necessitatem imponant, quis non videt, eam quæ hisce studijs impenditur, operam vtilissimè collocari?

Inter alia verò & de rerum incorporalium acquisitione, & seruitutum Iure, in hoc secundo libro traditur, cuius doctrinæ vsum in foro & ciuili hominum consuetudine frequentissimum esse, non ignorant hi, qui communium in vita negotiorum tractationem aliqua ex parte degustarunt. Quid enim vsitatius est, quàm de Iure vtendi, fruendi, ligna cædendi, & pascendi, cum vicinis disceptare? Imò, supina patrisfamilias negligentia est, (Vt I. C. inquit) Si quid iuris sibi in vicino competat prædio, ignoret. Proinde, vt amplissimam præscriptionum & donationum materiam prætereamus, continetur eodem libro, testamentorum condendorum ratio, & huic cognata subtilium disputationum, de SVBSTITVTIONIBVS, legatis, Fidei commissis, & L. Falcidia, Epitome. Eius doctrinæ vtilitas, & praxis ob fatales mortalium ex hac vita migrationes, & vltimarum voluntatum testificationes, adeo conspicua est, vt facem soli admouere videri queat, qui pluribus id verbis comprobare conetur.

Etsi enim ALCIATVS, *Iuris quidem peritißimus, Sed Germanicarum rerum non ſat guarus, rarò in Germania teſtari homines, arbitratus eſt, vt in parergis ſuis alicubi meminit: Experientia tamen, atq; ea ipſa exempla, quæ paſſim frequentißima quotidiè occurrunt, fidem opinioni ipſius detrahunt, vt dubium non ſit nullas ferè in iudicijs controuerſias crebriores incidere, quàm de vltimis voluntatibus vel oppugnandis, vel conſeruandis. Quæ cùm ita ſe habeant, certumq; ſit, eos qui diſcendi Iuris cauſa in gymnaſio verſantur noſtro, operæprecium facturos, ſi huius ſecundi* INSTITVTIONVM *libri materias diligenter animo ac memoria complectantur, ipſi auditores alacriter fæliciterq; iam currentes, (quod frequentia & aſſiduitas ipſorum teſtatur,) calcaria ſibi addent, ac, quod* σπεύδοντας, *nos monemus & incitamus, id honorificum, optimæ de ſtudijs ipſorũ conceptæ ſpei noſtræ, teſtimonium eſſe arbitrabuntur. Vera eſt enim Poëtæ ſententia:*

Qui monet vt facias, quod iã facis, ille monendo
Laudat, & hortatu comprobat acta ſuo.

Incipiam autem prælectionem in loco vſitato, die Lunæ proxima, hora prima pomeridiana. Vitebergæ. Anno 1564.

Iohannes Schneideuuein D.
Rector

RECTOR ACADEMIÆ VVITEBERGENSIS BARNIMus Iunior Dux Pomeraniæ.

HEri ſub horam dici decimam, exitu placidiſſimo vitam in terris clauſit ſuam honeſtiſſima vidua, BARBARA DORINGS, liberata tandem ab ægritudinibus animi & corporis, quibus cùm annos ſex conflictata fuit varijs ac difficilibus. Nata ex antiqua & celebri familia Blanckenfeldiorum, in vicina Marchia, maritum habuit ciuem huius oppidi, virum integerrimum Chriſtianum Doring, quem cùm amiſiſſet ante annos triginta & vnum, vitam egit viduam, vſq; ad vltimam ſenectam. Annum autẽ ſuperauit ſeptuageſimum. Ornatã fuiſſe cõſtat multis virtutibus ex ijs, quas in verè viduis requirit Paulus ad Timotheum, & quas deinceps exponit, vbi conditiones cõmemorat, quibus præditæ eſſe debeant Viduæ deligendæ ad miniſteria Eccleſiæ. Inquit enim ἡ δὲ ὄντως χήρα καὶ μεμονωμένη ἤλπικεν ἐπὶ τὸν θεὸν καὶ προσμένει ταῖς δεήσεσι καὶ ταῖς προσευχαῖς νυκτὸς καὶ ἡμέρας. Et aliquanto poſt χήρα καταλεγέσθω μὴ ἔλαττον ἐτῶν ἑξήκοντα, γεγονυῖα ἑνὸς ἀνδρὸς γυνή, ἐν ἔργοις καλοῖς μαρτυρουμένη, εἰ ἐτεκνοτρόφησεν, εἰ ἐξενοδόχησεν, εἰ ἁγίων πόδας ἔνιψε, εἰ

θλιβομένοις ἐπήρκεσεν, εἰ πάντι ἔργῳ ἄγαθῷ ἐπικωλύθησεν: *Nam orbata marito non mutauit Viduitatem, sed certa spe & fiducia auxilij diuini, tota dedita exercitijs pietatis, atq; inuocationis, & œconomicis negotijs, ea præstitit precando, & domestica curando, quæ sunt honestarum matronarum secundum Pauli regulã propria: Seueriſsimè rexit familiã, & honestè tàm elocauit, quàm educauit filias, quas pepererat marito quinq;. Harũ vnam scitis coniunctã esse viro clariſsimo, doctrina, virtute, & prudentia præstanti, Doctori Iohanni Schneidevuein, viro optimo & nobis propter fidem, & integritatem singulariter charo, fœminam primariam, & multorum liberorum matrem, cuius exemplo cõfirmatur versus Theocriteus:* εὐσεβέων πάϊδεσσι τὰ λώϊα δυσεβέων δ' οὔ, *qui versus cum Psalmi dicto congruit: Generi rectorum benedicetur. Excelluit & reliquis virtutibus. Nam et hoſpitalitatis officia exercuit, & sanctorũ pedes lauit, et afflictos ſubleuauit. Fuit enim inprimis benefica erga miniſtros Ecclesiæ, erga exules, erga pauperes. Religionis causa pulſis in exiliũ, initio mutationis, liberaliſsimè hoſpitia præbuit, & eleemoſynis largis iuuit eos, qui doctrinæ causa hîc sunt commorati. Patientiam toto morbi tempore, qui diuturnus fuit,*

fuit, etsi vices nonnullas & interualla habuit, præstitit admirandã, seq; illis consolationib. erexit ac sustentauit, cum assidua et ardente inuocatione Dei in agnitione et fiducia vnici Mediatoris nostri Iesu Christi, quas multò ante ex cõcionibus Christi, Apostolorum, & Lutheri didicerat solas esse firmas ac certas, cum earundem repetitione & animam heri Deo suam reddidit. Hac vsitatis funerum ceremonijs hodie hora quarta sepelietur. Hortamur itaq; scholasticos, vt frequentes ante ipsius ædes conueniant, & funus prosequantur, atq; ea in re beneuolentiam, & studium declarent suum, etiam erga generum Doctorem Iohannem Schneidevuein, quem et domi docendo ac de Iure respondendo, & foris sapienter consulendo præclariſsimè de plurimis mereri vos ipsi intelligitis, qui diligentiam eius viri & fidem experimini, Benè & fœliciter valete. Die 19. Maij, Anno 1546.

RECTOR ACADEMIÆ VVITTEBERGENSIS BARNIMVS Iunior Dei gratia Dux Pomeraniæ &c.

ANNI *sunt à prima Pentecoste politiæ Iudaicæ, qua Lex promulgata est in mon-*

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-62-quod/start.htm?image=00000116

te Sinai, οὐχ ὑπὸ Μώσεως, ἀλλὰ ὑπὸ μὲν τοῦ λόγου, διὰ Μώσεως δὲ τοῦ θεράποντος αὐτοῦ, sicut vetustas loquuta est. Inde ergò vsq; ad alteram & nouam Pentecosten noui testamenti, Anni sunt 1542. Est enim data lex anno à condito mundo 2454: à tradita atq; confirmata Abrahæ promissione 430. Die ab exitu populi ex Ægypto, id est, post celebratum Pascha quinquagesimo, vnde πεντηκοστῆς nomen est. Voluit autem singulari consilio Deus congruere tempora repetitæ legis, & missi Spiritus sancti, vt collatio admoneat pios de diuerso fine actionis vtriusq;, quas tamen semper ministerium verbi coniungit in saluandis. Ad vocem promulgatæ legis expauit & horruit populus, quo significatum est naturam hominũ ream non sustinere iram DEI iudicantis, & lege terrentis conscientiam. Conditur & politia ritibus ac legibus certis, duratura vsq; ad Messiæ aduentum. Ad missionem Spiritus sancti, qui est πνεῦμα οὐ δουλείας, ἀλλὰ δυνάμεως καὶ ἀγάπης καὶ σωφρονισμοῦ, non expauescunt Apostoli, Sed hoc flatu quasi renouati atq; animati lætantur et exultant, & inchoatur nouum & æternum regnum, plenum iustitia, læticia, & vita æterna. Etsi autem pij omnes in vera cõuersione vtramq; Pentecosten perpetuò cele-

celebrant, quando fides luctatur cum pauoribus, ac desperatione, obortis ex agnitione peccati & iræ Dei, atq; his superatis vincit, & vera atq; exiliente læticia conuertitur ad Deum: tamen hisce diebus, quibus Ecclesia historiam vtriusq; repetit, accuratius cum animis ab omni prophana cogitatione abductis, considerare nos decet magnitudinem horum operum ac beneficiorum Dei, & colligenda sunt testimonia de Spiritus sancti essentia diuina, de persona, officijs, patefactionibus, quibus confirmetur fides aduersus veteres, & nouas præstigias eorum, qui Spiritus sancti diuinitatem negant, & oppugnant, & excitetur inuocatio, ac gratiarum actio. Cogitantes autem de Spiritu sancto, mente semper intueamur duas visibiles patefactiones, quarum vna facta est in baptismo Christi, vbi tres personæ clarissimè discernuntur: Altera in hac noua Pentecoste, quæ certò ostendunt Spiritum sanctũ esse ὑπεστάμενον distinctum à Patre et Filio, et adiungamus alia testimonia scripturæ sacræ, et purioris Ecclesiæ confessionẽ graui autoritate traditã. Hæc Spiritum sanctũ ita describit, quòd sit tertia persona diuinitatis συναΐδιος, ὁμοούσιος, ὁμότιμος & ὁμόδοξος Patri & Filio, procedens ab vtroq;, quod Græca Ecclesia, vt vnum constituere principi-

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-62-quod/start.htm?image=00000117

principium sic explicauit, ὅτι πνεῦμα παρὰ τοῦ πατρὸς ἐκπορεύεται δι' υἱοῦ. *Sed idem Spiritus & Patris & Filij est, & dicitur Spiritus, ad Galat. 4. Philip. 1. 2. Timoth. 4. 1. Pet. 1. & Christus ipse disertè ait, de meo accipiet. Estq; τὸ ἐκπόρευτον χαρακτηρίστικον γνωρίσμα τῆς ὑποστάσεως, discernens personã Spiritus à persona Patris et Filij. Additur in descriptione, quod sit substantialis amor, & coæterna læticia inter Patrem & Filium, Quia vocatur Spiritus dilectionis, & ad Romanos 5. dicitur, quòd dilectio Dei effusa sit in cordibus nostris per Spiritum sanctum. In prima verò Epistola Iohan. cap. 4. dicitur, quòd dilectio sit ex Deo, & quòd Deus sit dilectio. Hæc dicta accommodauit Ecclesia ad hanc ipsam partem descriptionis, quia Spiritus sanctus & est amor mutuus inter Patrem & Filium, & efficit in cordibus credentium dilectionem, & lætitiam, quod ad Galat. expressit Paulus, inquiens: Fructus Spiritus est dilectio, gaudium, pax, fides, &c. Nobis verò ita patefactus est, quod mittatur in corda credentium, vt tales motus, amorem Dei & læticiam acquiescentem in Deo, in eis accendat, qualis est ipse. Mittitur autem ab vtroq́, à Patre & Filio. De Patre dicitur ad Galatas 4.* ἐξαπέστειλεν ὁ θεὸς τὸ πνεῦμα τοῦ

τοῦ υἱοῦ εἰς τὰς καρδίας ἡμῶν. *Item,* ὃ ἔδωκεν ὁ θεὸς τοῖς πειθαρχοῦσιν. *Filius de se inquit: Cùm venerit Paracletus, quem ego mittã vobis à Patre,* πνεῦμα τῆς ἀληθείας, *Sed est donum Filij, quod nobis obedientia sua filius peperit, sicut dicitur, quòd ascendens in cœlum acceperit promissionẽ Spiritus à Patre. Et datur credentibus, petentibus, obedientibus, non contumacibus & repugnantibus, & accipitur ipso motu fidei,* διὰ τῆς πίστεως, *quo simul est efficax, & erigit corda in veris doloribus, consolatione & læticia vicissim confirmans ac stabiliens fidem, quod testatur Paulus, inquiens:* πιστεύοντες ἐσφραγίσθητε πνεύματι τῆς ἐπαγγελείας τῷ ἁγίῳ. *Ita fit arrabo, & testimonium dat Spiritui nostro, & impellit ad inuocationem, quod alterum & proximum est opus* τοῦ ἁγιασμοῦ *seu* τῆς ἀνακαινώσεως, *quam inchoat Spiritus sanctus, ortum ex læticia acquiescente in Deo. Idcirco cùm sit dux & gubernator veræ inuocationis, vocatur Spiritus precum &* πνεῦμα υἱοθεσίας, *quo clamamus Abba pater. Idem ostendunt alia testimonia, vt: Veri adoratores adorabunt patrem in Spiritu & veritate. Item* οὐδεὶς δύναται εἰπεῖν κύριον ἰησοῦν εἰ μὴ ἐν πνεύματι ἁγίῳ. *Sed maximè illustre est Pauli dictum ad Romanos: Spiritus adiuuat infir-*

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-62-quod/start.htm?image=00000118

infirmitatem noſtram. Nam quod oremus, vt oportet, noſcimus, Sed Spiritus interpellat pro nobis gemitibus inenarrabilibus. Interpellat autem, non vt filius, qui eſt redemptor placans iram Dei perſoluto precio, ſed poſt placatam iram Dei mouens ad inuocationem. Hæc omnia etſi ordine differunt, tempore tamen non diſcrepant. Sed in vera conuerſione ſimul fiunt, cùm per miniſterium verbi filius Dei γινώσκει τὸν πατέρα, id eſt, accendit agnitionem Dei in mentibus & fidem, & dicit conſolationem, & ſimul effundit Spiritum ſanctum, quem motus fidei vbi apprehendit, diſcuſſis atq; eliſis pauoribus, et pulſa dubitatione, concipit animus lætitiam, plena conſtantiq; fiducia accedentem ad Deum. Poſtea à varietate donorum, quæ diſtribuit credentibus κατὰ τὸ μέτρον τῆς πίστεως, Vt Paulus inquit, diuerſa tribuuntur Spiritui ſancto epitheta in ſcriptura ſacra. Vocatur enim παράκλητος, πνεῦμα ἁγιοσύνης, ἀληθείας, σοφίας, χάριτος, πίστεως, ἀγάπης, προφητείας, πρώτοκτος, σοφρονισμός, ζωῆς. Sed diſcernendæ ſunt appellationes officiorum, & appellationes, quæ ſunt propriæ eſſentiæ & perſonæ. De his rebus cogitandis et inquirendis vt occaſio temporis nos commonefaciat, inſtituta eſt in Eccleſia, & conſeruata ſolennitas huius

ius feſti, quo vt corda veſtra ſint templa, & organa Spiritus ſancti, vos ipſi efficite pijs & ardentibus precibus, modeſtia & ſobrietate. Tribuite dies hoſce non helluationibus, ſed lectioni et meditationi doctrinæ ac teſtimoniorum de S. S. & Deo gratias agite, quòd hanc miſerrimam & pollutiſſimam maſſam naturæ noſtræ renouat, & inſtaurat ad vitam æternam, & vos ab eo doceri, regi, atq; gubernari petite, vt ſitis σκεύη ἐλέους & organa ſalutaria vobis et alijs. Cùm autem hunc ipſum Spiritum ſanctum non accipiamus aliter, niſi per fidem, & fides ſit ex auditu, auditus per verbum Dei, Veneremur & magnificamus etiam miniſterium Euangelij, quod eſt potentia Dei ad ſalutem omni credenti. Cumq; exempli cauſa vtile ſit, publicam edi teſtificationem veræ reuerentiæ erga miniſterium, præcipimus Scholaſticis, vt hodie vſitato more offerant munera ad Aram, ac precentur Deum toto pectore vno ſpiritu, vt per & propter filium, Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, perpetuam inter nos ſibi Eccleſiam voce Euangelij colligat, & ſancto ſuo Spiritu eam gubernet, vt ſit & maneat συλὸς καὶ ἑδραίωμα τῆς ἀληθείας.

Die Penteceſtes Anno 1564.

Rector

RECTOR ACADEMIÆ VVITEBERGENSIS, BARNIMUS Iunior Dux Pomeraniæ &c.

QVinquaginta ierant Soles quo tempore primùm
Posteritas Iudæ Nili regione reuersa est,
Rubraq; inoffensis traiecerat æquora plantis:
Cùm sæuam glomerans tempestatem ignibus atris
Increpuit nubes, atq; alta cacumina Sinæ (tris
Fulmine deijciens, suaq; horrida iussa per auras
Euulgans populo, Legem Deus edidit orbi
Clara in voce sonans, circumq; iraq; minasq;
Horrendùm spirans infusum terruit agmen,
Nec fugæ erat ratio, non spes, vllúue receptus,
Concepêre metus, pauidisq; ita mentibus astant
Attoniti, et cælũ grauiter tonat omne tumultu.
Illam igitur fatis fixam, ignaramq; moueri
Mente sua, digitoq; suo præcordibus iniis
Humani generis conscriptam in origine prima,
Nunc iterũ tabulis duro ex adamante paratis
Voce sua repetit, populisq; inculcat habendam
Omnibus ex æquo, quocunq; è semine cretis,
Seu genus Isacidæ, seu sint à stirpe Iapheti.
Tum populi trepidare metu, pedibusq; saluti
Consulere, atq; alium subitò deposcere fatis

Qui

Qui veniat mediò, fandi cui gratia in ore
Blandior: aut subitò ad vocẽ vultumq; seuerum
In cinerem versi dio splendore fatiscant.
En medio datus, ipse Deo genitore creatus
Legifer hanc obijt sortem, Mosenq; vocauit,
Et manibus Legem ipse suis illi obtulit vtrò,
Hac statuant cultũ, hac teneant se lege nepotes,
Ni faciant, furiæ excipiant, leiboq; resoluant.
Hæc tũ cõtigerant veteris sub tẽpore pacti
Magnifica in pompa mirandis ædita factis,
Signa Pater manifesta suæ cùm ostenderet iræ,
Iræ, quam rapidam & spirãtem faucibus ignem
Concipit in sæuos ausus, & tristia facta,
Vt labem fugiant homines, iramq; tremiscant.
Nec dũ etiã voces inhibet, sæuosq; fragores
Quos tonitru ingenti dedit alto in vertice Sinæ
Dũ stupet, attonitisq; animis immobile vulgus
Stat mutum, mussatq; metu, quæritq; latebras:
Tristibus at media ærumnis, & labe patrata
Astat, & horrendum tonat inter mille pauores
Pectoris, & calido exposcit cũ sanguine pœnas.
Tunc antẽ ingenti fremitu vocem extulit altè,
Vt tot acerbæ hominũ, & rerũ discrimina mille
Supplicio immitti scirent, quod poscere vltor
Iustitiæ ratione suæ, quam lege seuera
Sancit, & firmam cupit, immotamq; teneri.
Sed cùm signa noui cernis sub tẽpore pacti

O Edita,

Edita, dum cœlo missum spirabile Numen,
Lenibus increpitans flabris, tectum omne nitẽtà
Luce replet, linguis verba in diuersa solutis,
Alitis ora gerens quæ Chaona rura frequentat:
Solue metus, animumq; iterum solamine dulci
Erige, & ætherei monumentum disce fauoris,
Quo nos prosequitur bonus, atq; indulget amori
Ipse suo Deus, & donum quo grandius ipse
Non habet, humano generi cõcedit habendum,
Nempè suũ Flatũ, qui viuida flãma duorũ est,
Et Patris, & Nati, qua se Natusq; Paterq;
Mutuò amant, sociaq; hærẽt cum mẽte reuincti,
Alter et alterius dulci respondet amori, (ma,
Quæq; abit hinc, rursum redit inde reciproca flã
Exors ipsa æui, propria stans sorte, resultans,
Numen idem, Patris & Nati de Numine eodẽ,
Cuncta creans, socioq; foues moderamine cuncta.
Ergo suo cordi iungit mea corda, suaq;
Lucis inexhaustum fontem, Sophiamq; calentẽ
Excitat, vt sacrũ pluit in mea pectora Flatum.
Hunc cepêre viri, cum desuper igne calescunt,
Vimq; huius sensere animis, cum fata futura
Commemorant, atq; ora sono discordia soluunt,
Et gentes patriæ agnoscunt commertia linguæ.
Hunc populi vidêre oculis, vt noscere apertis
Omnibus possent, numero qui tertius esset,
Instar habens flammæ, cieat qui pectora motu

Natu-

Naturæq; suæ simili, legiq; sacratæ:
Vtq; animus exactũ habeant, hoc æthere ab alto
Nunc quoq; demissi munus, ceu pignus amoris,
Aspice quo rectæ vitæ ratione feramur,
Noticiamq; Dei clara cum luce ferenet,
Errorem abstergens, qui pectora nube fatigat,
Ardoremq; Dei cieat, rectiq;, boniq;,
Atq; animus subdat stimulos in vota, precesq;.
Hunc Pater idcirco rectorẽ misit Olympo,
Iussitq; domum ceu largi affudit olimo,
Vt sanctis verbi præcordia credula firmet,
Quòd rursum excipiat miti nos Gratia regno,
Ira Dei & Christi de sanguine pressa residat.
Cuiq; animos leuat is pauitantũ, et acerba dolen-
Saucia lege Dei rursum præcordia sanans, (tũm
Solamenq; mali præstans, & gaudia fundens:
Tunc tali indicio firmati, & luce coruisca,
Continuò agnoscant diuinæ signa fauoris,
Inq; fide verbi, genitor ceu prodidit orbi
Immotum, veriq; tenax, dubioq; remotum,
Vota Deo fundant, gemitusq; ad sydera mittãt
Affectu tali, quem pectore suscitat imo
Halitus ille sacer, quo sedem impellit Olympi,
Atq; ratas facit esse preces, & pondus habere.
Is festis medio assistit discrimine rerum,
Inq; foro cœli quando sententia Legis
In crimen vocat, & sæuæ mens conscia labis

Iam cauſſa cadit, & duri inclementia Auerni
Stat prædã expectans: Is noſtris partibus hæret
Ora ſono mformans, & dictis pectora mulcet,
Neue animũ abijciant, nẽue à ſtatione recedãt,
Impellitq; animos, refcitq; in prælia vires,
Et radium vibrans diuinæ lucis, ab alto
In mentes ſerit æternæ primordia vitæ,
Lætitiæ ſedes animi, ceu flore coronans,
Vnde Deo nidor ſacra velut halet ab ara
Carminibus, cultuq; pio, votisq; ſacratis.
O vtimã ſortẽ fragilem, moleſq; malorũ (rat,
Quĉis natura hominũ velut hoſte oppreſſa labo-
Auxilijq; modum quo nos Pater aſſèrit vltrò,
Mente volutarent homines, & præmia laudum
Aſſiduis ferrent precibus, quòd turbine tanto
Agmina cogit adhuc diuini munere verbi,
Quo natum vnigenũ miſeris proponit habendũ,
Qui tandẽ emicuit manifeſta in imagine carnis
Excidio dare Tartarei molimina regis,
Et turbata Dei ſimulacra refingere rurſus,
Antiquamq; referre vicem, in ſolidoq; locare,
Parte ſui Flatus conceſſa, & numinis alti,
Quod lapſam reficit ſortem, fingitq; nouando
Pectora, & ad priſcum generoſis motibus inſtar
Nusq; operi ipſe ſuo abſiſtens, redducere pergit,
Ac ſedes animi, ſibi pulcra palatia templi
Efficit, & viuens habitat ſub pectore Flatus,

Ipſe

Ipſe Dei flatus, conſors in numine, & æuo.
Hei quantũ ſcelus eſt polluto è pectore Fla-
Excuſciſſe Dei, diuini & fœdera nexus (tum
Eieciſſe animo, & factis temeraſſe nefandis,
Qualis Aron, qualisq; lyræ fundæq; peritus,
Atq; alij, quos ipſe viæ, cùm poſceret vltrò
His veniã Natus, pœnãq; in ſe irrogat vnum,
Reſtituit Pater, et tandẽ miſeratus Olympo eſt.
O quanti hoc donũ facerẽt, ſua ſi mala noſſent
Mortales, quos denſa premunt diſcrimina vitæ.
Ni comes aſſiduè lateri ſacer halitus aſtet: (ſtas
Fraude animos ſtygia, atq; immani turbine ada-
Continuò ruere, & ferri in ſua fata neceſsè eſt.
Hoc ſine nil alti mens perficit, omnia venti
Irrita diſcerpunt, fruſtraq; vrgendo laborem
Ingratum trahit, & ſaxum reuolubile voluit
Caſſus ope, & ſancta deſertus Numinis aura.
His ergo exemplis moniti, gnariq; malorum,
A Patre cœleſti rectorem hunc poſcite vitæ,
Qui greſſum informet dubia in regione viarũ,
Perq; tot anfractus, et inhoſpita luſtra ferarum.
Is nebulã abſtergit menti, et dans noſcere verũ
Pandit iter Superûm, rectaq; inducit Olympo.
Ille ſonans vitæ leges, & dicta recludens
Cœlica, doctrinæq; accendens lumen in orbe
Seruat inextinctum, fixumq; in ſecla propagat.
Ille pios mandat meritis, & honore miniſtros

Afficere, & sacræ persoluere præmia sortis.
Ergò agite, et grati pro tanto munere rerũ,
Vt suus extet honos Verbo, semperq́; supersint
Qui præsint sacris, diuinaq́; iura ministrent:
Quisq́; sacræ stipis æra volens deponat ad Aras.
Sunt hæc pro merito ingẽti, sunt parua, fatemur
Dona, sed ipsa suũ cœlo quoq́; habentia pondus.
Anno 1564.

RECTOR ACADEMIÆ

VVITTEBERGENSIS BARNIMVS *Iunior, Dei gratia Dux Pomeraniæ &c.*

ETSI celebratum est apud Græcos hoc dictum, ψυχῆς ἀγαθῆς πατρὶς ὁ ξύμπας κόσμος, *quod Latinus poëta sic interpretatus est: Omne solum forti patria est, vt piscibus æquor: tamen plurimùm refert, qualis sit patria cuiusq́;, quæ non solùm nascentes excipit, sed etiam postea tenella pectora ita quasi, fingit & componit disciplina publica, vt in assuefactis ad intellectum, & amorem pietatis, doctrinæ & virtutum, insita semina harum rerum excitet, & rectè formet, ac regat mores. Exempla enim legum, seueritatis & gubernationis publicæ imitantur priuatim singuli. Ac vrbem Ham-*

HAMBVRGAM, *quæ veterum Gambriuiorum nomen conseruauit, ornatam esse publicè Ecclesijs, benè constitutis scholis, & censura morum, quæ seuerè & graniter à senatu sapientissimo exercetur, & domestica disciplina teneram ætatem ad agnitionem veri Dei, ad inuocationem, modestiam & castitatem, educari & flecti, testantur ij, qui in Academiam ex patria, harum virtutum initia adferunt. Vbi excellit* PAVLVS BRVDERMANN, *qui heri sub noctem ex tenebris huius vitæ discessit in æternam lucem placidissima migratione, consumtus tabe, cùm ex defluxionibus à capite ad pectus assiduis, & confertis præcessisset δύσπνοια quædam, asthmati non absimilis. Parentes habuit honestissimos. Mater soror est viri clariss: doctrina, virtute & dignitate præstantis, Magistri Henrici Molleri, qui linguam Hebræam in hac Academia docet, & sua lingua loquentes Prophetas summa sua cum laude & vtilitate auditorũ interpretatur. Cùm ingenio multum valeret, & arderet quadã discendi cupiditate, diligentissimè didicit doctrinam Ecclesiæ, & tempus illud, quod otio, deambulationibus, ludis tempestiuis alij tribuere solent, ipse in studia impendit, fortasse quòd præsagi-*

sagiens vitæ breuitatem, instruere & præparare sese cupiuit ad illam æternam scholam, in qua auditurus est filium Dei, enarrantem arcanas causas, & creationis rerum, & redemtionis generis humani. Luxisse in eo agnitionem Dei veram & fidem, & pectus arsisse motibus Spiritus sancti ostendunt assidua exercitia inuocationis, ac mores honestissimi & castissimi. In agone, vt se testaretur illius Ecclesiæ ciuem esse, quæ profiteretur articulos fidei, conditos ab Apostolis, & se in his fide firma, & certa spe vitæ æternæ acquiescere, initio recitauit Symbolum Apostolicum, Deinde multas sententias consolationum plenas, sed has ferè præcipuè: Languores nostros ipse tulit &c. Item, Sic Deus dilexit mundum &c. Item, Quis separabit nos à dilectione Dei &c. Quare non dubium est, & fuisse cor ipsius templum Spiritus sancti, & esse eum in numero illorum, de quibus scriptum est: Beati mortui qui in Domino moriuntur. Exuuiæ sepelientur hodie Hora Quarta. Hortamur igitur Scholasticos, vt funus deducant frequentes ex ædibus Magistri Henrici Molleri, et pijs precibus Deo commendent Ecclesiam. Feria secunda Pentecostes, Anno

1564.

Ad

AD REVERENDVM ET CLARISSIMVM VIRVM D. M. HENricum Mollerum, de immaturo obitu, honesti et docti Adolescentis Pauli Cassandri Hamburgensis, qui Vitebergæ piè decessit die Pentecostes Anno 1564.

SIc, vbi per lætos, seges, efflorescere campos
Incipit, & culmis firmior esse suis:
Si tamẽ asperior vel grando, vel ingruat imber,
Sternitur, & madida pressa recumbit humo.
Tu quia florenti robustus, & integer æuo
TALE iuuentutis gloria, nuper eras:
Iam tibi formati mores, doctrinaq; rerum
Parta fuit, iam spes optima messis erat.
Non tulit hoc, Iuuenem sed mors tulit inuida terris,
Et flos ætatis languit ante diem.
Quaq; iacet positus, iacet hac, frugisq; negatæ,
Magnaq; desertæ spes Genitricis, humo.
Hinc lacrymæ nobis voluuntur, & ægra reposcunt
Sublatum, multo pectora cum gemitu.
Sed dolet, ante alios, cognatæ stirpis alumnum,
Et decorat tumulum fletibus ipse suis,
Leucoreæ decus, Ille, scolæ, qui gloria gentis
Molleræ, patriam laudibus implet humum.
Causa tibi, fateor, multi est Henrice doloris,
Fors tamen hæc longi meta doloris erit.

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-62-quod/start.htm?image=00000124

Ordine crebra tuos auxerunt tempora luctus,
Quos alijs tarda diminuêre mora:
Tu tamen his melius solatia casibus addes,
Da veniam, non hîc Musa diserta mea est.
Nos raptum memori si corde fouemus amicum,
Et cineres lacrymis spargimus, hoc satis est.

EPITAPHIVM.

Hîc propè Gambrinia procul vrbe profectus a-
Exuuias terræ deposuit gremio. (lumnus,
Materna genus hic deduxit origine clarum,
A quo Molleræ fama vetusta domus.
Flos Iuuenũ viuens Cassander, & ampla suorũ
Spes erat, at nunc est maior honore poli.
Hîc fruitur vita, quæ Christi sanguine parta
Cuius eum sacris ignibus vsit amor. (est,
In terris tumulum mœsti venerantur amici,
Ereptumq; dolent, exequiasq; ferunt.
Ipsæ etiam iunctæ, madidoq; Modestia vultu,
Et probitas fusis busta rigant lacrymis.

Henningus Cunradinus
Hamburg. F.

RECTOR ACADEMIÆ
VVITEBERGENSIS BARNIMVS
Philippi filius, Dux Pomera-
niæ &c.

Anglos

ANGLOS fuisse partem amplissimæ & bellicosissimæ gentis Sueuicæ, quæ longo tractu antiquitus habitauit ad mare Sueuicum, vbi hodie regiones sunt Sedinorum, & Pomeraniæ nostræ ditioni subiectæ, Inde verò traiecisse in Britanniam militatum, cùm essent mercede conducti ad compescendas seditiones domesticas: Nec ita multò pòst Insulam ab his nomen cum Incolis mutasse, cùm hos aduenæ pepulissent, non dubijs historiarum monumentis constat. Hanc migrationem non exhausisse gentem vniuersam, ostendunt monumenta veteris Patriæ, quæ in nostris terris supersunt. Nam antiquissima vrbs Anglemium, nomen suæ gentis huc vsq; conseruauit. Sonat enim vox idiomate Germanico Anglorum patriam. Nec ita procul inde antiqui nominis possessione, superbit Guttalus fluuius, Incolis eodem nomine hodie notus, Kuttau. Effunditur autẽ in Pilum amnem: hîc in Nothin: Nothis in VVartam, à quo amne est vetus nomen Pharodenæ gentis apud Ptolemæum: VVarta tandem in Viadrum decurrit. Et celebratissimum in monumentis historiarum nomen Sueui fluminis, rectius ad Sueuum nostræ ditionis, quàm ad Spream Lutitiorum, & Marchiæ congruit, cum ille in mare sese exoneret: hæc Hauelo mixta

nomen

nomen amittat, non multas emensa terras. Fit mentio & Iaduæ fluminis ad limites Sedinorum, quorum nomen Stetino inhæsit. Idem flumen hodie exigua mutatione Raddua ab incolis appellatur. Et Regam fluuium sua adhuc voce celebrem, exteris notum fecit Rugia gens, victoriis olim clarissima. Etsi autem in magna parte orbis terrarum, etiam cùm translatæ sunt gentes, nomina fluuij retinuerunt, tamen horum omnium non meminit Plinius. Sed Guttalum solum inter clariores amnes Germaniæ recenset, etiam præterito Viadro. verum in Oceanum hic non deuoluitur, vt Plinius annotauit. VISTILLVS siue VISTVLA, quem proximè nominat à Guttalo, in sinum Codanum influit ad nostræ ditionis limites. Digna hæc sunt consideratu, eò quòd iam Romanis temporibus culta & explorata fuisse hæc loca testantur. ANGLEMII honestissimis parentibus natus est IOHANNES TICHARDVS magnæ spei iuuenis, qui heri è uiuis excesit circiter horam quartam, cum ad nonum diem vsq; decubuisset. Nobis præmaturus obitus eius & propter parentes, et propter patriã dolorẽ affert, quòd spes erat, si ætatẽ iustam attigisset, absoluto studiorũ cursu, fuisse eum vsui futurũ Patriæ in gubernatione, ad quam sese doctrina legum præparabat.

bat. Sed parentibus mœsticiã leniat. ac filij desiderium, quòd exitu beato vitam clauserit cum inuocatione Dei vera, in certa firmaq; spe vitæ, et læticiæ æternæ, quam discedens hinc, esset ingressurus, ducente Filio DEI Domino & Mediatore nostro IESV CHRISTO. Funus fiet ei HORA QVARTA, & efferetur ex ædibus Pharmacopolæ. Cùm autem institutæ sint ceremoniæ funebres, vt de multis nos rebus admoneant, priuatis ac publicis, quantarum rerum præsidia eripiantur Ecclesiæ, & Reipublicæ interitu præstantium ingeniorum, quanta sit imbecillitas humanæ naturæ, quàm nihil firmum, ac stabile sine auxilio diuino, hortamur Scholasticos, vt & deductioni funeris frequentes adsint, & suam ac publicam salutem votis, ac gemitibus ardentibus DEO commendent, ac precentur, vt Ecclesias & Respub: conseruet, & instruat idoneis doctoribus ac gubernatoribus, vt Politiæ Ecclesijs tranquilla hospitia diu præbeant: Ecclesiæ lucem veræ doctrinæ fideliter tueantur ac propagent. Benè & fœliciter valete. Die Maij 26. Anno 1564.

RATIONIS DICENDI STVDIOSIS.

Sueto-

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-62-quod/start.htm?image=00000126

SVETONIVS refert quòd sapientia præstans Imperator Augustus, curam duxerit præcipuam, animi sensum, quam apertissimè exprimere. Hæc diligentia si ijs cordi esset, qui Reipub: & Ecclesiæ præsident, minus & confusionum, ac calumniarum, quibus societas humana conturbatur, & Ecclesiæ status dilaceratur, esset at; existeret. Nam obscuritate, ac orationis perplexitate, quæ & cum ambiguitate cõiuncta est, in diuersas sentẽtias & opiniones, sæpè & concertationes pernitiosas, animi hominum conijciuntur, vnde publicum statum conturbari necesse est. Quare, qui se comparant vel ad Rempublicam vel grauioris doctrinæ professionem, omnibus ingenij viribus in eo elaborent, vt mediocri dicendi facultate instructi, res Ecclesiæ ac Reipublicæ vtiles & necessarias, oratione facili, propria ac perspicua explicent, alijs; tradant. Hoc vt rectius præstari possit, proponant sibi dicendi facultatis studiosi imitandum Ciceronem, qui omnium iudicio, optimam, perspicuam & rectè loquentibus vsitatam, & familiarem dicendi formam præscribit. Cicero enim non solùm accurata quadam orationis vbertate, & aureo dicendi flumine, omnes qui floruerunt Oratores antecelluit, verum etiam in excogitando ea est ingenij subtilitate præditus, vt nemo acutior in disponendis & collocandis rebus, monstrari possit. Hoc ita; consilio præcipuarum orationum explicationem instituimus, vt discentes à primis annis ad optimum dicendi genus assuefiant, & artis Rhetoricæ præcepta, quorum enarrationem recens pertexuimus, ad vsum transferant. Cùm autem & inter cæteras orationes ea, quæ pro L. Flacco extat, elegantia verborum, & rerũ copia ac venustate præstãtissima sit, huius deinceps explicationem ac repetitionem publicam instituemus. Hæc eo nomine quoq; sit nobis commendata, quòd ostendit exemplum simile, nostra ætate in accusandis innocentibus vsitatissimum. Præstabètur exemplum accusatoris, qui omnibus locis curiosè contra aduersarium inquirit, & stultam plebeculã & leuissimos quosq; varia & arte & ratione concitat meliores, quibus huiusmodi negotium improbabatur minis, ne sibi aduersentur, callidè deterret. Deo igitur studia nostra gubernante, cras hora consueta explicationem orationis, quam Cicero pro Flacco habuit, ordiemur. Valete 11. Iunij Anno 1564.

Albertus Lemeiger Hamburgensis Professor.

Rector

1564

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-62-quod/start.htm?image=00000127

RECTOR ACADEMIÆ VVITEBERGENSIS BARnimus Iunior, Dux Pomeraniæ &c.

AGNOSCIMVS ingens Dei beneficium esse, quod hisce annis quinq; ita custodierit agmen scholasticum, vt non tantùm periculà auerterit bellorum, morborum, & contagionum, ac lenierit difficultates Oeconomicas, ex annonæ caritate, ac rerum aliarum penuria. Sed præstiterit etiã, ne quos ex scholasticis absorpserit vorticosus, & infidus alueus præterfluentis Albis. Deinde quod ita rexerit animos scholasticorum, vt cùm essent commonefacti de periculis, vitarint occasiones, & abstinuerint à natationibus. De hoc beneficio pie mentes gratias agant DEO, ac precentur, vt deinceps etiam, cùm hæc pericula depellat, tùm alia amoliatur impedimenta, quæ nocere studijs, & afferre publica detrimenta possent, & singulos gubernet, vt propria pericula considerent, & fugiant. Caueant etiam singuli priuato studio, ne vel occasionibus inuitati, vel persuasi, aut incitati à sodalitio, temerè flumini sese committant, vt vel natationes experiantur, vel peritiam in his suam, cùm vitæ discrimine ostentent.

tent. Non enim à vorticibus tantum & insidis arenarum aggeribus periculum est, Sed etiam à dæmonibus, qui in aquis delitescentes insidiantur hominibus, horum conatus & opera conspecta sæpe sunt in submersis, quibus fractæ ceruices, & intorta atque inuersa fuere colla. Et confossos esse aliquos audiuimus. Qui eluctati auxilio diuino euaserunt, visum sibi fuisse narrant, in ipso cõatu emergendi, quasi prænderit quis pedes, magna vi retracturus, iam penè ad vadosa loca enixos. Nec Epicureo contemptu rideatis, quæ de dæmonibus dicuntur, quod nonnulli faciunt, quibus ea videntur aniles fabulæ esse, & ociosorum hominum commenta, excogitata ad terrendos homines, Sed reuocate in memoriam de his Christi & Apostolorum conciones, & exempla perpendite cùm eorum, qui miserrimè perierunt, tùm qui seruati diuinitus affirmarunt, non sibi cum solis aquarum gyratarum gurgitibus, sed dæmonibus etiam luctandum fuisse. Tales cùm aquis inesse Ethnici testimonijs experientiæ didicissent, numina esse crediderunt, de quibus Nereidum & Naïdum agmina sunt conficta, & placare priusquam in aquas ingrederentur, vel conceptis precibus, vel votis, vel sacrificijs consueuerunt, in quibus Idolatrica superstitio &

ἐθελοθρησκεία reprehendenda est, vt in nostris dæmonum derisoribus prophanitas, cuius causa est securitas nimia ex contemptu omnium religionum profecta. Ab vtrisq; vos abhorreatis, & defendi vos à Filio Dei petatis, aduersus Diabolorum insidias, in quibus non tàm corpus periclitatur, quàm anima. Hanc enim obijci insidijs dæmonum scitote, quando in ea vos pericula volentes conijcitis, à quibus arcemini autoritate interdicti publici. Sit verò & valetudinis ratio ante oculos. Affligi enim vehementer corpora, quando ardoribus solis aut motu dissoluta, ac ceu fatiscentia in frigidam repentè demergentur, exempla docent duorum summorum Imperatorum, Alexandri Magni & Friderici Barbarossæ. Perlaxatos enim toto corpore poros, aquæ frigus subitò penetrat in profundum, ac viscera lædit. Nec exempla desunt, quibus ex circumfusæ aquæ frigiditate oborti spasmi, cum incedendi, ac cõsistendi facultatem ademissent, euersos deiecerunt & aquis obrutos suffocarunt. Propter has causas repetuntur hæc interdicta à Præceptoribus, qui cum parentes sint omnes, de vestrorum etiam parentum affectione ac solicitudine cogitant, & illorum σοφὰς metiuntur suis. Quare cum intelligatis, quæ parentibus debeatis,

beatis, sit & propter hos maior apud vos autoritas edictorum, in quibus vestra præcipua salus spectatur & quæritur. Nec ducatis leue peccatum esse, his petulanter contra niti, in quo si improuisa morte opprimeremini, sustineret conscientia grauem accersitæ sibi ipsi necis culpam.

RECTOR ACADEMIÆ VITEBERGENSIS, BARNImus Iunior Dei gratia Dux Pomeraniæ &c.

AD puritatem doctrinæ retinendam, ad statuendum consensum, & ad constituendam concordiam vera animorum beneuolentia conciliatam atque deuinctam, plurimum refert, si quibus docendi munus committitur, vt ipsi prius sint rectè instituti, & ad vnam certam, vsitatam, rectam, & explicatam doctrinæ formam assuefacti ac ceu obligati. Nam vt Respublicas PLATO beatas fore dixit, si de artibus artifices iudicent, & præceptum vetus est: μήποτε γὰρ κρίνειν ἀδαήμονας ἄνδρας ἑᾶσκε, Ita multo magis Ecclesiæ bene erit, si gubernabitur ab idoneis, exercitatis, fundamenta intelligentibus, & de doctrina confirmatis, qui

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-62-quod/start.htm?image=00000129

non quouis opinionum vento iactantur. Dissimilitudo vero opinionum, sententiarum, iudiciorum, sermonis, & verborum, non tantum amicitias dirimit & disiungit animos, Sed nocet Ecclesiæ & veritati. ἐν τῷ γὰρ διαλλάσσοντι τὰς γνώμας διάφοραι ἔργων καθίστανται, *inquit Thucydides, quod verissimum esse didicimus hisce annis aliquot magno cum detrimento Ecclesiæ, quam conflictari cum certaminibus nouarum opinionum & formularum cernimus non aliunde, nisi quod leuia & ambitiosa ingenia, vt viderentur aliquid genuisse ex sese vel intellexisse, quod animaduersum à maioribus non esset, aut non satis explicatum, quod ergò illa puduit ceu alligare sese ad conceptas & præscriptas formas, quas si retinuissent, periclitata fuisset ipsorum existimatio & autoritas. Has dissidiorum occasiones, quibus non solum turbatur Ecclesiæ tranquillitas, sed paulatim conuellitur, ac tandem deletur doctrina ipsa, has ergò, vt quantum fieri humanitus potest, à suis Ecclesijs Illustrissimus Princeps Dux Saxoniæ* AVGVSTVS, *Elector, auerteret atque amoliretur, instituit, vt suis sumptibus certus numerus scholasticorum in hac Academia educaretur, & in ea doctrina, quam professa est hæc schola vnam & perpetuam*

tuã inde vsq; ab edita AVGVSTÆ *Confessione cum Propheticis & Apostolicis scriptis & Symbolis consentientem, exerceretur, & vt hi deinceps Ecclesijs & scholis præficerentur, ne si peregrini essent adhibendi, vel nouas & peregrinas inueherent opiniones, vel docendi formam vsitatæ dissimilem, aut inter se etiam discrepantem cum magno incommodo auditorum, & nonnullo etiam perspicuæ veritatis periculo introducerent. Vt constet autem qui iudicio & sententia Illustriss. Principis Electoris ineũ sint numerum cooptati, proponere nomina illorum publico scripto præceptoribus placuit, Vt cùm nonnulli ex his absint, ij reuocati suorum literis, huc reuertantur, & intra dies decem aut ad summum quatuordecim apud Prorectorẽ sese sistant, vbi, cùm obligati fuerint singuli promisso certo, cognoscant, quo consilio distribui sua beneficia velit Illustrissimus Princeps Elector, & quid requirat amplius. Præscribetur ratio studiorum Philosophiæ destinatis, quam certo præceptore duce & gubernatore sequentur. Æternus Pater Domini & Saluatoris nostri* IESV CHRISTI *præstet, vt quod optimo & saluberrimo consilio susceptum atq; inchoatum est, cedat ad eum finem, qui spectatur, scilicet, ad gloriam nominis diuini, propagationem*

 æternæ

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-62-quod/start.htm?image=00000130

æternæ veritatis, Eccleſiæ conſeruationem, quam vt inter nos colligat perpetuò filius Dei, toto pectore precamur.

PP. 19. Iunij.

SENATVS ACADEMIÆ VVITEBERGENSIS.

CVM pleriq; ſimus parentes, omnes nouimus, quanta ſit vis amoris paterni erga liberos, et quantus viciſſim oboriatur pijs parentibus dolor liberorum calamitatibus, præſertim cùm degenerant & propter delicta incidunt in pœnas publicas. Propterea conſilia gubernationis noſtræ in puniendis contra leges delinquentibus, præcipuè eò dirigimus, vt ſanentur & emendentur ij, quos ſpes eſt ad meliorem frugem redituros eſſe, Et ne parentibus dolor exacerbetur, ſæpè iuſtam ſeueritatem, quam atrocitas, & magnitudo delictorum exigebat, moderamur, ac mitigamus pœnas. Tali lenitate ſæpè apud moderatos & ſanabiles tantùm profecimus, vt quaſi nouo deuincti beneficio ad acrius obediendi ſtudium, deinceps in omni vita modeſtiores, in officijs omnibus diligentiores fuerint. Naturas verò diſtortas & cõtumaces, hoc modo adeò nõ emolliuimus aut fleximus, vt ferociam etiam exacueremus, quibus hac de cauſa remedia tandem aſperiora fuerunt adhibenda, ne contagio inficerent & corrumperent plures alios in hoc corpore noſtro. Qui itaq; contumacia ſua cogunt nos vſurpare remedia ſeueriora, ſibi id imputent, non nobis, quos DEVS cuſtodes diſciplinæ in hac literaria militia conſtituit, & vult exequi leges honeſtatis, & tranquillitatis publicæ cauſa conditas, ac tueri diſciplinæ neruos. Hunc adfuturum nobis in cohercendis ac reprimendis petulantibus, ne exemplo noceant, certò confidimus. Eſt autem cuſatus apud Senatum Academiæ multoties N. N. cùm de alijs delictis, tùm verò de nocturnis graſſationibus, in quibus nonnullis excuſſit feneſtras coniectu lapidum tanta violentia, vt dormientes penè in ipſis conclauibus oppreſſerit. Hic ſæpè obiurgatus, ſæpè commonefactus, ſæpè carcere punitus adeò nullam emendationis præbuit de ſeſe ſpem, vt occalluiſſe ad hæc omnia videatur. Nunc vocatus in iudicium hinc aufugit. Cùm autẽ hunc neruũ diſciplinæ oporteat conſeruari, vt vocatus ad iudicium ſiſtat ſeſe, & cauſam dicat, ac hac in re cùm obedientiam præſtet magiſtratui, tùm vel ſeſe liberet culpa, vel conuictus pareat ſententiæ, ſignificamus nos deinceps in illos, qui non compa-

ruerint, summa pœna animaduersuros esse, indicta causa. Quod autem tu N. vel defugisti vel recusasti iudiciũ priuatim accersitus, nunc publicè tibi diem dicimus, et vt ad diem Veneris proximam in Collegio Iurisconsultorum hora XII. præsto sis, tibi edicimus. Si emanseris, statuetur tamen de te id quod rectum fore cognoscetur, & contumaciæ culpa, quæ in crimen periurij incurrit ex promisso præstito loco iuramenti, aggrauabuntur delicta priora.

Die Mensis Iunij 20.

RECTOR ACADEMIÆ VVI-
TEBERGENSIS, BARNI-
mus Iunior Dux Pomeraniæ &c.

FVIT Liuonia inde vsq; à temporibus HENRICI VI. per annos trecentos velut Trophæum quoddam victoriarum virtutis, sapientiæ, & pietatis Germanicæ, quod ad hunc boreum Imperij Romani limitem deuictis, & subactis gentibus Barbaris, & colonis nouis introductis, maiores nostri constituerunt omni illa regione, quæ amplissima est, redacta in formam prouinciæ, et legibus descripta, atq; in Ecclesias & politias digesta, vt partim ab Episcopis,

scopis, quos religio requirebat, partim ab ordine sacrorum militum, quibus ad defensionem opus erat, gubernaretur. Fuit simul & murus ac propugnaculum Germaniæ aduersus feras, ac barbaras gentes Septentrionis & Orientis, quas illa sustinuit ac repressit velut exundans flumen obiecta moles. Nunc ornamentis spoliata, ignauia nostra, cessit direptioni ac prædæ vicinorum regum. Dimicantibus enim inter se de Principatu illius terræ Moscis, Suecis, & Polonis, & nobis ociosè spectantibus miserè & fedè dilaceratur, vt quanquam vbiq; multum sit confusionum & magna mœsticia: Tamen nullius regionis tristior & deformior, nullius contemptior sit species, quàm Liuoniæ, quæ ante paucos annos ita formidabatur à vicinis, vt non irritanda putaretur etiam potentissimis gentibus, quippe quæ vel leuiter lacessita, robore militum in ipsa Russiæ viscera populabunda penetrare fuit ausa. Inter hæc tamen discerptæ ac penè collapsæ Liuoniæ, miseræ ἐξίπτᾳ DEVS admiranda bonitate colligit, seruat, tuetur, ac protegit Ecclesias aliquas multis in locis, quæ ipsum rectè agnoscunt, inuocant, & colunt, & nobiscum vnam doctrinæ cœlestis vocem magno consensu sonant. Teneram etiam ætatem educari, & institui diligen-

ter in elementis omnium artium neceſſariarum oſtendunt ij, qui inde in hanc Academiam ſtudiorum cauſa commigrant excellentes ingenijs, & rectè eruditi atq; aſſuefacti. Talẽ fuiſſe audimus CASPAREM BOCLERVM, qui natus VVENDÆ, vbi Magiſtri equitũ Teutonicorum ſedes fuit, patre ſene octogenario, oppidi Conſule, viro graui & ſapiente, & olim huius etiam Academiæ alumno, cùm & præclaras ingenij dotes haberet, & magno ſtudio eas excoleret atq; exornaret ſpem de ſeſe ſummam patriæ, & parentibus concitarat, quam præmatura morte abſcidit ac ſuſtulit omnem. Deceſſit is heri circiter primam meridiei horam, cùm decubuiſſet ſeptimanas nouem ex febre, quæ cùm initio tertianæ ſimplicis typos ſeruaſſet, deinceps geminata, vires naturæ grauiter afflixit. Acceſſit autem defluxio ex capite, quæ oppletis pulmonibus, tandem eum ſuffocauit. Pectus eius fuiſſe templum Spiritus ſancti, in quo arſerunt viui motus iuſticiæ, læticiæ, & vitæ æternæ, prælucente vera DEI noticia in agnitione, & fiducia filij IESV CHRISTI, teſtatur, & totus vitæ curſus, qui fuit pietati analogus, & extremus agon, in quo ſe ſemper animo volutare, & agitare dixit iſta dicta: DEVS eſt dilectio, quis nos ſeparabit à dilectione Dei? Item

Item, Domine redemiſti me, Deus verax. Talis ingenij præſidium, & patriæ afflictæ, & periclitantibus Eccleſijs patriæ eripi, doleamus. Afficiamur & ſenis parentis orbitate, Et oremus DEVM, vt conſeruet ac defendat aliquas politias et Eccleſias in Liuonia, nec ſinat omnia Barbaricis vaſtationibus deleri, & ſeni patri etiam leniat mœſticiam, quam adfert conſpectus publicarum calamitatum, imo interitus patriæ & filij deſiderium. Funus fiet ei horæ QVARTA, quod efferetur non procul à Viti Creuceri typographi ædibus in platea Iudæorũ habitantis, Eo vt conueniant Scholaſtici et funus proſequantur, hortamur. Die 22. Iunij Anno 1564.

RECTOR ACADEMIÆ VVITTEBERGENSIS BARNIMVS Iunior, Dei gratia Dux Pomeraniæ &c.

DEFERVNTVR ad Senatum Academiæ querelæ multiplices, de quorundam ſcholaſticorum iniurijs & violentia, qui agminatim vagantur in ſuburbio armati Sclopetis, & vel perruptis ſæpibus, vel effractis foribus irruunt

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-62-quod/start.htm?image=00000133

runnt, in concluſos hortos ciuium, ac fructus diripiunt. Colonis verò vel deprecantibus iniurias, vel prohibere conantibus minitantur, aut etiam intentant ſclopetos ad diſplosionẽ inſtructos. Hæc cùm indigna ſint ordine ſcholaſtico, qui & intelligere & colere IVRA HOSPITALITATIS & IVSTICIÆ *officia, publicæ tranquillitatis cauſa maiore cura debebat, quam Cyclopes faciunt, aut homines barbari, primum quantum ad ſclopetos attinet, reuocamus vobis in memoriam ſeueriſſimum interdictum Illuſtriſſimi Principis, Ducis Saxoniæ, Electoris* FRIDERICI, *quo vſus & geſtatio armorum Scholaſticis in Academia prohibetur, & mandamus, ne quis vel bombardas, vel aliud quodcunq; genus armorum ſecum circumferat, ſi qui cum armis compræhenſi fuerint (conſtituentur enim qui tales obſeruabunt) in hos edetur exemplum lege ſancitum, quod terrebit cæteros, ſine vllo delinquentium diſcrimine. Ipſa verò violenta irruptio, & depopulatio hortorum, quam aliam niſi latrocinij ſpeciem habet? quæ aggrauatur culpa ingratitudinis, cum ſitis hîc hoſpites, & mediocribus officijs magna ſedulitate iuuemini à ciuibus, pro quibus, & rebus eorum, & ſi res ſuas tueri conentur, vitæ inſuper vim inferre, ſcelus eſt, non*

non ciuili, ſed corporis pœna vindicandum, quæ in graſſatores Imperatorum autoritate decreta & expreſſa eſt legibus. Scimus paucos eſſe in hoc tanto numero, qui talia faciunt, quæ etſi ex ſtolida, & iuuenili ferocia proficiſcuntur: tamen reprimenda ſunt, ne ſi hac ætate radicibus actis confirmentur, adultos poſtea impellant ad alia maiora. Reliquos his non minus offendi quàm præceptores ipſos, et ſi interuenerint, daturos eſſe operam, vt compeſcantur autores, certò nobis perſuademus.

Significamus igitur illis hortorum populatoribus, vt in poſterum ab iniurijs abſtineant: Id niſi fecerint, non defuturos eſſe magiſtratui neruos ad cohercendos ipſos experientur. Sunt enim iam aliquorum nomina Senatui indicata. Caueant etiã ne à colonis iniuriarum atrocitate irritatis mox in præſentia puniantur, ſeuerius fortaſſe, quàm conueniebat, vnde optimis parentibus exiſtat deinceps cauſa magni & acerbi luctus, Sicut meminerunt ſeniores accidiſſe antehac nonnullis. Præterea comperimus nonnullos hîc verſari, qui cum in agmine ſcholaſtico ſeſe oſtentent, & huius immunitatibus fruantur, inter hos tamen NOMEN *profiteri ſuum, ſeq; magiſtratui Scholaſtico ſubijcere nolunt. Quos ſi pudet ſcholaſticos vocari, & agno-*

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-62-quod/start.htm?image=00000134

agnoſcere magiſtratum, quem & nos reuerenter in hac ſchola coluimus, & nunc gerere honorificum nobis ducimus, illos auferre ſeſe hinc præſtaret procul, priuſquam ſub certi magiſtratus imperium adigantur. Quo tales pertineant, qui in honeſta ſocietate ſine legibus & ſine magiſtratu ſuo volunt viuere arbitrio, & ἀνυπεύθυνοι εἶναι, quodq́; tales ferendi minimè ſint, pij & prudentes intelligunt. Præſertim cum & PAVLVS præcipiat: Vt quiſq́; poteſtatibus, quæ præſunt, ſubiectus ſit. Si ergò ceſſarint indicare ſeſe Prorectori, & tamen commorari hîc perrexerint, autoritate publica ſubeſſe Magiſtratui vrbano vel ſuperiori cogentur.

BALDASAR RHAVV SILESIVS, LIBERALIVM ARTIVM MAgiſter, Decanus communitatis ſtudij bonarum diſciplinarum atq́; artium, in Academia Vitebergenſi

S. P. D.

NAm quid fata parant cum te quoq́; maximè vatum
Quo neq́; erat maior donis, nec celſior ibat.
Haud ficta pietate animi, laudemq́; ferebat
Corporis in cultu, menſæq́; in paupere victu,

Qui

Qui verum digito monſtraſti gentibus Agnum
Sãguine qui malefacta luens et geſtat, et aufert.
Te quoq; cùm tantis inſignem ac talibus auſis
Fors illaudati maleſuada libido Tyranni
Multaret letho, & roſea ceruice reuulſum
Filia lance ferens caput inter fercula menſæ
Ad cytharæ numeros iucundè mẽbra moueret.
Hei talin' decuit ſuperos te opponere monſtro
Tot clarum factis ingentibus? an tua quiſquam
Dona animo reputans, et contrà triſtia cernens
Fata tua, immeritumq; odiũ, miſeramq; ruinam,
Temperet à lacrymis, aut, qui mortalia cœlo
Facta regat, putet eſſe Deũ? ceu ſæpè videmus
Affluere indignos opibus, votoq; potiri,
At contrà egregios animi, & meliora merẽtes
Omnibus ærumnis affectos exigere æuum
Vt vitæ hos odium teneat, lucisq; videndæ,
Et ſibi conſciſcant mœrenti pectore lethum.
Tentat enim mentes, atq; exeſt anxius angor
Ecquæ fortè Dei nobis æterna poteſtas
Sit, varios caſus quæ iuſta lance miniſtret.
Ergò ſæpè malis oppreſsi in pectore, Numen
Iniuſti inſimulant, & ſydera triſtibus implent
Queſtibus: O ſemper votis contraria noſtris
Fata Deûm: Sic nos cœlum ſperare iubemur,
Cùm ſæpè hunc tenuem vitæ mortalis honorem
Quem vigil extuderat nobis ſollertia rerum

Non

Nõ prohibente Deo momento effundimus vno.
Atq; hæc sensa quidẽ magni velut Arietis ictu
Sæpè hominũ illudunt mẽtes, quatiuntq; frego-
Ni benè muniti sancto velut aggere verbi (re,
Scirent, quid moueat superos, quando agmina
Agminis et sancti ciues, plærunq; ruinis (sancta
Inuolui, & fato mergi patiuntur acerbo
Indignùm, & nil tale sua virtute merentes.
Talis in exemplo est sacra de stirpe creatus
Abiadæ, quo non vatum præstantior alter
Extitit, aut vnquam lucis prouenit in auras,
Hanc Christo faciente fidem, cui nullus in ore
Ambiguo dolus, & vani non conscia lingua,
Verborum, sed certa fides: tamen occidit vnà
Flos hominum, vatumq; decus, qui præuius ibat
Doctrinæ in cursu, ceu Phœbo discolor Eos
Manè nouo prætentat iter, tenebrasq; repellit,
Nec sua eum texit pietas: Etiam sua Christum
Fata vocant, tandemq; truci fit præda Pilato.
Scilicet id superis visum est, per mille pericla
Tendere ad æternos diuinæ lucis honores,
Vnde viam roseo signauit sanguine Christus
Quâ penetrare datur, superasq; euadere ad ar-
Multa sacros ortus tãti præeuntia vatis (ces.
Signa, fore illustrem fama, fatisq; docebant.
Nam sterili productus anu sua viscera saltu
Matre Dei præsente leuat, gestumq; repentè
Lætitiæ ostendens, numen præsensit in aluo
Clausus adhuc, dominũq; suũ veneratus honore
Et genitor rupit transacta silentia linguæ (est.
Quando illi in tepidas venit puer æditus auras.
Hæc tum non dubijs monstra adparentia signis,
Arguerant Vatis doctrinam, animosq; viriles.
Nãq; docebat vti Deus vnus in ordine tri-
Iura det in cœlis, qui nato compare, & aura (no
Consorte æthereos cœli procuderit orbes,
Liquentesq; maris tractus, nixamq; sine vllis
Tellurem fulcris medias librarit in auras.
Vidit enim, vidit manifesto numine ferri
Tergeminam seriem, cum lini albentis amictu
Succinctus, vitrea Iordanis sparsit ab vnda
Progeniem patris ætherei, simulansq; columbã,
Ignipotens Flatus sacrato in vertice sidit,
Et patris è cœlo vox est diuina secuta
Commendans natum diuersis gentibus orbis.
Tum perhibet, Christum terra Nasaride
Virginis ex aluo lucis prodisse sub oras, (cretũ
Stirpe tamen gemina nexu coëunte sub vno,
Verum hominẽ, verumq; Deum, qui numine dio
Sit prior Abramo, quamuis ipse anteit illum
Ortu mortali, & citius veniisset in auras.
Hinc addit, tristi conceptum in crimine
Iram, iudiciumq; Dei sine fine mereri, (mundũ
Nec quenquam tanta potuisse à mole leuari.

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-62-quod/start.htm?image=00000136

Officio Aronis, nec Mosis lege seueri,
Nec proprijs ausis, Solymi nec sanguinis ortu,
Quale rudimentum sparsit Pharisæa propago:
Ni trahat admissæ tandem fastidia labis,
Et tua dona tuo nobis cum sanguine parta
Accipiat bone Christe fide, debinc nomine fre-
Iusticiaq; tua, ter puro flumine mersus *tus,*
Infectam antiqua deponat origine labem,
Et fidei specimen præstantibus ædat in ausis,
Arboris in morem, dulci quæ turgida succo
Feruet, & egregio egregios dat robore fœtus.
Quin etiam edocuit solum te munere fungi
Flaminis æterni, qui crimina nostra piares
Ante tuum Patrem, qui te Spiramine sancto
Perfusum, penitusq; tua sub lege tenentem
Omnia, constituit regem, auctoremq; salutis,
Auspice quo miseris reparetur gratia cœli,
Eq; sinu Patris verax doctrina per orbem
Spargatur populis, precio quòd sanguinis ipse
Humanum expendis scelus, & semel hostia fa-
Omnia perfectis exoluis crimina sacris *ctus*
Sãguine cõspergens, & sacro Flamine inunges,
Pignoris in morem nobis quod tradis habendum
Et velut appenso firmas data munera signo.
Idẽ etiã asseruit, Christũ per munia verbi
Legitimas Sponsi partes, & munera obire,
Qui sociam æquali secum det honore potiri.

Quiq;

Quiq; pias tractent artes, & sacra ministrent,
Illos nempè vicem tantùm ductoris habere
Vt thalami sociam comitantes fœdera firment.
Iude magistratus partes, laudesq; pudici
Adseruit lecti, nec honesti militis arma,
Armorumue Duces, famæ spoliauit honore.
Quin etiã populos docuit sua ambage docebat
Qua vice sit Fidei doctrina a Lege remota,
Quodq; animæ superet natura, æuoq; sequenti
Cum sub iudicium vitas et facta vocabit (stus,
Supremùm aduenies suprema ad munia Chri-
Præmia sint mansura pios, & pœna merentes.
Hæc pius edocuit diuino carmine vates,
Impubesq; choros ripa Iordanide cogens
Dulce rudimentum teneris insecuit alumnis,
Cui victum in duris syluestria mella ferebant
Decussa è foliis, & viles litore cancri
Vipereo infesti generi, & serpentibus atris.
Sic vitam, & casti mores imitatus Eliæ est,
Saltibus his olim iuuenum qui docta cõgit
Agmina, & ad sacras eduxit protinus artes.
Quanq; igitur variæq; vices, multæq; ruinæ
Ob multas scelerum species, & multa piacla,
Ingentes vrbes, nec non ingentia regna
Sedibus excussêre suis, conuulsaq; fundo
Fatalem traxêre, trahentq; subinde ruinam:
Rex superûm æterno nostri deuictus amore

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-62-quod/start.htm?image=00000137

Seruat adhuc aliquod, seruat tamẽ agmẽ in orbe
Quod Christi laudes canat, & cœlestia latè
Dicta, voluntatemq; Dei per secla propaget:
Ceu numerũ exiguum, sed enim præcepta sonã-
Vera Dei, veraq; fide pia sacra ferentem (tem
Texit ope, & cladem fecit superare cruentam
Quam ferus Herodes, semperq; auersa Deo gens
Pontificum, Syriæ latè exercebat in ora,
Tempore quo casta Mariæ concepta sub aluo
Vera Dei soboles nostros assumeret artus.

Cumq; pios cœtus sibi cogat voce docentum,
Qua mentes hominũ mouet, & vitam inserit æ-
Nõ sinit ingenuas euerti hostiliter artes, (gris:
Doctrinæue piæ studia, & discrimina fandi:
Sed sanctis curis acuit mortalia corda,
Audentesq; iuuat qui primæ in flore iuuentæ
Addiscunt artes, per quas Ecclesia Christi
Incrementa capit, veluti cum rosidus humor
Manè nouo segetem pubenti pascit in herba.

Ergo & si quis amat cẽsuræ subdere nostræ
Artis opus, specimenq; sui proferre laboris:
Is sua si dederit mihi nomina, quenq; sequetur
Ex merito concessus honos, & præmia palmæ.

In die Visitationis Mariæ.

Rector

RECTOR ACADEMIÆ VVITEBERGENSIS BARNIMUS Iunior, Dei gratia Dux Pomeraniæ &c.

PATRIARCHA IACOB, cùm deducta familia in Ægyptum interrogaretur à rege, quanta esset ætas ipsius, respondisse legitur, dies peregrinationis vitæ suæ, paucos & malos esse, & non peruenisse ad dies patrum suorum, Cùm tamen ageret eo tempore annum vitæ 130. & decimo septimo anno post mortuus sit, vt compleuerit annos 147. quæ ætas triginta tribus annis minor est Isaaci patris ætate (quot anni vnam γενεὰν constituunt Herodoto) & desunt quadraginta septem, vt Abrahami aui ætas compleatur. Sed vt annorum numero auo & patre minor fuit, ita calamitatum aliquanto plus habuit vita ipsius, de quo sanctissimus senex illa ad regem responsione sua queritur, vt vitam suam centum triginta annorum breuem haberi velit, non tantùm patris & aui comparatione, sed per se etiam, vt videtur, atque insuper miseram. Hoc igitur, cùm ille de se dicat, quid de nostri temporis vita longissima, & qualis his moribus & temporibus degi potest & solet, sentiendum & dicendum nobis

sit, Vniuscuiusq; pietati & intelligentiæ æstimandum permittimus, cum & comparatione non cum priscis aut veteribus, sed superioribus tantùm temporibus, neq; tàm senes neque tàm multos senes habeat nostra ætas, & omnium ordinum homines in hac mundi senecta crescere & augescere vitæ miserias experiantur. De his rebus, vt admonueremus scholasticos, fecit honesti et honorati viri AMBROSII REVTERI *Norimbergensis decessio, qui viuendo attigit annum ætatis 68. quæ ætas est comparatione non parua, & donum Dei benignum, Sed parua per se, etiam secundum Psalmi æstimationem, Atq; ita quidem paucos hos dies suos confeciſſe eum audimus in varia fortuna & difficultatibus non paucis. Nam iuuenili adhuc ætate, in periculum eum veniſſe accepimus graue, quòd oppoſuiſſet se oppugnantibus veritatem doctrinæ Chriſtianæ, vnde mirabiliter liberatus in hoc Oppidum venit, & cùm in Academia honorificè habitus fuit, tùm in ciuitatis administratione publica munera geſsit, & honores præcipuos, & coniugijs honestiſsimis factus est pater vicenorum ternorum liberorũ, ex quibus duodeni sunt superstites, & tamen in hoc etiam curſu vitæ, quæ expertus sit, ij meminere, qui eum nouerunt. Ad extremum mutata Repub:*

Repub. Academiæ operam nauauit, præfectus ſcriptionibus publicis huius & iudicij Eccleſiaſtici, quo loco curauit annos 16. vſq; ad vitæ exitum, qui memorabilis est. Cùm enim concidentibus viribus mortem propinquam ſentiret, conuocatam familiam procumbere in genua ad lectulum ægroti iuſsit, & pro ſalutari ex hac vita exitu preces recitare de carmine germanico Reuerendi viri D. EBERI *noſtri, quibus peractis, Mei liberi, dixit, cùm hæreditatẽ vobis nullã relinquam, hoc tamẽ aliquando recordabimini, patrem veſtrum in fide Chriſtiana & vixiſſe & mortuum, Cumq; à Sacerdote de cantu quodam Eccleſiaſtico admoneretur ex genere eorum, qui alternis accinuntur, quos græci ἀναφωνὸς ὑμνὸς vocant, & inſtitutum esse docent Diui Ignatij, atq; à Græcis acceptum in latinas Eccleſias primùm introduxiſſe aliqui ſcribunt Ambroſium Mediolanenſem Epiſcopum, de huius igitur generis cantu quodam admonitus, qui & ipſe eiuſdem argumenti preces complecteretur, gratiſsimã ſibi esse commonefactionẽ noti carminis oſtendit, & ſe inter tales commentationes obdormiturũ dixit, ſicut pueri ſoleant ad cunarũ motum, Et paulò pòst, cùm valedixiſſet ſuis omnibus, et pauliſper acquieuiſſet, placidiſsimè expirauit, intra heſterni di-*

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-62-quod/start.htm?image=00000139

ni diei horam matutinã decimam et vndecimã, In labore & in dolore morte obrepente, vt Comicus loquitur, Quam tamen morte & calamitatibus in hac vita imaginem Christi capitis nostri repræsentauit, ad eam deinceps etiam in vita & gloria æterna conformabitur, Nam hæc spes proponitur vniuersis, qui moriuntur in Domino. Fiet autem funus ei hodie hora Tertia, quod scholasticos frequenti deductione sua cohonestare volumus.

PP. 4. Idib. Vlis
Anno 1564.

RECTOR ACADEMIÆ VVITEBERGENSIS BARNIMVS Philippi filius, Dei gratia Dux Pomeraniæ &c.

TRISTISSIMÆ hominum descriptiones sunt passim in voce diuina traditæ, Tibi tantum sum peccatum, vt tu iustificeris in sermonibus tuis, & vincas cum iudicaris, Psal. 51. Item, Ecce in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea. Et omnes corrupti sunt & abominabiles facti sunt in studijs suis, Non est qui faciat bonum. DOMINVS de cœlo prospexit super filios hominum, vt videat an sit intelligens aut requirens DEVM.

Omnes

OMNES declinauerunt, & simul inutiles facti sunt, Non est, qui faciat bonum, ne vnus quidem, Psalmo 14. & 103. Item, ad Ephesios 1. capite. Eramus natura filij iræ sicut & cæteri. Ac loquuntur hæc dicta non de adultis tantum, in quibus cum delicta crassa & insignia conspici possint, simul & harum tristium descriptionum veritas cernitur, Sed & de infantibus concionantur, Imò de ipsa massa in vtero matrum concepta, & formata. Hanc deplorat Dauid, & cùm euersam à Deo, corruptam & deprauatam, tum ream, Et vt PAVLVS loquitur, Naturæ iræ DEI obnoxiam ac subiectam esse conqueritur. Ac comprobat magnitudinem mali huius & miseriæ nostræ horribile Imperium MORTIS dominantis etiam in eos, qui vt PAVLVS inquit, Romanos 5. non peccauerunt in similitudine præuaricationis Adæ.

Hæc cùm aliâs sæpè, tùm præcipuè in funeribus infantulorum accuratè cogitanda sunt, vt agnita miseriarum nostrarum, & iræ DEI magnitudine, quæ vt Moises canit Psalmo 90. causa est quod tàm subitò deficimus & ceu volatu præpete auolamus. Tantò diligentius quæramus ac consideremus miserijs his opportunam consolationem. Quantumuis enim ter-

ribile sit quod de infantulis omnibus dicitur: Tamen filius Dei Dominus noster Iesus Christus benignissimè infantulos ad se allatos excipiens, & exosculans, talium regnum cœlorum, & omnia bona æterna propria esse adfirmat, Talium disertè inquit, qui videlicet adferuntur ad ipsum, & ipsi inferuntur, quia & discernere vult hos sibi oblatos & insertos, ab alijs hostium suorum extra Ecclesiam infantulis pereuntibus, & monstrare consolationem, quam cogitationi malorum & miseriarum natura nobis adhærentium opponamus, Etsi natura sunt filij iræ, qui propagatione carnali nati sunt: Tamen allati Christo, ipsiq; inserti, non iam iræ, sed gratiæ & adoptionis filij sunt, quorum propria est remissio peccatorum, iustitia & vita æterna. Hi abrepti morte, non amittuntur, Sed ad filium Dei præmissi in possessionem regni cœlorum deducuntur, prærepti multis tristibus huius vitæ miserijs ac calamitatibus. Hæc verò vnica & summa consolatio est, quæ in amissione natorum parentes εὐσοργὲς *efficaciter erigere, ac confirmare potest, Ac cùm notissima sit viro reuerendo & docto Magistro* IOHANNI BVGENHAGIO, *non dubitamus ipsum dolorem, quem ex morte filiolæ charis-*

charissimæ accepit acerrimum, piè moderaturum & patienter in hoc Deo obtemperaturum esse, cogitantem multò nunc melius esse filiolæ, quàm si secula multa in vitæ huius miserijs vixisset. Scholasticos verò hortamur, vt ad deductionem funeris, quod hodie hora prima futurum est, ante ædes Bugenhagij non grauatim conueniant. Et quæ de infantulorum & omnium nostrum miserijs, & his opposita consolatione monuimus reuerenter cogitent, & cùm vitam suam, tùm Ecclesiam vniuersam pijs precibus Deo commendent.

Die Margaritæ.

RECTOR ACADEMIÆ VVITEBERGENSIS, BARNImus Iunior Dei gratia Dux Pomeraniæ &c.

MENANDRI *illud,* τοῦτ' ἔστι τὸ χεῖρ', οὐχ ἑαυτῷ χεῖρ μόνον, *sapientium omnium est. Sed in Ecclesia intelligatur non tantùm sicut Ethnici interpretati sunt, de officijs, quibus & singulis benefit, & conseruatur communis societas generis humani, sed accommodetur præceptum ad Ecclesiam, & referantur actiones omnes*

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-62-quod/start.htm?image=00000141

omnes ad gloriam DEI. *Non enim ad hanc fragilem tantùm, & tot ærumnis obnoxiam vitam condidi sumus. Nec illa Euripidis vox vera est,* καταθανὼν πᾶς ἀνὴρ, γῆ καὶ σκία, τὸ μηδὲν εἰς οὐδὲν ἥκει. *Sed qui in Ecclesia moriuntur, ceu emigrant ex hac vita cum certa ac firma spe futuræ resurrectionis. Resuscitabimur enim ad æternam cum* DEO *vitam, & consuetudinem, in qua sese Deus nobis coràm ostendet, & communicabit in clarissima luce. Quare finem propositum huic vitæ statuamus præcipuum, non voluptates corporis, quod Epicureum est, nec solam virtutem consulentem præsentibus rebus, sed alium longè maiorem, scilicet, vt discamus doctrinam de vero & patefacto* DEO, *vt vsu, & exercitijs inuocationis, confessionis & aliarum piarum virtutum confirmemus fidem in nobis, & alijs, vt & doctrinæ communicatione ac propagatione plures ad* DEI *agnitionem perducamus, & exemplis inuitemus ad veræ pietatis exercitia. Ad hunc finem magno studio contendit egregius adolescens* ADAM BVTNER *Sprottauiensis, qui heri circa horam primam expirauit, superatus imbecillitate naturæ ex omnium virium defectu. Decessit autem edita insigni confessione fidei, quam vsq; ad extremum halitum assidua repe-*

titione sententiarum piarum, & ardenti inuocatione DEI *auxit & confirmauit. Non dubitamus itaq; cor eius fuisse Spiritus sancti domicilium, & nunc illum esse in numero eorum, quibus se filius* DEI *præparasse affirmat sedem, in cœlesti patria nullis seculis interituram. Exuuiæ corporis vsitatis funerum ritibus sepelientur hodie hora quarta, quas vt deducant Scholastici ex tonstrina, quæ est prope balneas publicas in vicinia Collegij, hortamur 30. Iulij.*

RECTOR ACADEMIÆ VVITEBERGENSIS, BARNIMus Junior Dei gratia Dux Pomeraniæ &c.

ET motus intestini regionum penè omnium in orbe Christiano, & tristissima spectacula mutuæ lanienæ in bellis non necessarijs, & docentium in Ecclesia ambitiosæ & acerbitatis atq; odiorum plenæ contentiones, eas portendunt orbi Christiano clades, quas in extrema mundi senecta antecessurus esse gloriosum reditum suum, prædixit Filius Dei Dominus noster IESVS CHRISTVS. *Has vt Deus clementer mitiget, & inter nos seruet Ecclesiam, in qua etiã natæ ex posteritate nostra ceu plantulæ*

tulis teneræ educentur ad agnitionem Dei veram, nec ſinat omnia barbaris vaſtationibus deleri & obrui, ardentibus votis precemur. Certè oculis intuentem præſentem rerum ſtatum, ac paulò pòſt ſequuturum animo proſpicientem ac præmetientem, cohorreſcere toto pectore neceſſe eſt, cui, qui præripiuntur, cum his agitur optimè, ſicut de inſulis dicitur, quòd colligantur nec videant ventura mala. Hæc cogitatio leniat etiam mœſticiam optimo & doctiſſimo viro Magiſtro BARTOLEMÆO SCHONBORN Profeſſori huius Academiæ, qui filiolam ELISABETHEN heri circa QVINTAM horam amiſit, profluuio alui, & vomitionibus, quæ infantilis ὀδόντων φύσιν vlitatæ ſunt, abſumptam, cùm Menſem exegiſſet ſeptimum. Huic funus faciet hora duodecima hodie, quod teſtificandæ ſuæ erga Collegam beneuolentiæ cauſa Profeſſores cæteri, ſtudij verò, atque obſeruantiæ ſuæ declarandæ cauſa erga præceptorem ſcholaſtici proſequentur frequentes. Vltima Iulij Anno 1564.

In

IN PRÆLECTIONEM PVBLICAM ARITHMETICORVM Elementorum Euclidæ.

NON abs re nos facturos arbitrabamur, candide Lector, ſi ad Arithmetices ſtudium extimulandum proponeremus Platonis in Epinomide dictum æterna quidem illud memoria dignum, cùm propter cæteras diſciplinas Mathematicas tùm ad tuendam inprimis dignitatem doctrinæ numerorum: Hæc verò eſt ſententia verborum Platonis. Vnum eſt naturæ vinculum, numerorum & magnitudinum doctrina, ac ſi quis aliam ad diſcendum quæret viam, is inuocet, vt dici ſolet, fortunam: Nam ſine his nemo vnquam in ciuitatibus beatus erit: Hic modus eſt, hæc educatio ſeu facilis ſeu difficilis: Per hanc ire neceſſe eſt, nec fas eſt negligere Deum, qui gratam famam in his artibus generi humano prædicat. Hoc eſt Platonis de his ſtudijs iudicium, à quibus noſtrorum hominum vulgaria longiſſimè recedunt. Sed μηδέ ποτε κρίνειν ἀδαήμονας ἄνδρας ἑάσης, Omnino non eſt iudicium de præſtantia vllius diſciplinæ faciendum vel ex indoctorum vociferationibus, vel ſemidoctorum affirmationibus aut negationibus, ſed de ſententijs eruditiſſi-

tißimorum quorumq; pronunciandum: Hi ſunt & Ariſtarchi, & Areopagitæ noſtri. Nemo vnquam vel ſplendidius vel magnificentius de numerorum locutus eſt doctrina noſtro Platone, qui dicit, vniuerſam diſcendi viam patere per hanc, ſic vt ſi quis per aliam ire affectet præpoſteræ quodam ſapientiæ impetu is neceſſe habeat, vel δρομαχῶν, vel peculiari quodam fortunæ numine duci, vt ſecuri poſſit aperire fores alijs, clauemq; findere lingua. Tandem adijcit religioſum Epiphonema, Non fas eſſe, vt aſpernentur veſtigia diuinitatis in his diſciplinis maximè conſpicua. Numeri quid ſunt niſi facula quædam mentis diuinæ, qua illuſtrata eſt in creatione pectus noſtrum? Huius faculæ ſplendor mirũ quàm langueſcat et obfuſcetur, ni ſtudeas eum cultura veræ Arithmetices grauiter ἀναζωπυρῶν. Nec ſatis eſt hoc ſtudij etiamſi more practico potuerimus calculare, quot mulctra lactis ſufficiunt 24. hædis, ſex igitur & triginta mulctræ ſufficiunt quadringentis & 23. hædis: Sed humanitatis & ſtudiorum cultores certum quoddam ſyſtema ſingularum præceptionum animo debent informare, ſicut hoc reperitur apud Euclidem in 7. 8. & 9. lib. huiuſq; ſyſtematis firmas & indubitatas ſciſcitari rationes: Ita nõnihil eſſet diſcrimi-

ſcriminis inter literatum & illiteratum, ita paratiores accederemus ad Dialectices ſtudium, ita mente incluſam haberemus methodum, qua duceremur per omnia doctrinarum genera. Sed iſta hactenus. Generoſa & non ſordida nec humi ſerpentia ingenia facilè colligent de horum indicatione veræ Arithmetices amplitudinem ac præſtantiam. His igitur vt inſeruiretur, decretum eſt à Magnifico domino Prorectore, quo primus liber Arithmetices Euclideæ ederetur noſtris cõmentationibus, & adiunctis ſequentibus duobus publicè ſtudioſis Iuuenibus enarraretur per ſex ſeptimanæ dies. Quod perlubenter me facturum recepi, vt qui ſemel iurarim, ſubiturum me virtutis & honeſtatis cauſa propter gloriam DEI & proximi ſalutem quoſcunque labores, nec potius ambiturum vel lucrum vel honores. Illam humaniſſimam de ſtudijs publicis benè merendi promptitudinem velim vt honeſti iuuenes in præſentia boni conſulant. Nec eſt quod quenquam deterreat huius vel ſequentium 11. librorum opinatu difficultas. Per ſe enim ſtant abſolutè, nec ſolùm non indigent præcedentium v 1. librorum Geometricorum ope, ſed nullum omnino doctrinæ genus ſibi præſupponi poſtulant, tantùm ſimpliciſſimam quandam Grammatices cogni-

tionem & ingenitum rationis lumen. Nulla doctrina his libris Arithmeticis est prior in vniuersa Philosophia, quod si nunc προσδοξότερον visum fuerit, inter explicandum euincet res ipsa. Vltima Iulij. Anno 1564.

STVDIOSIS DOCTRINÆ SACRÆ S. D.

SEMPER in Ecclesia vsus fuit maximus & assiduus Psalmi Dauidis, qui in numero primus est supra quinquagesimum, &, quod titulus ostendit, effusus ac recitatus ab ipso est, coram Deo in dolore acerbissimo, quo, posti adulterium ac cædem commissam, conflictatus est. Ac sine vlla dubitatione veteres & eruditi Ecclesiæ doctores, qui in templis ac scholis frequentissimum eius vsum esse voluerunt, non tantum rerum ac doctrinarum, quas continet ac explicat, amplitudinem, sed & verborum pondera, quibus res expressæ ac cõmemoratæ sunt, consyderarunt. Vix enim Psalmus alius est, quo ad rerum grauitatem ac doctrinarum copiam, verborum item emphasin ac maiestatem, vberior ac locupletior. Ordine exponit & quidem luculentissimè vniuersum hoc, quod de peccato originis, de remissione peccatorum, de iustificatione coram Deo, de sanctificatione & viuificatione credentium, de operibus verè bonis,

nis, de discrimine cultuũ verè Deo placentium aut displicẽtiũ, copiosè alibi scripta Prophetica & Apostolica tradunt. Et ita hæc exponit, vt in veris doloribus & certaminibus conscientiæ tanq; in praxi, vsum illorũ omnium ostendat & inculcet verbis & affectibus ardentissimis. Ac verè dici poterat, nõ solum ἐγχείρησιν seu ἐπιτομὴν breuissima, sed & cõmentarius atq; enarratio plenissima concionũ illarũ omnium, quæ in scriptis Propheticis & Apostolicis doctrinam de pœnitentia & iustificatione cõtinent ac proponunt. Nos verò enarrationem Psalmorũ, vt olim vocati sunt, pœnitentialium lectioni epistolarum Pauli eo consilio adiunximus, atq; ceu alternatis vicibus interseruimus, partim vt cõsensum Prophetarũ & Apostolorum, & vsum doctrinarum in inuocatione et luctu conscientiæ ex Psalmis monstraremus, partim vt in temporũ præsentium cõfusionibus, & peccatis horrendis, quibus, proh dolor, mundus hic senescens iram Dei, pœnas & pericula tristissima attrahit & cumulat, commonefaceremus atq; excitaremus aliquos ad seriã agnitionẽ ac deplorationẽ peccatorũ & periculorum cõmunium. Profectò enim nunc verè de genere humano dici potest, q; de suo populo Isaias, inquit: Nisi dominus reliquisset nobis semẽ, sicut Sodoma facti essemus.

Item, Iniquitates noſtræ tanq̃ venti diſſipauerunt nos. Irritant ac commouent iram Dei, & accelerant pœnas publicas, nõ tantũ horribilia regna Antichriſti, Mahometicum & Pontificium, quæ idola defendunt tetra & contumelioſa in gloriam filij Dei, ſed in ipſa etiam Eccleſia, quæ vocem diuinam ſine idolis & ſine blaſphemia ſonat ac profitetur, peccata eiuſmodi paulatim cumulantur, vt non à longè iam metuendæ ſint calamitates triſtiſſimæ, ſed quæ ex propinquo vrgent & infeſtant Eccleſiam, agnoſcendæ potius ac deplorandæ, et tanq̃ conciones aſſiduæ ad agendam pœnitentiam habendæ ſint. Quòd ergo reſpondet Chriſtus narrãtibus ſibi crudele Pilati facinus, qui interfectis aliquot Galilæis coëgerat cæteros ſanguinem interfectorũ in ſacrificio bibere: Niſi pœnitentiã egeritis, omnes ſimiliter peribitis, Id cogitemus concionari nobis quoq; ſingula & omnia pœnarum & calamitatum exempla, quæ vel cernimus vel audimus priuatim ac publicè. Ac ſi effugere pœnas publicas volumus, ſecuritatem tandem & ſtuporem contemnentem hæc triſtia & horrenda iræ Dei teſtimonia, excutiamus, et ad pœnitentiam nos ipſi excitemus. Ad eam rem ſtatuamus & neceſſariam & vtiliſſimam eſſe & doctrinæ de hoc articulo integræ conſiderationem, & præcipuè

cipuè Pſalmorum lectionem, qui affectus & dolores ſanctorum ardentiſſimos proponunt. Quare quod fauſtum ſit ac fœlix, hodie hora tertia loco ſolito enarrationem Pſalmi, de quo diximus, cæteris pœnitentialibus adiungemus, & pro fide noſtra de neceſſarijs omnibus auditores noſtros monebimus. Oro autem Filium DEI *ſedentem ad dexteram patris, cuſtodem et caput Eccleſiæ, vt clementer nos regat, doceat & protegat, & faciat vt hæ operæ noſtræ multis ſalutares ſint, Amen. Pridie Calendas Auguſti, Anno Chriſti ex Virgine nati 1564.*

Georgius Maior Theologiæ Doctor & Profeſſor.

RECTOR ACADEMIÆ VVITTEBERGENSIS BARNIMVS Iunior, Dei gratia Dux Pomeraniæ &c.

HERI quadrante horæ poſt ſextam veſpertinam obijt egregius adoleſcens, HENRICVS SOLIMANNVS *Hamelenſis, ſuffocatus ſubita defluxione, magno impetu è capite in pectus præcipitata, ad quam acceſſit πάθος quoddam ſimile apoplexiæ, cùm paulò ante liberatus febre tertiana ſecundo (ſemel enim reſti-*

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-62-quod/start.htm?image=00000146

tutus fecerat recidiuam) cœpisset sese paulatim colligere. Pater vir optimus, cui virtutis & sapientiæ opinio admirationem pepererat, & conciliarat fauorem Illustrissimi Principis ERICI *senioris Ducis Brunsuicensis tantum, vt custodiam arcis à se denominatæ illi commendarit, & opera eius atq; consilijs ad magnas res in gubernatione vsus sit: Is ergò hunc filium reliquerat vnicum, hæredem & bonorum, & quod multò maius decus est atq; ormentum, virtutis paternæ. Ita enim vitam instituit & rexit filius, vt virtutis atq; indolis paternæ semina in se propagata esse ostenderet, & non dubia spes eluceret, futurum, vt vbi cum virtute doctrinam cõiunxisset solidam, patrem esset superaturus. Sed imbecillior fuit natura* καὶ δυνάμει νόσερος. *Quare matri viduæ, quæ in magno luctu erit, cum orbata sit vnico & egregiæ spei filio (* ὀδυνηρὸν γὰρ ἐς' εὐτυχοῦντα τοῦ βίῳ ἔχειν ἔρημον διαδόχου τὴν οἰκίαν *) solatio sit, quod cum longæuitatem in filio sperare non poterit, decesserit is florente ætate, cum laude pietatis, modestiæ, diligentiæ, & industriæ, quam laudem rectè* PINDARVS *vocat* εὐωνύμων κτεάνων κρατίσαν χάριν. *Funus ei fiet hora Quarta, quod ex ædibus sarctoris Martini Bredou, vt scholastici prosequãtur,*

tur, hortamur. Cùm autem ritus funerum ideò seruentur, vt cõmonefaciant pios de magna infirmitate naturæ humanæ, de peccato, de peccati causis, de remedijs propositis à filio Dei, Ideo serijs & veris gemitibus singuli & se & Ecclesiam Deo commendent, ac precentur vt cum ruinam minitentur omnia, & vastitatem barbaricam, DEVS *tueatur ac protegat cœtus pios, qui ipsum rectè agnoscunt et colunt in agnitione & fiducia filij* IESV CHRISTI. *Et cum Ecclesiæ necessaria sint hospitia, prohibeat etiam, ne vastationibus vel externis vel domesticis prorsus dissipentur benè constitutæ politiæ. Valete Datæ 4. Augusti Anno 1564.*

SENATVS ACADEMIÆ VVITEBERGENSIS.

SI adolescentes considerarent, quàm & turpe sit, ad honestos homines, & graue conscientijs ad DEVM, *petulanter detractare legum autoritatem, et iudicia defugere legitima, spreta iurisiurandi religione, maiore studio fugerent occasiones peccandi, & si deliquissent, maiore se reuerentia sententijs legum, & magistratus subijciendo vel deprecarentur, vel si enormitas delictorum impunitatem non pateretur,*

tur, sustinerent pœnam, præsertim cùm sciant hoc queri à nobis, vt emendati redeant ad frugem meliorem, non vt contumelia afficiantur. Nō enim obedientia in subeunda ac perferenda pœna, sed delictum ipsum & deinceps contumacia pœnam recusans infamant. Sed introducta disciplinæ laxatione, bellis ciuilibus improbitate eorum, qui dissidia excitarunt in Ecclesia, ac scholarum autoritatem labefactarunt, his ergò causis introducta licentia in eum finem exijt, vt non tantùm gubernatorum autoritas passim contemnatur, sed minæ cœlestes etiam & legum voces rideantur, & ferè non sit locus amplius pœnis, licentia patefaciente occasiones euadendi multiplices. Cùm autem certum sit Deum, si magistratus impediatur, vindicem esse delictorum disciplinæ, & eisdem pœnis magistratum ipsum, si non faciat officium aut conniueat, subijcere, fiducia certa præsentiæ & opis diuinæ non committemus, vt in nobis desiderari aliquid iure possit, quanquam agnoscimus, quàm simus imbecilles, & ad gubernationis difficultatem, quàm parum simus instructi rebus necessarijs. Contumaces, qui sese nobis eripiunt, & pœnas effugiunt, tradimus vindici DEO. *Interfuit autem ante octiduum tumultui nocturno N. N. N. in quo grauiter læsus est*

est miser mercenarius: Culpa à socijs in hunc confertur, qua ille se non carere, fuga ostendit, cùm vocatus in iudicium non modò non comparuerit, sed sese etiam hinc subduxerit. Quare diem ei dicimus ad 14. huius Mensis Augusti, vt vel excuset se, vel conuictus pœnam subeat. Si non comparuerit, feretur sententia vt in contumacem, quam exequemur. Die 6. Augusti.

RECTOR ACADEMIÆ VVITEBERGENSIS BARnimus Iunior, Dei gratia Dux Pomeraniæ &c.

RECTE περὶ στοργῶν *Euripides ait:* οὐκ αὐθαίρετοι βροτοῖς ἔρωτες, οὐδ' ἐκουσία νόσος. *Non enim iudicio, consilio, aut cōsuetudine suscipitur vel ponitur amor mutuus inter parentes & sobolem, sed ex Sympathia cognati sanguinis ac spirituum nascitur: Neq; consumitur aut extinguitur ætate, etsi aliâs ardentior est, aliâs remissior, Et reprimitur interdum ac ceu hebetatur aliorum acriorum affectuum vehementia. Ad mentionem tamen aut conspectum calamitatis alicuius in sobole, vel fœlicitatis, acrius efferuescit atq; exæstuat, Concurrunt enim ac miscentur plures alij motus,*

ens, dolor & ira cum vindictæ cupiditate, si quid aduersi acciderit Soboli: Lætitia si eidem benè sit. Hanc vim σοφγῶν cum boni omnes experiantur, afficiantur etiam amicorum luctu, quando liberis orbantur, & societate luctus dolorem eis leniant.

Amisit autem heri M. Iacobus Eysenberg absens filiolum Iohannem, absumptum alui profluuio ex dentitione. Patri, qui natura φιλόσοφγ@ est, hic casus eò maiorem adferet mœstitiam, quòd abfuit. Sed feret orbitatem hanc ea moderatione, quam decere scit hominem Christianum, Et se eriget ac consolabitur dulcissima promissione Filij Dei, qui ad se iubet adduci infantes, & hos pronunciat esse hæredes vitæ æternæ. In huius complexu & osculis iam hærere filiolum, et frui æterna vita certò statuat.

Cùm autem mœsta mater sepelire eum hora duodecima decreuerit, hortamur scholasticos, vt funus deducant, & hoc officium M. Eysebergio præstent, qui aliquot annos vtiliter & magna cum laude docuit Euangelium Filij DEI in templo arcis, & multos scholasticos officiosè adiuuit ac proponit. Nam rogatu & intercessione ipsius non pauci beneficia multiplicia acceperunt à Reuerendissimo & Illustrissimo

strissimo Principe Archiepiscopo Magdeburgensi &c. auunculo nostro dilectissimo. Quos meminisse beneficia, & gratos esse decet. Benè ac fœliciter valete. 8. Id. Aug. Anno Christi 1564.

EPITAPHIVM IOHANNIS EYSEBERGII FILIOLI REVERENDI viri eruditione & virtute præstantis, Domini M. Iacobi Eysebergij, scriptum Autore M. Georgio Mauricio Noribergensi.

QValis in herbifero surgit flos cãdidus agro,
Phœb. ab æquoreis cùm redit ortus aquis,
Mox tamen ille idem violento à flamine læsus
Deijcit, erectum quod stetit antè caput:
Sic ego sum Fato primis ereptus ab annis,
Naturam morbi vi superante meam.
Sed veluti tandem flos idem pulcrior exit,
Flamine cùm Phœbus diffugiente redit.
Sic vbi iusticiæ mihi SOL effulserit olim
Lucidus, aureoli sideris instar ero.
Hic vita sine fine fruar, certaq; salute,
Quæ mihi Christe potens munere parta tuo
Interea dulces exoptatiq; Parentes, (est.
Sors mea forte quibus visa dolenda fuit,
Ponite tristiciam, cum spe, mox affore tempus
Quo petet amplexus latus vterq; meus.

Dece-

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-62-quod/start.htm?image=00000149

DECANVS COLLEGII PHILOSOPHICI IN ACADEMIA VVitebergensi, Magister BALDASAR RHAVV Naumburgensis, Illustriss: Principum Pomeraniæ Præceptor.

ETSI multa subinde incidunt, quæ diligentiam & curam discendi doctrinam Ecclesiæ, & communi hominum societati necessariam labefactant, & bonas mentes frangunt, præsertim in hac ingrata mundi senecta, in qua honestis vtilia longè præferuntur: Tamen sciant scholastici Deo placere hunc discendi laborem, & ei curæ esse cœtum docentium & discentium, qui perficiet etiam, ne labores nostri sint irriti, Sed vt pij & assidui scholastici sint velut palmæ ad riuulos aquarum positæ. Tantisper enim dum voluerit manere Ecclesiam DEVS, dabit Doctores, qui puram Euangelij vocem, qua agmen celebrantium ipsum colligitur, purè doceant, quanquam pressos, & varijs curis, & ærumnis exercitos. Hac ſte honestas artes discamus, & hanc ipsam sapientiam illustre testimonium de Deo esse, firmiter statuamus, quod ostendit, non casu hanc pulcherrimam mundi machinam ex atomis, vt Epicurus

curus fingit, confluxisse, non nasci homines tantùm ad huius vitæ ærumnas & infinitas calamitates, sed restare aliam vitam, in qua boni à malis segregati sapientia & bonitate Dei fruentur. Ad eam nos Academiam, in hac vita præparemus, & erimus conciues Christi in regno cœlesti, si in hac schola, initia huius æternæ sapientiæ hauserimus. Sunt igitur grauissimæ causæ, quibus meritò mouemur, vt & doctrinam amemus, & communes miserias placidè & sapienter feramus. Nec turbemur furoribus ἀθεῶν, qui propter religionis & artium honestarum contemptum, verè ὡς ἀπὸ σαπροῦ καὶ παλαιοῦ σήμονος pendent, neque imminentes calamitates prospiciunt. Prædicit filius Dei plena periculorum & miseriarum postrema tempora fore, in quæ nos incidisse fateremur, si modò sensum adhuc doloris aliquem posset habere pectus, iam quasi in callum induratum. Tanta enim malitia est hominum, vt contemptor pietatis maximus, passim sapientissimus censeatur, Exulat pietas, dominatur turpis lucri cupido, nec est, qui non fame miseros scholasticos necare studeat, cum in luxum & pompas inutiles pecuniæ profundantur. Verùm inter tot tantasq; ærumnas, Filius Dei sustentat pias mentes, quæ ministerium Euangelij, & artes

artes salutares suis officijs magnis & paruis ornant. Hoc consilio & nos operas scholasticas facimus, ad quas testimoniorum & graduum renunciatio pertinet. Quare quod felix & faustum sit, bis honestis & eruditis viris, quorum nomina hic recensentur, proxima die Martis decernetur gradus Magisterij. Cùm autem multis & grauiss.mis de causis haec testimoniorum renunciatio debeat esse publica, Doctores, Magistros & alios honestos & doctos viros, & huius celeberrimae Academiae auditores, reuerenter peto, vt vsitato more conueniant, & hoc officio singuli declarent, se fauere huius coetus honori. Oro autem filium DEI sedentem ad dextram aeterni patri, & dantem dona hominibus, vt perpetuo sibi inter nos Ecclesiam colligat, & honesta studia seruet, & tranquilla ei halcyonia clementer tribuat.

13. Aug: Anno 1564.

IN TERTII LIBRI PHYSICES PRAELECTIONEM.

HODIE hora secunda (Deo volente) incipiam explicationem libri tertij doctrinae Physicae Philippi Menlanthonis &c. quem com-

compendium esse voluit doctrinae peripateticae, quae exponitur in libris περὶ γενέσεως καὶ φθορᾶς. Est autem haec doctrina communis, & γενικὴ quaedam de elementis compositorum corporum, quae in mixta appellantur & causis principijs quare fiant & sint talia & de mutationibus quae in his quoquo tempore accidunt. Quod autem de fine & fructu studij Physici promittitur, causas rerum in naturae hoc explicari, id hac parte huius perficitur, & hinc potissimum deducuntur, eae imprimis quarum cognitione maximè in vita communi opus est, vel haec potius carere nequit. Eodem valent & duo posteriores libri Aristotelis de cœlo, & qui quarto loco adiunctus est de tribus meteorologicis eiusdem autoris, cùm ad illam περὶ γενέσεως doctrinam, quam ad hanc meteorologicam magis pertineat, vel potius ὅτι καὶ ὅτι τῆς περὶ γενέσεώς τε καὶ φθορᾶς πραγματείας, Vt Graeci indicant, & res docet. In hac enim parte eius libri vsus est penè singularis, itaq; & tanti hic fit, & ab intelligentibus quantum suppeditet vtilis & necessariae scientiae, memoriae mandari solet. Ex his igitur & ipsis libris multae disputationes in tertium libellum Physices nostrae collatae sunt, vt sit ad indicatam doctrinam de

ortu

ortu eorum, quæ ex primis quatuor corporibus conſiunt, & mutationum cauſis in talibus, εἰσαγωγὴ communis, vnde peculiariter deinceps de cauſis eorum, quæ naturaliter fiunt in animantium genere, ſtirpibus, lapidibus, metallis, & quæ ſupra terram accidunt, & quæ in ſublimi fiunt & meteora appellantur, tum alijs etiam multis, φιλοσοφήματα inſtitui & confici vtiliter poterunt. Sed in hac etiam parte doctrinæ noſtræ diligentiam & fidem auditoribus præſtabimus, cætera, quæ non ſunt in manu noſtra, DEO permittentes.

Eſromus Rudingerus.

RECTOR ACADEMIÆ VVITEBERGENSIS BARNIMVS Philippi filius, Dei gratia Dux Pomeraniæ &c.

QVOTIES de legibus dicitur, mens complectatur Decalogum, qui fons eſt legum & norma actionum, & leges referantur ad fontem. Diſcernantur autem actiones tabulæ vtriuſq;, & diſcrimen conſideretur inter legem diuinam, & leges Magiſtratuum. Differunt actiones primæ tabulæ, quæ propriè σεβάσματα καὶ λατρεῖαι vocari poſſunt, & actiones

nes ſecundæ tabulæ œconomicæ et politicæ, quæ erga alios exercentur, ſuntq; vel officia, quæ debentur diuina & naturali obligatione, vel opera debita ex contractibus, ad quæ accedit etiam obligatio ciuilis. Etſi Decalogus vox eſt ſapientiæ & iuſticiæ Dei, ideoq; valet immediatè propter autorem: tamen Deus non minorem vult eſſe vim & autoritatem legum, quas fert Magiſtratus, ſi non pugnent cum Decalogo, ſicut dicitur: Neceſſè eſt obedire, non ſolùm propter iram, ſed propter conſcientiam. Sed legibus Magiſtratuum includenda ſemper eſt autoritas diuina, quæ nos ſubijcit magiſtratibus, & hos armat ac cuſtodit. Imò vt Deus tueatur ordinem à ſe inſtitutum & iuſtitiam ſuam, punit ipſe contumaces. Has cogitationes piæ mentes adferant ad eos congreſſus, in quibus honeſtæ leges vel promulgantur vel repetuntur, diſciplinæ & commonefactionis cauſa. Cogitet quisq; & ordinem in quocunque benè conſtituto cœtu legibus deſcriptum, opus Dei eſſe, & velle Deum, ne turbetur aut interrumpatur hic ordo, & Magiſtratũ ſuo loco collocatũ eſſe, vt cuſtos ſit ordinis et legũ exequutor, & Deum adeſſe Magiſtratui: deniq; illos, qui hoc Dei opus agnoſcunt ac tuentur, Deo curæ eſſe ac protegi diuinitus. Contrà conturbationem or-

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-62-quod/start.htm?image=00000152

dinis & legum violationem à Diabolo esse, & hominum malitia: & autores ἀνατασσίας vel adiutores deseri & abijci à Deo, & tandem hærere in pœnis, ac nisi pœnitentiam agant, ruere in æternum exitium. Tristia hæc sunt, quæ si multi perpenderent accuratius, minus laxarent frena cupiditatibus suis. Horum causa, vt ad moderationem reuocentur voce legum, & vt amor legum tenerioribus instilletur, commonefactiones tales repeti & sæpè inculcari necesse est. Atque vt sit occasio, institutum est, vt annuatim leges Academiæ bis recitentur. Cui rei cùm sit destinata dies crastina, præcipimus Scholasticis, vt hora 12. frequentes conueniant. Impendent mutationes maximæ. Crescit potentia barbararum gentium. Turcæ inhiant Italiæ, in qua subigenda vsuri sunt dissidijs gentis Italicæ, quæ odit Hispanorum imperium, & reuera vt Galba apud Tacitum ait, nec integram libertatem, nec plenam seruitutem ferre potest. A Septentrione formidabilis est Moscorum potentia & Scytharum. Hæc mala publica flectant animos vestros ad moderationem & ad pias preces, ne dissipentur vel Ecclesiæ vel imperia, quæ hospitia Ecclesijs præbent. Die 2. Septemb: Anno 1564.

Oratio

ORATIO HABITA AB EODEM ILLVSTRISSMO PRINCIPE cum Leges recitarentur ipso gerente magistratum scholasticum.

CELEBRATVR schola Pythagoræ, in ea ora Italiæ, quæ magna Græcia appellata est, quòd produxerit & Philosophos summos, & optimos ac sapientissimos Nomothetas atq; Gubernatores, qui ab autore Pythagorici sunt nominati.

Etsi autem, postquam hi passim in vrbibus principatum obtinuissent, clandestina quædam illorum coniuratio, quæ tamen qualis fuerit, non exprimitur, causam præbuit, vt deleti ipsi, & Synedria eorum exusta sint vno tempore vniuersa, cuius simile, de familia quadam Militiæ sacræ legimus, maiorum nostrorum ætate, quos Templarios nominarunt: tamen & leges quibus constituerunt Respublicas, honestissimas fuisse atque grauissimas, docent reliquiæ constitutionum Zaleuci & Charondæ, & easdem profuisse publicæ tranquillitati, quamdiu viguerunt, testantur seditiones, quæ Pythagoricos sublatos secutæ sunt, & doctrinam politicæ sapientiæ, quam autor familiæ ex Ægypto aduexit, congruam esse fontibus sa-

pientiæ diuinæ, ostendunt fragmenta disputationum, quæ supersunt, ex schola illa profecta.

Recitatur alicubi Diotogenis Pythagorici sententia, qua qualem deceat esse bonum principem definitur. Princeps bonus, inquit, est, qui iustissimus est: Iustissimus est, qui Νομιμώτατος, *id est, qui maximè secundum leges imperat,* τὸ γὰρ δίκαιον νόμιμον φησὶ. *Talis autem est & Imperator bonus, & Iudex iustus, & Sacerdos sanctus. Tria enim exigit officia præcipua à bono Principe,* τὸ στρατηγῆσαι, *id est, foris bello arcere hostes, ac latrocinia depellere, vt subditi domi pace frui possint, & ijs vacare operibus, quæ pacis propria sunt.*

Secundò, τὸ δικαιοφυλακῆσαι καὶ τὰ δίκαια διανέμειν, *id est, domi tueri & administrare iustitiam, quæ stabilit thronum, regere iudicia ac disciplinam,* τὸ ποιῆσαι εὖ & εὐσεβεστέρους τοὺς ὑποτεταγμένους, *id est, affectu paterno consulere vtilitatibus populi, vt patresfamilias educare liberos & honestis artibus erudire possint, vt conseruetur in terris vera de Deo & filio eius Iesu Christo noticia, & colantur alia virtutis studia, quæ negliguntur aut deseruntur, cùm vastationes efficiuntur bellis aut latrocinijs, aut cùm tyrannicè opprimuntur subditi, vel exhauriuntur principum* βουλίμια.

Tertium,

Tertium, quod requirit, est τὸ δραπεύειν θεὸν, *iuxta dicta: Reges intelligite: Erudimini qui iudicatis terram: Osculamini filium. Item: Aperite portas principes vestras, vt introëat rex gloriæ.*

Item, Reges erunt nutritores tui. Duo enim complectitur hæc pars, vt qui præsunt alijs, ipsi rectè agnoscant, seriò inuocent, vera ac non simulata pietate, & pijs officijs atq; exemplis colant DEVM. *Deinde vt foueant ac tueantur Ecclesias & scholas, adiuuent ministerium Euangelij, propagent veram Dei noticiam inter homines.*

Idem Diotogenes ciuem optimum describens, hunc cæteris antefert omnibus, qui nullas victorias, triumphos nullos, nullos in Republica honores, vt Plato ait, pluris facit, quàm dici ciuem obtemperantem legibus & principi, qui est νόμος ἔμψυχος, *id est, viua & animata lex, sed ita, cùm non discedit à Regula, nec degenerat à semetipso, sed intra metas legibus circumdatas sese continet.*

Etsi scio autem ab homine Ethnico hæc dici, neq; ignoro, quantum interfit inter doctrinam Ecclesiæ propriam & sapientiam Ethnicorum: tamen præcepta moralia à quocunq; tradantur, si cum Decalogo congruant, iudico

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-62-quod/start.htm?image=00000154

esse vocem legis diuinæ, quæ est æterna & immota sapientia & regula iusticiæ in DEO *cuius radios* DEVS *conditor sparsit in mentes hominum, vt ostendant, quod & qualis sit Deus, & velut normæ regant actiones. Et fiunt illustriora talia præcepta, vt cætera legis diuinæ, cùm ex Ecclesiæ doctrina declarantur, præsertim si concinna breuitas insit.*

Ideo libenter talia dicta amplector & vsurpo, meq; hac Diotogenis commonefactione delectari fateor mea & aliorum causa. Nam et me studijs eo consilio adhibitum esse intelligo, vt quæ mei officij futura sunt in gubernatione discam atq; exercere consuescam. Et cùm propter Magistratum scholasticum quem gero, dicendum esset aliquid veteri more atq; instituto, de obedientia & officio, hoc in loco: iudico me à memetipso ordiri debuisse. Nam qui alijs præcipiens sibi etiam leges fert, δυὸ χρώμενος συνέργοις τοῖς ἰσχυροτάτοις ἰσότητι & φιλοθεωπίᾳ, *id est, administris vtens duobus fortissimis, æqualitate & humanitate, vt Polybius inquit, is suo plus efficit exemplo, quàm vel oratione longa, vel atroci commminatione.*

Me quidem & horum & similium aliorum præceptorum, quæ vox cœlestis tradit, ad quæcunq; me Deus gubernacula prouexerit & euexerit, memorem fore profiteor. Et oro Deum patrem æternum Domini & saluatoris nostri Iesu Christi, per & propter filium, vt me doceat, regat & ducat sancto suo Spiritu, ac faciat me vas misericordiæ, & organum salutare meis ac multis alijs in genere humano.

Hæc cùm de me dixerim, vos etiam commilitones optimi, officij vestri commonefacio, in quo faciendo, si studio inter vos & diligentia certaueritis, qui est agon omnium splendidissimus, βραβεῖον *auferetis tali victoriæ destinatum amplissimis promissionibus diuinis. Ambitiosè, vt Paulus loquitur, hoc agite, vt propria faciatis, hoc est, quæ officij sunt & vocationis vestræ, quæq; sunt vera, iusta, casta amicabilia, laude digna, & referte omnia ad gloriam* DEI, *ne irritetur ira* DEI, *ne offendatur ac deformetur Ecclesia, ne turbetur pax publica, ne mœrore afficiantur pij parentes vestri.*

Sit perpetuò mens defixa vestra in DEVM *seuerè flagitantem disciplinam, ac minitantem contumacibus, quos ponè sequitur* ἀδράστεια, *vibrati freni sonitu innuens assiduè* τὸ μηδὲν ἄγαν. *Cogitatio verò complectatur sanctos angelos, custodes corporum vestrorũ &*

actionum omnium inſpectores, oculi intueantur præceptorum, & omnium honeſtorum hominum iudicia, vbicunq; eritis, quæ non reuereri, aut ferociter etiam ac petulanter contemnere, argumentum eſt impudentiæ ac prophanitatis extremæ, cui proximè immineant ruina atq; interitus. Perijt enim is, cui perijt pudor.

Moueamini & pœnarum magnitudine, quæ immutabili lege iuſtitiæ diuinæ delicta comitantur. Quia Deus iuſtus eſt, & cùm propter iuſtitiam ſuam abominatur ac deſtruit contraria, tùm intelligi vult, ſe iuſtum eſſe, & extare vult diſcrimen inter iuſta & iniuſta. Nec conſiſtere ſocietas generis humani poſſet, niſi facinoroſi ſeu perniciosa membra tollerentur. Vt ſciat autem vnuſquiſq;, quæ ſtatuant & requirant leges ſcholaſticæ ab vniuerſis & vnoquolibet veſtrum, ſuo loco atq; ordine, recitari nunc eas publicè curabimus. Vos qua decet attentione & reuerentia auſcultate.

POST LEGES RECITATAS.

Audiuiſtis leges Academiæ, quibus, cùm ſpectent gloriam Dei, ſalutem & tranquillitatem publicam, commoda priuata ſingulorum, & congruant cum decalogo, reuerenter obtemperabitis. Sum-

Summa laus eſt illorum, qui ita vitam inſtituunt, vt non modò non pœnis digna committant, ſed etiam obedientiæ conſequantur teſtimonia & mereantur præmia. His longæuitas voce diuina promittitur, referta atq; cumulata rebus ad vitam benè beateq; degendam neceſſarijs omnibus.

Proxima laus cedit ijs, quibus τὰ παθήματα ſunt μαθήματα, qui vel commonefacti vel caſtigati peccare deſinunt, aut quos aliorum pœnæ à peccando deterrent. Amentia eſt, in hac tanta naturæ infirmitate & diaboli ſæuitia, quærere animo politiam ſine vicijs & ſine erroribus. Quare ſua etiam tribuenda laus eſt ſanabilibus, quos pœnæ & exempla reddunt meliores.

Deplorati prorſus ſunt, qui vel cæci ac ferrei, nec ſuis nec alienis pœnis emendantur, vel efferantur in pœnis ac fiunt rabioſiores, vel repreſſi aliquantulum, mox relabuntur in eadem ſcelera. Tales Salomon facit ſimiles canibus redeuntibus ad vomitum. Sed longè triſtior eſt vox Chriſti, qui affirmat, talibus poſtrema fieri deteriora prioribus, redeunte Diabolo cum alijs ſeptem nequioribus ſpiritibus. Hæc cogitantes totis pectoribus cohorreſcite, cumq; multæ & magnæ confuſiones in vita oriantur,

antur tùm à Diabolo, tùm ab hominum vel negligentia, vel petulantia, petite vos gubernari à filio Dei, & maiore cũra ac diligentia regite mores veſtros, reprimite impetus ferociores, & obtemperate benè monentibus: quia certum eſt, Deum non eſſe efficacem in his, qui frena laxant cupiditatibus, aut perſeuerant in delictis contra conſcientiam. Lex enim eſt pædagogus in Chriſtum.

ORO autem toto pectore Deum æternum patrem Domini noſtri IESV CHRISTI, conditorem cæli & terræ, & hominum, & Eccleſiæ ſuæ, vnà cum filio ſuo Domino noſtro Ieſu Chriſto, cruciſixo pro nobis & reſuſcitato, et Spiritu ſancto paracleto, vt ſua immenſa miſericordia propter filiũ perpetuò inter nos colligat æternã hæreditatem Filio, & regat nos Spiritu ſancto ſuo, ſeruet hoſpitia Eccleſiæ, & cùm veriſsimè ſit fons ſapientiæ & legum, ſit etiam cuſtos inter nos communis ſocietatis, ordinis politici, diſciplinæ, iudiciorum & virtutis, efficiat, vt ſemper inter nos luceat vera ipſius agnitio, vt eum in omni æternitate celebremus.

DIXI.

Dece-

DECANVS COLLEGII PHILOSOPHICI IN ACADEMIA VVitebergenſi, Magiſter BALDASAR RHAVV Naumburgenſis, Illuſtriſs: Principum Pomeraniæ Præceptor.

VERVM eſt dictum: Currendum ὡς οὐκ ἀδήλως. Oſtendit enim non cæco impetu ſine cognitione finis, nec prudentia eligente media ſalutaria, nec inconſulto ſtudio excogitanda & inſtituenda eſſe media ad ſcopum præfixum ducentia. Sapientes igitur vt in alijs actionibus vitæ, ita in ſtudijs iuuenilibus potiſsimum, nihil magis neceſſarium eſſe ordine cernentes, vt conſulerent mentibus teneris, quæ ipſæ proſpicere propter ætatem non poſſunt, qua ratione à primis artium initijs aſſidua exercitatione ad altiora procedendum ſit, graui conſilio examina, quæ exuſcitant curam diſcendi & formant iudicia eorum, qui explorantur, inſtituerunt.

Hæc pia & ſalutaria veterum inſtituta, cùm Præceptores noſtri, qui animo paterno Reipublicæ, Eccleſiæ & poſteritati conſultum

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-62-quod/start.htm?image=00000157

tum cupiunt, conseruare studeant, decet scholasticos grato pectore, suam quoq; operam conferre, ad hos ritus conseruandos, præsertim cum sanæ menti nihil magis voluptati esse possit, quàm in præsentia præceptorum præbere doctrinæ specimen et eorum testimonijs, quæ apud exteros valere scimus plurimũ decorari. Itaq; cum quatuordecim studiosi, quorum nomina hic recensentur, iudicia præceptorum aliorum absurdis vociferationibus reuerenter præferant, & sibi primum in Philosophia gradum decerni petant, oramus, vt Illustrissimi Pomeraniæ Duces, Comites, Barones, & omnes omnium ordinum Doctores, Magistri, & auditores ad renunciationem illam gradus proximo die Iouis hora octaua conueniant, & sub officio consilium antiquitatis comprobent, & nobiscum vota faciant, vt Filius DEI, studia generi humano vtilia in hac Academia regat, & labores docentium & discentium prouehat: quod vt faciat, ardentibus eum votis & veris gemitibus precamur.

Die 3. Septembris Anno 1564.

Rector

RECTOR ACADEMIÆ VVITEBERGENSIS, BARNIMUS Iunior Dei gratia Dux Pomeraniæ &c.

OCTIDVVM est cum Magistro Andreæ Balduino viro doctissimo, qui adolescentiæ studia in hac vrbe regit, vxor præmaturo et difficili partu enixa est filiolum summo suo & infantis cum discrimine. Etsi autem mater periculo ope diuina superato, nunc ita confirmatur, vt speretur euasura esse octimestris partus, tamen, qui aut raro aut nunquam viuax esse solet, conseruare sese non potuit. Expirauit itaq; heri postquam Ecclesiæ per Baptismum insertus, miserias etiam huius ærumnosæ vitæ degustasset. Patrem cùm paulò antè penè non sperata liberatio & incolumitas vtriusq; ex consternatione summa in lætitiam coniecisset mirificam, mox alterius interitus parte lætitiæ priuauit, ne diu integro hoc gaudio frueretur. Sed dolorem ei leniat hæc consolatio, quòd filiolum Iohannem non amiserit, sed præmiserit in vitam meliorem ac beatiorem, & quod imbecillis fuisset futurus ac languidus, si vixisset. Quod si vera est illa sapientum vox Ὃν οἱ θεοὶ φιλοῦσιν ἀποθνῃσκει νεός, lætari etiam debet, cum præ-

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-62-quod/start.htm?image=00000158

præreptus sit multis & magnis calamitatibus, quæ certò impendent, sed de cruce & afflictionibus nos contra Philosophorum sapientiam docet Ecclesia, nec casu accidere aduersa, nec frangi nos animis, calamitatibus oppressos, nec iudicare debere ex euentu & ærumnis huius vitæ de DEI *voluntate. Sed certo* DEI *consilio affligi pios &* DEVM *requirere obedientiam in afflictionibus, ac spem & expectationem liberationis aut mitigationis &* DEI *voluntatem in verbo* DEI *patefacto quærendam & appræhendendam esse. Quos diligit hos castigat* DEVS, *sicut dicitur, Quem diligit Dominus, corripit, Item, Dum iudicamur, à Domino corripimur, ne cum hoc impio mundo condemnemur. Item, Flagellat omnem filium, quem recipit. Hæc opponamus sententiæ Philosophicæ, quæ beatos &* DEO *caros pronunciat, qui cita morte præripiuntur miserijs communibus huius vitæ. Faciet autem pater funus filiolo hora* QVARTA, *quod scholastici pietatis & officij causa deducent. Tertio Septembris Anno 1564.*

Rector

RECTOR ACADEMIÆ VVITEBERGENSIS BARNIMUS *Iunior, Dei gratia Dux Pomeraniæ &c.*

INTER *signa, quæ portendunt ruinam et interitum artibus bonis, nõ minimum esse statuamus, quod multa ingenia vel ante annos inuentæ præmatura morte abripiuntur, vel in ipso flore ætatis concidunt, cùm opera eorum vel Ecclesia vel Respub: maximè indigebat. Necesse enim erit ruere tandem & collabi studia, si naturæ ad ea excolenda ac propagandæ idoneæ defuerint. At rei literariæ interitus quantã trahat ruinam omnium rerum bonarũ in quauis parte vitæ cõmunis, docet barbaries seculi superioris, qua tamẽ alia tetrior et nocentior nunc nobis expectanda est, extinctis studijs. Superior, enim illa δεισιδαιμονίαν coniunctã habuit & τυφόν & superstitionem, in qua semper aliqua est religio, quanquam deprauata. Hæc quæ nunc impendet, minitatur ὀλιγωρίαν τῶν θειῶν καὶ περιφρόνησιν ἐχάτην, in qua & luce extincta & incisis neruis religiosæ pietatis, regnabit ac dominabitur deinceps copulata prophanitati securitas Epicurea in animis, feritas beluina in moribus, et contemptus omnis disciplinæ externæ. Hanc vt depellat à nobis et à poste-*

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-62-quod/start.htm?image=00000159

à posteritate nostra, quæ fortasse confusiones spectabit maiores ac tristiores, Filius DEI Dominus noster IESVS CHRISTVS, custos Ecclesiæ suæ, & vindicet lucem doctrinæ cœlestis, atq; aliarum artium ab interitu per idonea organa, quæ ipse excitat & instruit, vt dicitur: Dat bona hominibus, Pastores & Doctores &c. toto precemur pectore, cùm aliàs, tùm verò maximè in funeribus, quando sepeliuntur ritu Christiano, de quibus fuit spes optima. Comperimus autem egregiam fuisse indolem HENRICI SCHVLTETI, qui heri sub noctis horam decimam ex hac vita euocatus, spiritum exhalauit placidissimo statu in inuocatione Dei, in agnitione & fiducia meritorum filij Mediatoris Nutus is fuit patre Consule MARTINO SCHVLTEN viro integerrimo, & præclarè merito de patria FLENSBVRGA, quæ est vrbs in Cimbrica Chersoneso celebris. Præcessit pater filium annis nouem. Matri viduæ & nunc filio etiam orbatæ, in quo spem positam habuit viduitatis & senectutis suæ, leniat dolorem, quod certo scit ex promissione diuina, se filium non amisisse, sed præmisisse in vitam aliam, plenam luce, iustitia & lætitia æterna, in qua cum marito paulò pòst rursus visura eum atq; cõplexura est. Exequiæ fient huic Henri-

HENRICO hodie hora QVARTA. Quare scholasticos, vt funus ex ædibus Viduæ Dietrich Tuchschererin deducant, & salutem publicam Ecclesiæ fathiscentis, ac regnorum toto orbe Christiano inclinatorum ad maximas mutationes, gemitibus ardentibus DEO vt commendent, hortamur. Die 17. Septemb: Anno 1564.

RECTOR ACADEMIÆ VVITEBERGENSIS, BARNIMus Iunior Dei gratia Dux Pomeraniæ &c.

HERI vna ante meridiem hora placidè expirauit in Nosocomio Academiæ bonæ indolis ac spei adolescens MATTHIAS HELLER Austriacus, longa consumptus tabe, quæ nullis emendari medicationibus potuit. Huius exuuias ritu Christiano sepeliri curabit Academia hora duodecima. Id cum significamus, dissimulare non possumus querelas grauissimas, quæ ad Senatum Academiæ deferuntur de immani & inaudita quorundam petulantia, qui nocte præcedente per totum oppidum debacchati in ædes plurimas priuatas & publicas impetu facto aut fores perfregerunt, aut ex-

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-62-quod/start.htm?image=00000160

cuſſerunt fenestras, & initium huius furiosæ grassationis fuit ab hac domo publica Academiæ, in qua adolescens iste tunc animam egit. De hac tanta malitia ne cogitare quidem sine ingenti dolore possumus, quia superat ex humana imbecillitate natos errores omnes & delicta, & cum diabolica certat. Quid enim opus est furijs (vt Poëta inquit.)

Tantum mirantur & astant
Laudantes, hominũq; dolent plus posse furores.

Quid immanius est? quam inuadere & violare domum publicam ægrotis comparatam, quæ sacra est & inuiolabilis iure gentium, cui hostes parcunt. Et in ea bellum inferre talibus, qui non iam cum ægritudine conflictantur sua, sed luctantur cum morte, & iam iam sunt expiraturi? Vt non dicamus de violentia vsurpata erga priuatos, cui multiplex etiam atrocitas inest? Audiri talia in hoc celeberrimo & laudatißimo cœtu graue est, in quo tot sunt exempla diligentiæ ac virtutum in honestißimis adolescentibus. Toties repetuntur à Præceptoribus conciones & commonefactiones piæ de officijs scholasticorum, vt ferrea etiam pectora emollire & flectere debeant. Sed daturos sese pœnas & Deo custodi disciplinæ, & Magistratui suo sciant illi, quicunq; hanc petulantiam

tiam exercuerunt. Nec se sperent latituros esse perpetuò, etsi explorati nondum sunt. Hortamur autem bonos vt tales ἀλάσορας & fugiant ipsi tanquam καθάρματα, & indicent Senatui Academiæ. Nam ad publicam tranquillitatem & singulorum quietem & securitatem interest, vt hi coherceantur aut tollantur, & his ipsis facilius esset Magistratus sui pœnam sustinere, quàm diuinam, quæ quò tardior, eò grauior erit. Dolemus & nostra causa, afferri nobis necessitatem ad talia edicta proponenda, in quibus cum exaggeramus atrocitatem rei, hostibus nostris ansam præbemus ad calumniandum hanc scholam. Huius tàm tetri scandali culpa redundat etiam in autores tumultuum, quos vt ad se redeant, & sponte agnita culpa sese offerant ad pœnam, ac precentur veniam, hortamur. Die 19. Septemb. 1564.

RATIONIS DICENDI STVDIOSIS.

QVOD in cæteris artibus ac disciplinis, id inprimis in ea, quæ dicendi rationem tra-

dit, requiritur, vt præceptis imitatio coniungatur. Nemo enim, quantumuis ingenij dotibus excellat, laudem in vllo genere doctrinarum consequi poterit, nisi præcepta, quibus certæ doctrinæ methodus & via continetur ac monstratur, præclarè didicerit, & iusta imitatione ad vsum lectione atque auscultatione percepta, transtulerit. Hoc itaque consilio discentibus præcepta dicendi in arte Rhetorica & oratorum scripta, imitationis discendæ causa proponuntur.

Cæterum vt quisq; fructum, quem in dicendi facultate expetit, feliciter assequi possit: duo præcipuè summa cura dispiciat, primùm vt in omni genere optimum & excellentissimum sibi imitandum proponat, ex quo lectissima verba, sententiæ elegantiores, cõcinna compositio, & si quæ præterea sunt dicendi virtutes, sumantur. Nemo enim in vllo genere optimus euadet, qui non optimos imitabitur. Altera cura sit, ne scriptionum genera confundantur, sed causam soluta oratione acturus Oratorem Ciceronem tota mente intueatur, scripturus historiam Cæsaris puritatem, aut Liuij copiam respiciat, Poëma facturus Heroico carmine, Virgilij maiestatem, in Lyricis Horatium & Catullum, in Epigrammatis Martialem & Catul-

Catullum, in Elegia Ouidium Tibullum, Propertium imitatione concinna exprimat. Dialogum aut Epistolam scripturus, artifices in eo genere excellentes sibi proponat, in Tragœdijs Senecam lectione diligenti euoluat. Cùm autem in dicendi genere nobis proposito, de sententia eorum, qui studijs adolescentium consultum cupiunt ex Ciceronis scriptis, ea explicentur, quæ orationis venustate & rerum splendore ac maiestate reliquis præferenda censent, cõstitui horis meæ prælectionis assignatis, enarrare lectissimam & omnium eruditorũ iudicio reliquis anteferendam Epistolam ad Q. fratrem de optima ratione administrandi prouinciam. Hæc enim & verborum elegantia & Venere, rerum præterea varietate et magnificentia ita referta est, vt non tantùm Epistolis cæteris, sed multis scriptis Ciceronis anteponi posse videatur. Ac ne discentibus vera ratio imitandi & explicandi cùm orationes, tùm Epistolas præstantissimi in hoc genere Ciceronis desit, cum hac explicatione coniungam enarrationem præceptorum Rhetorices, quibus ordo in dicendo regitur, & ingenia adiuuantur, vt maiori prudentia in aliorum scriptis legendis, versari possint. Cras autem Deo volente instituam explicationem Epistolæ ad Q. C. Fratrem

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-62-quod/start.htm?image=00000162

trem, cuius exempla seorsim edita inuenient auditores apud Bibliopolam Iohannem Scroter. Rhetorices enarrationem ordiar 21. Septemb. Valete 10. Septemb. Anno 1564.

Albertus Lemeiger Hamburgensis.

RECTOR ACADEMIÆ VVITTEBERGENSIS BARNImus Iunior Dei gratia Pomeraniæ Dux &c. S. D. Scholasticis Academiæ.

CVM in narratione Euangelica de Iuda dicitur: Satanas intrauit in eum, Significatur magnam & horribilem esse potentiã Diaboli, qui & pectora occupat infinitæ multitudinis impiorum, & corpora etiam in æternos cruciatus præcipitat. Agnoscamus itaque in Ecclesia hoc ingens Dei beneficium, quod scimus oppositum esse huic Draconi, vomenti æterni cruciatus incendia, potentiorem & fortiorem multò, Michaëlem Ducem illum magnum, stantem pro populo suo, videlicet Filium Dei Dominum nostrum IESVM CHRISTVM, qui cùm sit λόγος & ceu legatus æterni Patris

Patris, semper adest Ecclesiæ suæ, tribuens ei animæ & corporis bona. Sicut enim de spiritu suo dans nobis, in corda nostra effundit Spiritum sanctum, vt excitet in nobis motus ipsi congruentes & placentes, eiq; nos per fidem copulantes, quæ copulatio arctior erit & integrior in illa æternitate, cùm erit omnia in omnibus, ita & corporibus nostris addit spirituales naturas, ceu vigiles & custodes, sanctos & castos Angelos, quos ipse vt Dux in collectione Ecclesiæ habet ceu exercitus & turmas sibi adiunctas, corpora & res piorum magno numero custodientes. Hi pugnantes perpetuò, & ceu ἄκροι ὁπ bellum gerentes cum Diabolis, circumuolitant, & muniunt templa, scholas, domos & thalamos nostros, quæ omnia, vt sunt res humanæ fragiles, aduersus Diaboli rabiem, sine auxilio DEI tuta esse non possent, et custodes sunt membrorum Ecclesiæ, vbicunque sumus, vt in hodierna concione scriptum est. Angeli eorum vident faciem patris. Et in Psalmo dicitur: Circumuallat Angelus Domini timentes eum. Item: Angelis suis mandauit de te, vt custodiant te in omnibus vijs tuis. Tibi igitur omnipotens æterne Deus, pater Domini nostri IESV CHRISTI. fons & autor omnis boni, & conditor Ecclesiæ

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-62-quod/start.htm?image=00000163

angelicæ & humanæ, vnà cum Filio tuo Domino nostro Iesu Christo, crucifixo pro nobis & resuscitato, & cum Spiritu sancto, qui effunditur in corda credentium, toto pectore gratias agimus, pro omnibus æternis & huius vitæ beneficijs, quòd & filium nobis donasti, saluatorem & redemtorem animarum nostrarum, per quem & propter quem facis nos tua templa, & te nobis cõmunicas, vt in tota æternitate fruamur tua luce, sapientia, iustitia & lætitia, ruente interim magna multitudine impiorum in æternas pœnas: & fecisti Angelos tuos Spiritus, & ministros tuos flammam ignis, vt essent corporum nostrorum custodes & λειτουργικὰ πνεύματα, quæ ministerij causa mittuntur, propter eos, qui hæredes erunt salutis, cumq; Fili DEI Domine Iesu Christe apparueris, vt destruas opera Diaboli, depelle à nobis ministerio Sanctorum & castorum Angelorum, Diabolos mendaces & immundos Spiritus ac homicidas hostes tuos, & regas ac doceas tu nos Spiritu tuo sancto, verace, & nos viuificante, vt profligatis per Angelos excubitores ab hospitijs Ecclesiarum nostrarum, Diabolis, vera discentes & vera retinentes, veris laudibus cum beatis Angelis te celebremus in hac & in æterna vita.

Hæc

Hæc piè nobiscum hodie voce & pectore precentur singuli Academiæ nostræ ciues, cum quidem nunc in festo Angelorum populo exponatur hæc tota doctrina. Neq; verò quenquam in hoc nostro cœtu scholastico tàm immanem aut impium esse existimamus, qui cùm animo & cogitatione colligat tristissimos casus, & tragicas & omnis generis horum temporum calamitates, putet nos vel casu, vel ope tantum humana, sine DEI defensione & paterna cura hactenus esse seruatos. Nam sicut multa tantùm à Diabolis oriuntur, quæ natura, nisi ab his incitata, non inferret, ita Angeli boni Spiritus, & destimati vt seruiant Ecclesiæ, multa seruant, quæ horum destituta patrocinio ac deserta euerterentur subitò, machinis & impulsu Diabolorum. Si qui verò adeo sunt Epicurei aut profani, vt cum Saducæis, de quibus dicitur in actis, negent Angelorum naturam, officia & beneficia, eos sinamus frui ac delectari illo Epicureo cõtemptu, donec reipsa sentiant, Diabolum nõ esse μορμολύκειον, aut inane terriculamentum, quod si esset, non sæuiret tantopere in maximam partem hominum, quam abripit secum in perpetuam damnationem, de Idolatria, blasphemo contemptu Dei & alijs tetris malis & contumelijs opi-

nionibus in Deum dimicans. Ideò, & priuatas multorum miserias, & tristissimas Ecclesiæ & imperiorum confusiones & ruinas publicas inspicientes, excitemus mentes nostras, vt consideremus & grati amplectamur ingentia beneficia Dei, quæ præstat nobis per Angelos castos, et vt nobis eos custodes adiungat, abactis ac repressis Diabolorum agminibus, precemur. Sicuti comes Elisæi videt se stipatũ esse magno exercitu Angelorũ. Loth instar sponsi ex vrbe Sodomorum ab Angelis eductus est. Angelus venit ad Agar monstrans ei fontẽ: Et Petrum eduxit ex carcere. Iacob, Isaac, Elisæus, ingentia agmina cœlestium Spirituum viderunt. Non dubium igitur est, Deum singulorum etiam piorum corporibus attribuere custodes Angelos, quod qui non credunt, nec pijs precibus à Deo petunt, qui possunt ab ipsis custodiri? Profecto securitas, contemptus periculorum, & neglectio inuocationis, attrahent grauiores etiam pœnas. Ideoq; cogitatione voluntatis Dei, & periculorum nostrorum, ad ardentem inuocationem, cùm alias, tùm hodie in hac publica festiuitate nos excusitemus. Cumq; Angeli vt castissimæ flammæ libenter sint apud eos, cum quibus est eis quædam similitudo, & morum turpitudine à nobis abalienentur, volumus

mus discentes animi ptetatem etiam honestamorum gubernatione exprimere, & vitare, cùm spurcitiem, leuitatem, scurrilitatem in vita omnem, tùm verò maximè doctrinæ corruptelas, quibus propriè delectatur Filio Dei & nobis inimicus Diabolus, qui calumniatur & corrumpit verbum Dei, quod auditores in Academia & ipsi rectè discent, exemplo Angelorum, qui rectissimè agnoscunt & colunt Deum et docentes voluntatẽ Dei venerabuntur, etiã exemplo sanctorũ Angelorũ, qui ministros Euangelij præcipua beneuolentia & cura complectuntur ac tuentur, Quod ostendunt cum Moysen, Iacob, Dauidem, Heliam, Elisæum, Danielem, Petrum, & alios innumerabiles defenderunt. Quare ad aram quoq; munus adferre Scholasticos volumus, vt publicè conspiciatur gratitudinis nostræ testimonium, quod alios etiam inuitet exemplo ad reuerentiam erga ministros. Te verò æterne Deus, & Fili Dei, Domine Iesu Christe, & Spiritus sancte, iterum precamur, ne abijcias nos inter vasa iræ & organa Diaboli, sed facias nos vasa misericordiæ, & Angelorum similes, cum quibus in omni æternitate læti te celebrantes, canamus Angelicum hymnum: Gloria in excelsis Deo.

Ipso die Michaëlis, Anno 1564.

Lecto-

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-62-quod/start.htm?image=00000165

LECTORI S.

SEMPER *in Ecclesia lecti & decantati sunt Psalmi Dauidis, vt assidua repetitione auditoribus fierent familiares. Et Augustinus scribit, cum abiectis erroribus Manichæorum amplexus esset doctrinam Christianam, & ingressus in ædem sacram audiuisset decantari à cœtu fidelium Psalmos, non potuisse se continere, quin lachrymas funderet. Tanta enim est rerum magnitudo in hoc poëmate, tanta verborum & sententiarum grauitas & elegantia, vt legentem vel audientem cum aliqua attentione non possit non vehementer mouere & in admirationem cùm ipsius doctrinæ, tùm & autoris horum scriptorum adducere. Ac si rectè volumus iudicare, id quod Cicero de Euripide dixit, singulos eius versus singula testimonia seu oracula esse, multò verius de Psalmis dici potest, quorum autorem constat esse non tàm Dauidem regem alioqui præstantissimum & sapientiss: quàm ipsum Spiritum sanctum, qui, vt scribitur 2. Sam. 23. fouit per linguam Dauidis. Itaq; meminimus reuerendum virum patrem & præceptorem nostrum D. Philippum Melanthonem τὸν θεοσέβειαν sæpè dicere: Nullum esse scriptum elegantius in mundo Psalterio Dauidis. Quòd verò non-*

rò nonnulli Phocylidis, Hesiodi, Pythagoræ, Pindari & similium poëmata Psalterio vel præferunt, vel saltem non deteriore loco habenda esse censent, in eo non tantùm insciti am suam produnt, sed etiam doctrinam, quæ Ecclesiæ Dei propria est, non toleranda contumelia adficiunt. Etsi enim Phocylidis & aliorum carmina suam merentur laudem, & vsum habent in vita politica sane eximium (explicant enim eam legis partem, quæ in secunda tabula continetur, quæq; huius vitæ ciuilis præcipuus quasi neruus est & vinculum, quo societas humana continetur) tamen nequaquam accedunt ad illam sapientiam, quæ in Psalmis est comprehensa. Nihil enim dicunt illi scriptores de vero DEO, aut de voluntate ipsius erga genus humanum: Non agnoscunt personam aut beneficia Messiæ, sine quibus genus humanum æternæ morti ac damnationi addictum sperare vitam aut salutem non potest: non concionantur de fide & iustificatione coram Deo: de inuocatione, quæ vnicum nostræ salutis præsidium est, aut muti sunt prorsus, aut aberrantes à Deo varia sibi numina et idola fingunt, quorũ cultu adeò non consequuntur, quod optant, vt etiam calamitates sibi accelerent, & æternam damnationem tristiorem efficiant: Cumq; magnam

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-62-quod/start.htm?image=00000166

gnam partem suorum carminum in deploratione miseriarum & calamitatum, quibus hæc vita obnoxia est, conflumant, portum tamen nullum ostendunt, qui receptum præbeat miseris & calamitosis, aut qui ex hac vita migrantes lætioribus fatis excipiat. Deniq; etsi de operibus secundæ tabulæ, seu de honesta morum gubernatione multa concionantur, & præmia rectè factis tribui, scelera verò pœnis diuinitus adfici demonstrant: tamen non ostendunt neq; docent, quomodo illa opera Deo placeant, aut cultus fiant, quibus Deus honore adficiatur. His tantis de rebus cùm alia scripta Prophetica & Apostolica, tùm verò imprimis Psalmi Dauidis nos erudiunt. Cumq; primus Dauid huic doctrinæ, quæ Ecclesiæ DEI ab initio patefacta est, numeros adiunxerit, tota antiquitas hæc scripta magnifecit, & quotidianis decantationibus ac repetitionibus sibi familiarissima fecit, non tantùm quod illa, quæ numeris inclusa sunt, facilius in memoria hærent, sed etiam, quia mutari aut deprauari non ita facile possunt, quin error statim agnoscatur. Nunc (proh dolor) ea prophanitas inuasit Ecclesiam, estq; is stupor & ignauia multorum, vt quanquam de veteri consuetudine Psalmi in Ecclesia decantẽtur, vel in scholis prælegantur, tamen

tamen paucissimi sint, qui dulcedine huius carminis adficiantur: fitq; id, quod Augustinus de quibusdam suæ ætatis prophanis hominibus queritur, vt quanquam verba subinde decantando repetant, tamen corda ipsorum planè sint muta: Et quod magis deplorandum est, cum olim Psalmi digitis ipsis hominibus pijs fuerint notiores, nunc vix est quisquam, qui vnum aut alterum Psalmum memoria teneat. Estq; hic stupor & hæc negligentia non inter postrema signa, quæ ruinam portendunt Ecclesiæ & veræ pietati. Vt autem adolescentes, qui in hac schola sunt, excitentur ad lectionem Psalmorum, decreui hos de consilio præceptorum deinceps interpretari. Qua in re spero me auditoribus fidem & diligentiam probaturum. Ordiar autem, Deo iuuante, hanc prælectionem cras hora secunda, in fine mensis Septembris, Anno 1564.

Henricus Moller.

RECTOR ACADEMIÆ VVITTEBETGENSIS BARnimus Iunior Dei gratia Pomeraniæ Dux &c.

NON irritas esse promissiones diuinas, quæ premia decernunt beneficentiæ erga pauperes

peres docemur exemplo Nosocomij nostri, in quo multi hactenus externi & domestici DEI *beneficio penè desperata vita seruati sunt ex ijs eleemosynis, quas scholastici conferunt, qui alioquin perijssent hac ope destituti, & de ijsdem etiam extra Nosocomiũ aduenæ multi & peregrini iuuantur & instruuntur, quos negligere nos Christiana pietas non patitur. Vtrorumq́ enim ratio habenda,* πρὸς γὰρ δίος εἰσὶν ἅπαντες ξεινοίτε πτωχοίτε, *vt Poëta Ethnicus ait. Cumq́ in Psalmo dicatur: Beatus qui intelligit super egenum & pauperem, in die mala liberabit eum* DOMINVS, *non dubitetis, aliqua ex parte etiam propter hæc ipsa piæ beneficentiæ officia, quæ hactenus liberaliter præstitistis, mitigari mala publica, & depelli ab hoc cœtu discentium contagia, quæ non paucas vicinarum regionum vrbes corripuepunt & infecerunt. Quare vt in posterum etiam pauperes vobis commendatos esse sinatis, cùm alias tùm hisce diebus, quibus Nosocomio colligentur Eleemosynæ, hortamur. Hilarem datorem diligit* DEVS, *inquit Salomon, qui & fontes deriuari foras præcipit, & retineri eorum dominium. Oportet enim beneficentiam, neq́ extortam, neq́ profusam esse, sed spontaneam, promtam & moderatam, & gubernari agni-*

agnitione ac fiducia DEI *& promissionum. Cogitate omnes nos pauperes esse in hac vita, in qua velut in exilio viuimus, & affici nos ingentibus beneficijs diuinis quotidie, quæ cumulabuntur, si quæ possumus communicauerimus liberaliter cum egentibus. Valete. 8. Octobris Anno 1564.*

EPITHAPHIVM REVERENDI VIRI DOMINI MAGISTRI *Matthiæ Gunderami Cronacensis Franci, Pastoris Creilsheimensis, qui obijt anno Christi 1564. 8. Octobris. Anno ætatis 36.*

NE propera Lector si quis sim scire laboras
Hæc est, Gunderamum quæ breuis vrna capit.
Bis septem erudijt totos me Leucoris annos
Commisitq́ suæ tradita sceptra scholæ.
Tres cum dimidio docui, quo dormio templo
Vxor erat Salome, Kargius ipse socer,
Bis vitæ tria lustra annos sex adde, peregi
Mens adijt cœlos, vrna cadauer habet.

M. Franciscus Raphaël
Laureatus Poëta.

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-62-quod/start.htm?image=00000168

IN EXAMINIS THEOLOGICI TRÆLECtionem.

QVEMADMODVM *nullum est munus præclarius, & excellentius in toto genere humano, quàm quod in docendo & discendo occupatum est: Ita omnium operum humanorum difficilimum est rectè alios de Deo, deq; alijs rebus bonis erudire atque instruere. Nam etsi imperitis leue videri solet, sese censorem ac veluti iudicem præbere docentibus, eosdemq; aut negligere, aut doctrinas paruipendere: Tamen si verè considerare volumus, reperiemus profectò tantas esse in omni genere professionum difficultates & molestias, tantamq; rerum omnium, quæ voce doctrinæ tradi debent, amplitudinem, vt si quis vel primis labris laborem docendi gustauerit, penè opprimatur tanti muneris difficultate & magnitudine. Inprimis autem explicatio* DOCTRINÆ, *quæ Ecclesiæ Dei propria est, his turbulentis temporibus plena est ingentium difficultatũ et periculorum. Vt enim non dicam de ipso genere doctrinæ, quod extra iudicium humanæ mentis positum est, Quis non videt, quanta seges nouarum opinionum in hac delira mundi senecta quotidiè nascatur. Nam diabolus sentiens instare*

stare tempus extremi iudicij, maiores odij flammas aduersus Ecclesiam concipit, & organa sua ardentius incitat, vt moueant certamina non necessaria, & corrumpant res rectè traditas, vel ambitione, vel curiositate, vel studio contradicendi. Hæc portenta opinionum vel leuiter attingere vel refutare, & falsis persuasionibus fucos detrahere, ardua profectò militia est, quam nemo sine magna varietate artium & linguarum, & sine multis virtutibus sustinere potest. Auget etiam difficultatem explicationis cura & sollicitudo de formis loquendi, quæ nisi prudẽter & graui cum delectu nunc vsurpentur, facilè aut errores aut dissidia pariunt. Sed omnes alias difficultates superat calumniandi consuetudo, quæ ita hoc nostro exulceratissimo seculo floret ac dominatur, vt multi passim Aristogitonem illum Demosthenicum imitentur, circumeuntẽ in foro, & vibrantem exertam caudam instar Scorpij, & circumspectantem quem feriat, quem aliqua calumnia opprimat. De his tantis periculis & difficultatibus haud dubie omnes sani cogitantes toto pectore contremiscunt, cumq; è regione omnium etiam summorũ ingeniorum imbecillitatẽ considerant, penè ab omni docendi labore deterrẽtur. Verùm pij instructi ac præmuniti Verbo DEI,

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-62-quod/start.htm?image=00000169

velut salutari ἀνυφαιμάκτῳ, etsi & intelligunt & deplorant hæc tanta mala & difficultates, quæ laborem docendi grauem, difficilemq; reddunt: Tamen ijs omnibus anteferendam esse sciunt VOLVNTATEM DEI, qui seriò & ardenter vult, ac præcipit hoc necessarium opus docendi & discendi doctrinam de DEO, vt & nomen ipsius inter homines propagetur, & colligatur DEO æterna Ecclesia, & multi ad societatem æternæ vitæ inuitentur. Norunt etiam pij & sæpe multumq; sibi apud animum proponunt amplissimas & grauissimas consolationes, quas DEVS ipse nostræ infirmitati opponit: cum & præsentem se nobis fore pollicetur, & salutares exitus & fructus lætos atque vberes nostrorum laborum dulcissimè promittit. Nam de præsentia & auxilio DEI in Euangelio Christus inquit: Non vos estis qui loquimini: Sed Spiritus Patris vestri loquitur in vobis: Et dabo vobis os & sapientiam, cui nemo aduersariorum poterit obsistere. De exitu verò & fructu laborum nostrorum suauissimè Paulus inquit: Labor vester non erit inanis in Domino: Et Christus ipse: Ego posui vos vt eatis, & fructum multum feratis & fructus vester maneat. Has verissimas & dulcissimas promissiones quoties pij cogitant, sine omni

omni dubitatione eriguntur, & freti non tam sua, quam vt Paulus loquitur, Dei ἱκανότητι magno animo despiciunt omnes difficultates & pericula, quæ sanctissimum & maximè necessarium laborem docendi impedire videntur. Ac talibus quidem consolationibus me quoq; sæpè sustentatum esse fateor, cùm, DEO iuuante, varias & multiplices molestias ac difficultates mediocriter toleraui per totum sexennium, quo partim in schola patria, partim in inclyta vrbe Misniæ Annæberga scholasticam iuuentutem docui. Quamobrem & nunc, postea quam diuina voluntate & Illustriss: Principis Electoris Saxoniæ &c. benignitate in hanc celeberrimam Academiam à Reuerendis Dominis Præceptoribus ad continuanda mea studia reuocatus sum: ijsdem me consolationibus plurimum erigere ac confirmare soleo, ne studium ac conatus porrò docendi, et qualicunque mea opera alijs inseruiendi prorsus abijciã. aut deserã. Etsi .n. verè ac non simulatè agnosco ingenij et omniũ virium mearũ tenuitatẽ et infirmitatẽ, quæ amplis: muneri docendi, præsertim in Academia, nullo modo par esse potest. Præterea & ipsas difficultates cum labore etiam priuatim docendi coniunctas, optimè mecum animo præmetior, & earum cogitatione

velut attonitus obstupesco: Tamen sine vlla dubitatione statuo, idq; exploratum omnino duco, Quod & placeant Deo qualescunq; conatus docendi, & ab eo regantur & iuuentur, & ad salutarem finem atq; exitum perducantur. Quod igitur fœlix & faustum sit, constitui deinceps de; consensu & voluntate doctiss: præceptorum, qui studia doctrinæ in hac Academia gubernant, pro mea mediocritate ordine ac breuiter præcipuarum partium Philosophiæ, inprimisq; doctrinæ Christianæ qualemcunq; explicationem & repetitionem instituere, cui paulò post priuata disputationum exercitia adiungere cupio. Ac nunc quidem omnibus honestis & candidis adolescentibus meam operam & studium amanter offero, iisq; qui mea opera vti volent, significo me ad diem Mercurij proximum, qui erit dies Lucæ, hos qualescunq; conatus auspicaturum esse, sumpto initio ab explicatione Examinis Theologici, quod summam doctrinæ Christianæ eruditissima breuitate complectitur. Huic intra paucorum dierum interuallum, Dialecticæ quoq; repetitionem adiungam. Vt autem de ipsarum lectionum, à quibus auspicium sumere decreui, dignitate & vtilitatibus hoc quidem in loco non addam quidquam prolixius: Ita de meo quoq; officio, fide

fide & diligentia non instituam vllam commemorationem longiorem: cùm non ex luce fumum, sed Deo iuuante, ex fumo lucem dare cupiam. Ac Deum potius fontem omnis sapientiæ toto pectore & intimis gemitibus oro, vt & docentium & discentium studia Spiritu suo gubernet, & cùm dederit, vt velimus, det etiam clementer, vt perficiamus, vt ipsi fiant inter nos aliqua gratia & Ecclesiæ salutaria. Ipsos etiam studiosos reuerenter & amanter rogo, vt his conatibus meis faueant, & beneuolentia ac candore voluntatem honestam approbent, qua aliquorum studijs prodesse cupio. Benè valete & aliarum artium studijs propter gloriam DEI & animarum vestrarum salutem summam veræ doctrinæ de DEO adiungite. 15. Octob. Anno Christi 1564.

M. Christophorus Becelius Plauensis.

IN PRÆLECTIONEM ORGANI ARISTOTELICI Publicam.

DIALECTICÆ STVDIOSIS Iuuenibus in schola VViteberg: S.

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-62-quod/start.htm?image=00000171

Dvæ sunt semitæ quarum ductu perquiritur veritas in aggressa doctrinæ cuiusuis tractatione, sicut & testis huius adduci posset Aristoteles prima statim fronte tractationis secundæ τῶν μετὰ τὰ φυσικὰ : Nam susceptæ veritatis inquisitio partim fit per facilitatis, partim per difficultatis viam. Facilis est ἡ ἀληθείας θεωρία, quatenus τὸ ὅλον ἐχεῖν spectamus, crassiorem videlicet atq; euidentiorem inuestigationis sequuti modum : vt quando in Theoria physica res naturales veluti per transennam contemplamur, non penitus euolutas, sed cõplicatiores, breuiter totas in sola quodam modo superficie illa, qua sese intelligentiæ captui sponte sua exposuere nostro. Difficilior autem altera ἡ διζητάσεως est via, quæ respicit τὸ μέρος ἔχειν vel τὰ καθ' ἕκαστα : vt quando conamur vnumquodq; particulatim secundum causarum seriem accuratè pensitando sagaciter excutere atq; examinare velut ad amussim.

Priorem considerationis ductum quanquam ob perspicuitatem ac sobrietatem in specie puerilem constat vt rudem ac crassum, rideri Momo semper carpenti, hoc est, ab ingenijs petulantibus, curiosis, immoderatis, perplexis, & diuersissimarum opinionum colluuie procaciter

citer immersis ac tanquam ebrijs de industria : tamen compertum est verè sobricq; Doctis, potissimùm verò Socraticam venerantibus veterem illam, puram, simplicemq; philosophiam, posse sufficienter multa variaq;, liberali cognitione dignissima peruestigari plana atq; expedita isthac ratione in singulis doctrinarum nuneribus, quando scilicet hoc sibi sumit indagator vt in perquisitione venetur nõ σοφὰ φάσμανα veritatis nubeculas, sed duntaxat τὸ σαφέστατον quodq; ἁπλούστατον ἢ δ' ἐναργέστατον, hoc est, nudã simplicitatẽ ac perspicuitatẽ, quæ, dum naturis adfectatis ridicula est, humi serpendo ipsam latentem atq; abditam mirè secum trahit veritatem.

Cæterum posterioris illius modi curiositas & noxia πολυπραγμοσύνη nihil abest quin corruperit omneis Doctrinas. Nec verò de singulis attinet dicere. Non pauxillum calamitatis philosophicas inuasisse disciplinas per vanitatem adfectandi traditiones pleniores atque exquisitiores istas priscorum, iamdudum nisi fallor iudicio indicat res ipsa præsertim in Dialecticis, Mathematicis, & Physicis præceptionibus. Nam æstus ille doctrinæ, vt debet videri, elaborationis, absterruit nostri seculi vel aliàs ignauam ac somnolentam Inuentutem

tem, vt iam æquo pauciores in Philosophico stadio decurrere non sit mirum, & adhuc pauciores in eodem gnauiter, cordatè, serioq; versari, paucissimos autem excellentes factos reperiri. Hinc procliue fuit imperitæ multitudini subsannationis arripuisse ansam, vt garriret, de philosophia in vitam communem vsufructum dimanare, vel pertenuem, vel nullius omnino ponderis ad farinam. Veruntamen tolerabilis iactura, si in philosophicis tantùm remansisset mucida labes disciplinis, modò non eadem vlterius propagata magno malo publico serpsisset in vniuersum doctrinarum agmen. Loquitur hoc euidenter superioribus corrupta seculis Theologia per exactioris industriæ disquisitiones acutas partim pyramidaleis, partim κωνοειδεῖς elaboratas à Magistris quos Sententiarum nominant: Horum quisq; curiosis indagationibus & exactissimo iudicio congestis disputationum plicis excitauit pro arbitrio sibi puluerem, quem motum satius fuisset, non motum conuerrisse foràs, quòd acuratiores λέπτα, quæ etiamnum passim agitantur & agitando crescunt, parum aut nihil conferant ad erudiendas de vero Deo mentes. Reliquas item professiones, si quis à primo saltem quod aiunt limine salutauerit, hic ni firmata prius mens

mens fuerit expedita quadam formula euoluendi perplexa, superuacanea respuendi, & summatim, nisi norit candida secernere nigris, statim scio deterrebitur tot superinductis paratitlis, tot nouarum ingeminationum plaustris & maiore mentis acrimonia insuper perpolitis, tot recentioris Practicæ obseruationibus, cùm priscorum, vt volunt, haud conferendis, tot nouellis commonefactionibus idem per idem operosè reuerberantibus, tot, vt semel dicam fœtidis superfluitatibus, quæ partim ab indoctis magnæ existimationis adfectatoribus, partim à spinosis & ob ingenij perplexitatem molestis commentatoribus in densum quoddam Chaos sic confusæ sunt, vt Herculeis laboribus perfunctum iudicemus, qui tàm varijs exantlatis vanitatibus sufficerit, nec pariter animum ægrotum ac perplexiorem tandem auferat inde.

Quanto satius igitur, vel in his acquiescere, quæ sunt à prisca dexteritate sobriè quidem & simpliciter, sed tamen verè sapienter erutа nec integritate carentia, vel cum ipsorum obscurioribus inuentis nostra ingenij facilitate certare, vt ex tenebris tanquàm emicent tractationis breuitate methodiq; perspicuitate luceant, quod fit cum τὰ δυσκατάληπτα siue fluctuantia verborum ampullis nec illigata certis

atq;

atq; euidentibus doctrinæ cancellis fiunt εὐρύκ-τα perſpicuitatis rotunditate, neruoſa quidem illa & ſimplicis veritatis amantiſſima. Hac ratione ſi fortè non omnibus literatis peruium erit ſingularum doctrinarum ſolidam aſſequi cognitionem: tamen de ipſius indicatione rei conſtabit, difficultatem ipſarum non eſſe adeò magnam, ab hominum intricatorum curioſitate, ſi non introduceretur & quidem opinione maior. Sed de his ſuo loco.

In Ariſtotelicam Dialecticen, aliàs nonnihil à norma ſimplicitatis Socraticæ recedentem, videmus argutiarum nugaciſſimas perueſtigatores commentatos, quos veri ſimilius eſt germanæ Dialectices ne vmbram quidem ſpectaſſe, tantùm abeſt, vt τὸ καλὸν eiuſdem de facie nouerint, multò minus, vt formam tàm amabilem nobis repræſentare & venuſto tractationis genere natiuam potuerint exprimere. Nos igitur à demonſtrationibus Euclideis digreſſi, per 4. in hebdomade dies octaua hora decreuimus ad excitandum veritatis & doctrinæ ſolidioris amorem, Organon Ariſtotelis enarrare, quò, ſi difficultates huius ſuſpectæ nonnihil fuerint profligatæ, natiua rationis clarius eluceſcent per Moralia potiſſimùm

mùm & pietatis paradigmata. Perſcript. Die Burchardi. Anno 1564.

Ioh. Sten Luneb.

RECTOR ACADEMIÆ VVITEBERGENSIS, BARNImus Iunior Dei gratia Dux Pomeraniæ &c.

REDIT dies natalis Academiæ, 18. Octobris, quo die ſolenne eſt mutare Magiſtratum ſcholaſticum, & gubernationis onus transferre in alium. Vt ergò omnes huius ſcholæ alumni cras hora ſeptima in Templo arci vicino conueniant, audituri, cui ſit ſenatus Academiæ adminiſtrationem Iurisdictionis ſcholaſticæ commendaturus per ſemeſtre hybernum, præcipimus. Adferant autem ſinguli ad eum locum animos non ocioſos aut ſecuros, ſed vera & non ſimulata pietate excitatos atque compoſitos ad conſiderationem ingentium beneficiorum, quibus Deus afficit & ornat hanc Academiam, & ad gratiarum actionem. Multa illuſtria & non fallentia teſtimonia oſtendunt, hanc ſcholam Deo curæ eſſe, & protegi ac ſeruari diuinitus aduerſus Diabolorum furioſas molitiones, & acerbiſſima odia hoſtium, cupi-

cupientium extinctum nomen huius loci, inter quos dum multi rabiosis vociferationibus studeant absterrere honestos homines, ne liberos discendi causa huc mittant, adeo nihil proficiunt, vt ex his crescat schola, & augeatur indies, ipsis contra liuore tabescentibus, ac penè dissilientibus fremitu & indignatione. Vlciscitur enim iniusta odia sua Erynnis, atq; exest & cõsumit cor, fortuna id & felicitate muisæ ipsis innocentiæ velut facibus quibusdam assiduè perurente. Sed præter hæc sunt & alia Dei beneficia non minora, quòd & bella reprimit, & rerum necessariarum copiam largitur, & cùm in plurimis Germaniæ locis vagetur pestilens lues, ac serpat ac propagetur, contagia atque infectiones depellit à nobis, ac temperiem aëris præstat tàm salubrem, vt nullo anni tempore minus hìc morborum fuerit, quàm nunc est. Hæc beneficia scholastici agnoscant grata mente, & in hoc congressu de conseruata Academia inter tot pericula Deo gratias agant. Cùm autem multis veteribus obseruationibus compertum sit, grassari in hac ora pestem, Saturno vecto in Leone aut Aquario, sit autem ingressus Saturnus in Leonẽ, in quo aliquandiu commoraturus est, propterea cum & fatales huic loco causæ cœlestes, & propinqua contagia

gia minitentur λοιμικὰ μιάσματα: precentur etiam scholastici ardentibus votis Filium DEI, custodem huius sui agminis, & liberrimum naturæ Dominum, qui & potest reprimere actiones secundarum causarum, vel elidere effectiones quas intentant, & sæpè impedit, seruans Ecclesiam admirandis modis præter omnem spem & opinionem: vt ergò hic Dux & custos noster, pericula, quæ ab infectionibus impendent, arceat atque amoliatur, nec sinat hunc pulcherrimum & florentissimum bonorum ingeniorum Cœtum dissipari, & disciplinam, literas, studia pietatis interire. Pridie Lucæ Euangelistæ, Anno 1564.

ORATIO.

IDEO versamur in studijs literarum, vt in rerum natura, in ordine politico, in perpetua serie Historiarum Ecclesiæ & imperiorum, in doctrina Ecclesiæ & vera Philosophia quæramus & colligamus testimonia de DEO, & his confirmati firmiter statuamus esse aliquam DEI Ecclesiam in genere humano, nosq; in ea DEO curæ esse, ac propter eam seruari hanc rerum naturam, Imperia, literas, disciplinam, leges & alios Nexus humanæ societatis. Et vt ad illum nos cœtum adiun-

adiungamus, qui est Ecclesia, atq; in eo singuli suo loco atq; ordine, fructum studiorum referamus ad hunc finem, vt gloria DEI celebretur atq; illustretur.

Hæc cogitatio infixa sit animis nostris, hæc accendat inuocationem Dei & flectat animos ad timorem Dei, ad modestiam, ad studium obediendi Deo ac rectè discendi artes necessarias. Ad hunc scopum directus sit omnis labor atq; conatus noster.

Neq; est vlla vllius vel doctrinæ, vel historiæ vel societatis humanæ vel naturæ pars, tàm exilis, obscura, contempta, quæ non sit referta vestigijs prouidentiæ, præsentiæ & bonitatis diuinæ infinitis. Sed inter reliqua vos scholastici considerate præcipuè domestica exempla huius Ecclesiæ & scholæ, in qua Deus ex densissimis & plus quàm Cimmerijs tenebris errorum & idolomaniæ pontificiæ accensam rursus immensa bonitate, clarissimam Euangelij lucem illucescere orbi terrarum voluit, qua fundamenta prima iecit Ecclesiæ ex diuersissimis gentibus hoc mundi postremo seculo colligendæ. In his nidulis initia habuit sua postremi temporis Ecclesia, quam nullis innixam humanis præsidijs, mirandis modis protexit & seruauit DEVS, cum oppugnaretur infestissimè à præcipuis omnibus orbis Christiani principibus.

Hæc DEI opera, non minora esse miracula certò statuatis, quàm fuit eductio populi Israëlitici ex Ægypto per vndas maris rubri, vel reductio eiusdem ab exilio Babylonico in primam patriam ac restitutio. Etsi animos securos & voluptatibus ebrios leuiter afficiunt. Sed ab horum prophanitate totis pectoribus abhorrentes, hæc ingentia DEI beneficia, grata memoria repetamus ac celebremus, cùm alias tum verò præcipuè hoc die Natali Academiæ, consistentes ad sepulchra quatuor summorum virorum, quibus tanquam organis DEVS vsus est ad tantarum rerum perfectionem. Inter quos cum effigiem Illustrissimi Principis Iohannis Ducis Saxoniæ Electoris aui mei materni oculis intueor, animus meus recordatione virtutum illius mirificè percellitur atque commouetur.

Excelluit enim omnibus virtutibus necessarijs bono principi, atq; ad communem consociationem vtilibus, iustitia, amore veritatis, fide, constantia, modestia inimica fastui & ambitioni, fortitudine, castitate. Neque in eo illæ arte ascitæ aut fucatæ erant, sed natiuæ. Fuit

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-62-quod/start.htm?image=00000176

in eo pectus candidum, & ingenuum, non πλεονεκτικὸν, non fucatum, non insidiosum, non liuidum, non suspicax, alienum ab æmulatione, à crudelitate, ab auaritia, à curiositate, candidè suum cuiq; locum tribuens, fugitans rixarum, amans Principum consociationem & publicam concordiam.

Has virtutes rexit non ostentatio sapientiæ inanis & sophistica, sed vera prudentia, intuens virtutum fontes in Decalogo monstratos, & DEVM authorem ordinis Politici & beneficiorum omnium, quibus se affectum & ornatum esse diuinitus agnouit.

Cumq; multa sapienter, multa iustè, fortiter, liberaliter, piè fecerit, tum reliquarum virtutum chorum hac suprema coronide, quæ fuit in eo excellens opus Spiritus sancti, condecorauit et absoluit, constantia scilicet confessionis magno ac præsenti animo editæ coram Imperatore Carolo Quinto, inter infensissimos hostes, non territus periculis, quibus expositum sese vndiq; & obiectum esse intellexit. Hæc victorijs omnibus & Triumphis est anteferenda.

Eò libentius autem hæc commemoro, vt & me excitem ad imitationem virtutum auitarum, & vos commonefacti de beneficijs diuinis,

diuinis, gratias mecum agatis DEO authori, atque incolumitatem & salutem Ecclesiarum piarum & scholarum omnium, quæ ex hac Metropoli in multas alias terras, velut coloniæ eductæ sunt ac propagatæ, pijs votis ac precibus eidem commendetis.

Tibi ergo æterne verissime DEVS, pater æterne Domini nostri IESV CHRISTI, conditor & custos Ecclesiæ tuæ, & iusticiæ ac societatis humanæ conseruator, gratias agimus toto pectore, quòd reddidisti nobis lucem doctrinæ tuæ, nec finis eam apud nos extingui, quod protegis pia Ecclesiarum hospitia, & concedis pacem Ecclesijs & doctrinarum studijs necessariam, quòd accendis & regis corda piorum Principum, vt agnoscant te verum DEVM, & Ecclesias curent ac foueant, Et oramus te ardentibus gemitibus, vt nos deinceps quoque gubernes ac tuearis, & propter gloriam tuam inter nos filio tuo, Domino nostro IESV CHRISTO, colligas hæreditatem, celebraturam ipsum in omni æternitate, seruues hanc scholam, quæ fuit alueus docentium ac discentium doctrinas necessarias inde vsque ab initio repurgatæ doctrinæ, ac prohibeas, ne peste, fame, aut belis hi cœtus dissipentur.

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-62-quod/start.htm?image=00000177

Cum autem ordinis politici pars præcipua sit, vt quilibet certo sit Magistratui subiectus, in ea societate, in qua viuit, neq; expediat Rebuspublicis, vt sine Magistratu vagetur quisquam, graui consilio suus etiam Magistratus cœtui scholastico constitutus est, quem cùm per hunc annum ordine gesserimus Illustrißimus frater meus, Dux Sedinorum & Pomeraniæ &c. Ernestus Ludouicus, & ego, de consilio & sententia senatus publici in hac Academia, visum est eidem Senatui, Magistratum eundem grauißimis de causis deferre ad Inclytum & Generosum Comitem Iohannem Georgium Solmensem. Quare vobis huius Scholæ Alumni significo nobis successorem, vobis Rectorem designatum esse, atq; decretum authoritate publica Inclytum & generosum Comitem Solmensem, Iohannem Georgium, & nobilitate ac dignitate Natalium & alijs ornamentis illustrem. Etenim longa inclytorum Maiorum serie & cognatione sanguinis attingit præcipuas principum in Germania familias omnes, & egregias eximij Ingenij & generosi animi dotes habet. Prorectorem verò huic additum esse virum doctrina & virtute ornatißimum Magistrum Casparum Crucigerum: Huic vestro Magistratui vt debitam reuerentiam & obedientiam

dientiam præstetis, non minus quàm legibus ipsis, hortamur, cogitantes illud. φοβήτεον οὐκ ἀνδρὸς ἀπειλὴν, ἀλλὰ νόμου φωνὴν, *quia vox legis, non est hominis sed Dei vox.*

Tibi verò inclyte Comes gratulor, quod in hac mihi prouincia succedis, quam nec in amiciorem, neque in coniunctiorem, quenquam transferre potuissem, hoc in loco, cùm propter alias causas, tùm verò propter generis à stirpe Materna tua cognationē, Tradoq; tibi Magistratus scholastici insignia, sceptra, sigillum, librum, claues & Epomidem. Et oro Deum patrem æternum Domini & saluatoris nostri Iesu Christi, authorem & custodem humanæ societatis & Ecclesiæ suæ, vt tribuat tibi gubernationem tranquillam ac salutarem, vtilem ac necessariam culturæ ac propagationi doctrinarum & disciplinæ, & seruet ac protegat hæc seminaria Ecclesiæ, & Nidulos hosce, qui hospitia cœtui docentium ac discentium præbent, ne turbentur aut dißipentur contagiosis infectionibus, quæ in multis Germaniæ locis grassantur, aut bellis externis aut domesticis.

DIXI.

1564

SCRIPTA PVBLICE PROPOSITA

à 15. CALEND. NOVEMBRIS, ANNI CHRISTI M. D. LXIIII. quæ fuit dies Lucæ Euangelistæ, vsq; ad Calend. Maij, Anni 1565. cùm Rector esset vniuersitatis scholasticæ illustris ac generosus

D. D. IOHANNES GEORGIVS

Comes Solmensis Dominus in Munceberg & Sonnewuald &c.

RECTOR ACADEMIÆ VVITEBERGENSIS, IOHANNES Georgius Comes Solmensis.

ET benedictio diuina expressa est in historia creationis generis humani de fœcunditate huius, & peculiariter scriptum est Genesis 30: Recordatus est Dominus Rachaëlis, & exaudiuit eam, & plena est scriptura testimoniorum augeri familias diuinitus, donumq; hoc esse quod sit in manu solius Domini, & nullius neque angeli neque Seraphi, vt Hebræi veteres loqu-

locuti fuere. Partu enim muliebri colligitur & propagatur genus humanum, ex quo Ecclesiam æternam DEVS sibi colligit, Cumq; dilectio DEI erga hoc immensa sit, etiam cum ordinem, qui seruit propagationi huius, & ipse instituit, & vt sementem Ecclesiæ suæ mirificè diligit, & inter tetros furores libidinum huius mundi tuetur & conseruat. Sed coniectum in peccatum genus humanum insidijs Diaboli prouocauit contra se iustissimam iram DEI, & huic ordini calamitates ingentes contraxit, peculiariter autem sexui muliebri partus labores grauissimos, sicut scriptum est: Multiplicabo ærumnas tuas & conceptus tuos, in dolore paries liberos &c. Et in præsente natura difficultates hac in parte generis humani tantæ sunt, vt sapientes pronunciare cogantur, partum hominis esse τερατωδὲς τὶ, seu miraculum, de quo in medio est Galeni dictum. Hi cruciatus vitam ademerunt, vt multis alijs, optimæ fœminæ TRISCÆ ZORINÆ vxori Magistri Iohannis Zori Rugiensis, Pomerani, quæ septimo primum die fœtum enisa mortuum, ea pertulit de quibus dicendum non est, cùm hic casus per se sit tristissimus & miserrimus, Et heri fœtum secuta, mortua est & ipsa, anno coniu-

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-62-quod/start.htm?image=00000179

coniugij sui tertio. Atq; vt iterum dicamus, hæc miseria ingens est, & multò maior, quàm a plærisq; intelligi potest, aut considerari solet. Sicut autem ex alijs omnibus miserijs corporis & animæ & peccati pœnis, & huius temporis, & æternis liberat credentes filius DEI, IESVS CHRISTVS, qui est σωτὴρ Ecclesiæ suæ, cui salutem dat, Ita hæc etiam hac in parte sexus muliebris miseria saluti eius non obstat, sed saluatur pariendo liberos, vt Paulus scribit, si perstat in fide, caritate, sanctimonia & castitate, quod hæc fœmina præclarè præstitit vsq; ad extremum, quæ & sua virtute atq; probitate cara fuit, qui ipsam nouerunt, omnibus, & quod in familia reuerendæ memoriæ Philippi Melanthonis præceptoris communis nostri, operam nauauit, ipsa & maritus, cui inseruientes longo tempore, fidem & diligentiam atq; industriam suam probarũt ambo, et honestißimæ familiæ illi vniuersæ, et Domino Philippo imprimis, cuius de vtroq; testimonium, et perspecta beneuolentiæ affectio bonorum omnium fauorem & studia his coniugibus maiorem, vt par est, conciliat. Fiet autem funus defunctæ hodie hora quarta, ad quod deducendum hortamur scholasticos, vt frequentes conuenire velint, quod efferetur ex ædi-

ex ædiculis, quæ sunt è regione domus, quam incolunt Illustriß: Principes Pomeraniæ, ex quorum auita ditione oriundus est maritus superstes opt. fœminæ, vt hac etiam consideratione officiosè scholasticos cõuenire velimus, et vt hoc modo ornent officia & fideliſsima ministeria, quæ præstiterunt hi coniuges familiæ D. Melanthonis. At consolationem autem sui maritus, qui puerperam effert, hoc cogitet: aquas amaras dulces fieri iniecto ligno, quod monstrat Dominus, id est, fide & sapientia crucis, Neque quicquam tam carum nobis esse debet rerum humanarum omnium, quod DEO ita volente non relinquere velimus animo obsequente & parato.

P P. 12. Calend. Nouemb.
Anno 1564.

RECTOR ACADEMIÆ VVITEBERGENSIS IOHANNES Georgius Comes Solmensis &c.

INTER miserias vitæ humanæ Tragœdia etiam hoc commemorat, quòd sint humandi liberi, Neque hunc paruum esse dolorem sinunt bonis parentibus affectus erga sobolem

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-62-quod/start.htm?image=00000180

à Deo innatum insiti, qui sunt κένσα φύσεως & ἀγυμέες καυτήρες, sicut ex veteribus Theologis vnus loquitur, atque ætatis immaturitas in ijs, qui decedunt, dolori parum medetur, sed hunc auget etiam cogitantioribus, cùm vnusquisq; pius & non inhumanus suos ad cultum Dei, & vsum salutarem societati humanæ matureſcere velit & optet, neque aliter facere debeat aut possit. Ad quæ hoc etiam accedit, quòd præmia luculentiora, & quasi conditionem glorioſiorem fore in altera vita eorum legimus, qui pietati & Eccleſiæ Chriſti operam nauarint, quod qui infantes aut pueri moriuntur, per ætatem præstare nondum possunt, cùm naturæ reatus ipsis nobiscum communis sit, quem etiam non augent, neque augere possunt, consultò commissis facinoribus, non tamen præstare etiam ea possunt, quorum actionibus singularia præmia promittuntur, qua de re cùm nihil scriptura nobiscum communicet, nulla esse potest alia consolatio, neque maior aliqua aut firmior, in morte ætatis immaturæ, quàm quod hæc etiam ad communitatem regni & hæreditatis cœlestis vnà nobiscum euocatur, sicut scriptum est, Horum est regnum cœlorum, atq; ad hos non minus, quàm ad adultos pertinere promissionem ſactam

ſtam Eccleſiæ, ſatis confirmare potest, & debet vnumquenquam, qui ſuos effert paruulos, & Filium Dei ex his etiam Eccleſiam æternam ſuam colligere, quibus pietas cum gratiarum actione & celebratione ingentis miſericordiæ Dei, quæ & in genus humanum copioſè & abundè, vel vt Apoſtoli verbo vtamur πλουσίως ſeſe effundit, placidè acquieſcit, neq; ſcrutatur, quæ occulta ſunt, qualia ſunt et iudicia Dei de termino vitæ ſingulorum, quod alius infans, alius ſenex moritur, & quem Deus ſtatuit eum pietas vnicuiq; iudicat eſſe optimum. Mortua eſt autem heſterno die infantula Sibylla filia viri docti & honeſti & optimarum artium Magiſtri VLRICI MEISNERI nati in Palatinatu, quæ cùm rectiſſimè valere putaretur, inopinato morbo extincta eſt penè ſubitò, die poſtquam in hanc vitam edita fuit ſexto, ad cuius humationem, quæ hodie fiet horæ duodecima, expetitur deductio funebris, quam & præſtari par eſt huic MEISNERO vt ciui Academiæ noſtræ, qui in communibus ſtudijs honeſtè nobiſcum viuit, & noſtros, vt hoc officium ei præſtent, benignè cos inuitamus atq; hortamur. P. P. 6. Calend. Nouemb. Anno 1564.

Doctrì-

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-62-quod/start.htm?image=00000181

DOCTRINÆ SACRÆ STVDIOSIS S. D.

QVOD de Ænea aſpiciente hiſtoriæ Romanæ picturam in clypeo efformatam, Virgilius inquit: Miratur, rerumq; ignarus, imagine gaudet: Id de nobis, opera & conſilia DEI in creatione expreſſa reuerenter aſpicientibus, multò verius dicitur. Eſt enim totum hoc theatrum, cœlum, lumina, ſtellæ, aër, aqua, terra, plantæ, animantia, homines, & cætera mundi corpora, plenum mirabilium operum DEI, adeò vt quoquò oculos vertas, non niſi miracula ſtupenda & illuſtria de Deo teſtimonia ſeſe offerant. Et collocati ſunt homines in hoc ſplendidum domicilium, & inſita his de Deo & de virtutibus notitiæ, vt & ſeſe aſpicientes & oculos circumferentes ad contuendum rerum ordinem, & conſyderandum totius ædificationis conſilium, agnoſcant & eſſe Deũ, & adeſſe huic ſuo operi, & conſeruare res conditas, & inſtitutum totius operis ordinem. Sed verè ſumus ignari rerum, vt Virgilius inquit: Nam & procul, & per caliginem denſam hæc miranda Dei opera aſpicimus: Et pauci ſunt, qui cogitatione ac conſideratione horum lætantur, vt debebant. Plurimi, proh dolor, adeò ſunt ſuperbi ſeu ſtupidi, vt ne quidem

dem cogitationem de his vllam inſtituere dignentur, cùm in momenta omnia miraculorum numero & varietate penè obruantur à Deo, quem vt Paulus inquit, manibus propemodum palpare ac contrectare poterant. Etſi autem opera Dei non poſſunt penitus perſpici omnia, etiam à ſagaciſſimis & diligentiſſimis, nec cauſæ tàm mirabilium operum & conſiliorum prius intelligi poterunt, quàm ipſius architecti, æterni Patris Filij et Spiritus ſancti enarrationem ac deliberationem coràm audiemus: tamen nunc quoq; in hac caligine noſtra quantulacunq; cognitio, & qualiſcunq; horum operum aſpectio ac conſideratio nõ eſt fallax vmbra, ſed aditus eſt ad agnitionẽ Dei, & ad æternæ Academiæ ſtudia, Et in hac vita certiſſimum de Deo teſtimonium. Sunt igitur exuſcitandi animi, vt cùm opera & conſilia Dei vniuerſa perſpicere penitus non poſſint, imagine tamen & conſyderatione hac lætari diſcant, quæ profectò homini non monſtroſo eſt dulciſſima. Peruenimus autem in lectione Moſaica, vſq; ad narrationem conditi ſexus muliebris, & inſtitutæ ſocietatis coniugalis, in quorum vtroq; cum & ſapientia conditoris inexplicabilis, & teſtimonia amoris erga homines immenſi propoſita ſint, conſyderari ea ſtudio & diligentia ſumma

ſumma iuſtiſſimum eſt. Quod igitur in qualicunq; affectione & explicatione narrationis Moſaicæ hactenus doctrinæ ſacræ ſtudioſis præſtitimus, id in horum quoque operum ἐξηγήσει deinceps præſtare, atque his, qui ſapientiam ac ſimplicitatem Moſaicam ſuperbè non deſpiciunt, fidem & aſſiduitatem noſtram probare conabimur. Hortor igitur ſapientiæ huius diuinæ amantes, vt cras hora ſeptima loco conſueto non grauatim conueniant, & in lectione Theologicarum frequentia, reuerenter ſe de voce diuina ſentire oſtendant.
P P. die 29. Octobris, Anno 1564.

Paulus Crellius S. Theologiæ Doctor & Profeſſor.

IN TERTIVM HOMERI ODYSSEÆ librum.

VETERIBVS ſcriptoribus hunc morem fuiſſe conſtat, vt ſingulos libros à ſe ſcriptos ſeparatim recitare, populoq; proponere ſolerent, proinde res ita partiti ſunt, vt in ſingulis partibus aliquid eſſet inſigne, quod præ cæteris emineret, Idem ab Herodoto quoque & Thucydide factum eſſe videmus: Neque tamen res ipſa vbiq; pariter luculentam materiam ſuppeditabat, inde accidit, vt alij libri alijs illuſtriores eſſent, quo in numero in Thucydideæ hiſtoria tertius & quartus Libri rectè ponuntur. Nam vt in præſentia de tertio dicam, continet is primùm defectionem Lesbiorum ab Athenienſibus, in qua mira ingeniorum & conſiliorum varietas deſcribitur, atq; orationes illuſtriſſimæ inter ſe pugnantes commemorantur. Producitur hîc primùm Cleon ciuis clamoſus & turbulentus, ſed multitudini gratus orator, vt inquit Thucydides, qui ſuis clamoribus & furioſis conſilijs, penè magno malo probraq; affecit ciuitatẽ, Sequitur deinde nobiliſſimæ ciuitatis Platææ miſerabilis interitus, qualia mala bella ciuilia comitari ſolent, Poſtea illuſtriſſima deſcriptio ſeditionis Corcyrenſium inſeritur, quo loco vix quidquam eſt luculentius aut ſpecioſius in hoc ſcriptore, ita enim ζωγρῶς, ita euidenter rem per ſe atrocem commemorat, vt te non legere aut audire, ſed tanquam in re præſente intereſſe, atq; omnem illam facinorum atrocitatem oculis cernere putes, vt non mirum ſit animis cohorreſcere, qui iſta legunt, & additur triſte Epiphonema, multa etiam alijs in locis non minus

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-62-quod/start.htm?image=00000183

nus atrocia exempla in hoc tristissimo bello ciuili accidisse. Accedunt deinde aliæ historiæ, vbi disputatio de terræ motibus inserta est, & infœlix expeditio Demosthenis per ambitionem suscepta, & expiatio templi in Delo, ac testimonia sumpta ex hymnis Homeri, quorum omnium cognitio non tantùm iucunda, sed & adprimè vtilis est. Huius tertij libri interpretationem ad proximum diem Martis, DEO iuuante, auspicari decreuimus, & ad diem Veneris tertium Odysseæ Homeri librum auspicabimur. Precor autem DEVM, vt mihi in hac senecta clementer vires sufficiat, & nostra tàm docentium quàm discentium studia Spiritu sancto suo regat ac gubernet ad gloriam nominis Domini nostri IESV CHRISTI per CHRISTVM filium suum Redemptorem nostrum, Amen. Die 29. Octob. Anno 1564.

Vitus VVinsemius senior.

RECTOR ACADEMIÆ VVITTE BETGENSIS IOHANNES Georgius Comes Solmensis.

Rece-

RECEPTVS est superioribus diebus in valetudinarium rei scholasticæ nostræ, iuuenis honestus LAVRENTIVS GREGORIVS, natus in Chersoneso Cymbrica, cùm catarrhi, qui destillationes sunt, febrim ei commouerent. Etsi autem nihil omissum fuit, quæ ad corporis & morbi curam pertinuerunt, inter tamen & Medici & cæterorum operas fideles sub hesternæ diei horam quartam vespertinam mortuus est. Nam interdum docta plus valet arte malum, Et quos DEVS hinc euocat, ijs frustra medicina paratur. Grassati autem publicè sunt (quod de morbis ἐπιδημεῖν appellarunt Græci medici) hoc toto anno Catarrhi, vt audimus, mirifici, cum febribus pleriq; periculosis, qui nunc propter anni tempus hoc, quod testamenta resignat, & tempestatem alienam, magis increbescere animaduertuntur. Itaque hortamur scholasticos, vt valetudinis suæ diligentem rationem habeant, & fugiant, cùm lucubrationes, tùm multò magis compotationes intempestiuas, vel potius, vt vno verbo dicamus, crapulam, & iniurgitationem omnem, & hoc modo corpori suo cum honorem habeant, de quo Apostolus præcipit. ὑποδηφανίαν autem ἐν πλησμονῇ ἄρτων, καὶ ἐν εὐθυνίᾳ οἴνου παταλᾶν, Sodomæ peccatum fuisse dicit Pro-

 phetæ

phetæ, & qui hæc vsurpant, ij in præsente periculo, & mortis huius corporis, & interitus æterni, se esse sciant. Ita ad valetudinem & pietatẽ vtilis est, atq; necessaria sobrietas. Qui verò se non rectissimè valere sentiunt, medicorum consilio tempori vtantur, & quibus Academiæ Eleemosyna & valetudinario opus est, ij etiam ne petere hoc differant, cum in valetudine hominis, vt Hippocrates monet, nihil paruum sit, nihil contemnendum, & venienti morbo occurrendum sit, postquam enim ingrauescit morbus, medicinam quærere serum est. Sed huic LAVRENTIO Academia finem faciet hodie hora tertia, quod hortamur scholasticos, vt deducant, etiam mortui causa, quem audimus iuuenem fuisse optimè institutum, & stipendio regio vixisse in Academia Hafniensi per annos quinq; ita, vt laudem, & testimonia bonorum virorum mereretur luculenta, ad quæ omnia gentis etiam, celebritas accedit, cuius à nobis rationem haberi par est. Datæ 3. Nonas Nouembris, Anno 1564.

STVDIOSIS DIALECTICES IN ACADEMIA VVitebergensi S.

Quan-

QVANQVAM DEI beneficio vtilissimæ artis Dialecticæ præcepta ita accuratè in hac inclyta Academia publicè hoc tempore proponuntur, vt denuo eadem tradere quasi actum agere, & prorsus inutile videri possit: Tamen multis rationibus adducor, vt denceps eandem Dialecticam priuatim etiam studiosis adolescentibus proponere cupiam. Nam etsi omnibus nobis gratiora, iucundioraq; esse solent, quæ ab artificibus in vnoquoq; genere artiũ & professionum traduntur, quàm quæ ab alijs, qui nec eruditione, nec eloquentia cum illis sunt conferendi, proponuntur: Tamen omnium voluntas sine exceptione probanda est, qui vel aliqua ratione artes, quæ sunt fontes bonarum rerum, ornare, & discentium studia iuuare conantur. Vt enim in senatu Attico non solus Themistocles audiebatur, cuius summa fuit laus ingenij & sapientiæ, sed etiam ab alijs ciuibus sententiæ dicebantur: Ita non modò publicè in Academijs necessariæ artes ab artificibus proponi, sed & aliorum mediocrium honestæ voces de artibus sonare debent. Deinde, etsi quis semel atq; iterum Dialecticã congnouerit, tamen non statim omne studium illius deponet, cùm neminẽ ignotum sit, non dissimilem agrorum & ingeniorum nostrorum rationem atq; naturam esse.

Vt enim agri nisi assidua & quotidiana adhibeatur cultura, nunc arando, nunc occando, nunc repastinando, cæteraq; agriculturæ officia peragendo, aut citò sylvescunt, aut prorsus steriles fiunt, aut minus fœcundi & fructuosi evadunt: Ita in cultu ingeniorum assiduus collocandus est labor & industria, vt non modò novæ præceptiones tanquam semina illis mandentur, sed etiam vt quæ prius ab optimis animorum colonis satæ fuerunt, vel ab ijsdem, vel ab alijs curentur, colantur, absoluantur.

Nihil enim in rerum natura tàm firmum est & stabile: nihil tàm constans & perpetuum: nihil tàm solidum & perfectum: quod renouari industria, labore curari, & diurna nocturnaq; manu tractari non desideret, ne vel nunquam ad maturitatem perueniat, aut cùm peruenerit, illicò non declinet, & ad interitum præcipitetur. Inprimis verò de studijs nostris verissimum est, quod Plato dixit: Etiam sæpè doctrina eadem repetita, & semper audita multis annis, vix tamen vt aurum perpurgatur cum multis exercitijs. Quamobrem cùm & ea voluntate sim præditus, vt pro mea quoq; tenuitate adolescentum studijs in arte Dialectica discenda consulere cupiam: & discentibus omnium maximè expediat, non tàm quotidie noua cognoscere, quàm publicè cognita repetere, & subinde repetita altius & firmius animo imprimere:

Spero vel confido potius, me in nullius rectè & candidè iudicantis reprehensionem incursurum: & studiosis seriò discere volentibus gratum facturum esse, quod qualemcunq; repetitionem artis vtilissimæ & pulcherrimæ priuatim quoq; instituere constitui.

Est enim Dialectica ea ars, quæ in omni genere studiorum & in tota vita amplissimum vsum & fructus vberrimos affert: Nec quisquam nomen eruditi tueri potest, nisi qui diu multumq; in hac arte versatus fuerit, nec tantùm semel & iterum audiendo, sed assiduè ad vsum transferendo, vim atq; naturam illius planè perceperit. Inchoabo igitur D E O *iuuante die crastima sub horam octauam, & ordine enarrabo quatuor libros Dialecticæ scriptos à reuerendo Domino præceptore* P. M. *quibus nulli alij libri in hoc genere conferri possunt, & quod ad præceptorum perspicuitatẽ, & exemplorum bonitatem attinet. Ac vt in Epitaphio Epicharmi apud Theocritum dulcissimè scriptum est:* ἦπε παῖσιν χρήσιμα: μεγάλα οἱ χάρις. *Docuit pueros vtilia, magna ei gratia debetur: Ita quantum Deus mihi dederit, sedulò*

conabor, vt vtilia & necessaria auditoribus proponam, & imprimis præcepta & textum D. præceptoris familiarem ipsis reddam. Conueniant autem studiosi, qui me audire volent, cras hora 8. in supremo tabulato ædium, quas Bibliopola Iohannes Schröter tenet prope templum paulò supra ædes clariss: viri M. Blochingeri. Benè & fœliciter valete, pridie Non. Nouemb. Anno 1564.

M. Christophorus Pecelius.

RECTOR ACADEMIÆ VVITEBERGENSIS IOHANnes Georgius Comes Solmensis &c.

REVERTITVR puluis in terram suam, vnde erat, & Spiritus redit ad DEVM, qui dedit illum, vt concionatur Hebræus Ecclesiastes, horum alterum curriculum est commune omnium hominum, alterum credentium Euangelio tantùm, quorum corpus moritur peccato, spiritus autem viuit in DEO. Etsi autem ex cæteris huius vitæ miserijs vniuersis, quæ magnæ sunt & multæ, vel potius ingentes, morte eripimur, nulla tamen pijs gratior est liberatio, quàm quod per mortem corporis huius periculis li-

beramur & laboribus militiæ aduersus peccatum, & dolore atq; perturbationibus animi, quos in hac existere & sentiri necesse est multiplices, neq; hac re vlla res alia vitam Christianis difficiliorem reddit, aut grauiorem. Quas autem hoc toto anno grassatas esse fluxiones cum febribus nudiustertius significauimus, earum quasi Epidemia superioribus diebus corripuit etiam adolescentem probum, & pietatis, & bonarum literarum perquam studiosum THOMAM KHVN Coldicensem, cuius pater aliquando vixit in familia reuendi viri D. Doctoris MARTINI LVTHERI οὗ τὸ μνημόσυνον ἐν εὐλογίᾳ, eiq; fidem & diligentiam suam probauit, nunc autem pastor est Ecclesiæ CHRISTI in oppido veteri Misniæ CREMA, quod illustris etiam ludus principis Electoris &c. nobilitat, in quo ludo hic THOMAS educatus per annos quinque, ita didicit, vt à præceptoribus suis honesta testimonia huc secum attulerit, & spem optimam de se intelligentibus omnibus fecerit. Sed cum corpore esset & valetudine tenui, neq; in studior suorum laboribus sibi parceret, accedente morbo, & animi etiam ægritudine, quod cum multis difficultatibus conflictaretur, inter hæc consumtus

heri mortuus est, tabe etiam & pulmonum affectione manifesta. In periculis autem vitæ communibus & horum temporum peculiaribus teneat vnusquisque, quod scriptum est: Ne impiè agas, & noli esse stultus, ne moriaris in tempore non tuo, quibus præcipitur pietatis studium & circumspectio, sicut humana etiam sapientia iudicat esse χρήσιμα τάτην εὐλάβειαν. Huic verò mortuo familiares & populares hodie funus facient, quorum pietati scholasticorum etiam opera, qui in communibus studijs versantur, inseruire debet, vt ad humationem deducant condiscipulum suum. Efferetur autem hora duodecima ex ædibus, quæ sunt in vicinia reuerendi viri D. M. Sebastiani Froschelij. P. P. Non. Nouembris.

STVDIOSIS LINGVÆ LATINÆ.

PRÆSVNT nunc DEI beneficio in hac schola studijs facultatum superiorum, & administrationi publicæ nonnulli, quibus qualemcunq; cognitionem eius linguæ, cuius initia temporis successu ipsorum loco nos iam alijs tradimus, ex parte acceptam referimus. His destinata tunc ad prælectionem pædagogicam erat hora octaua antemeridiana, quam postea de præce-

præceptorum consilio antecessores mei mutarunt, assumpta hora secunda pomeridiana, qua & nos hactenus docuimus. Nunc de eorundem autoritate & sententia hac concessa alteri, octauam antemeridianam resumere iussus sum. Nos itaq;, vt seniorum ac præceptorum voluntati parere fas et æquum esse iudicamus, Ita mutationem hanc discentium studijs vtilem ac salutarem esse optamus, ac vt sit, nostro loco præstare nos decet. Significo itaq; auditoribus meis, ac reliquis, qui opera nostra vti volunt, me in posterum hora octaua matutina loco eo, quo hactenus cõsueui, prælecturum. Ac cras, DEO iuuante, continuabo explicationem Epistolarum Ciceronis familiarium. Bene valete 6. Nouemb.

Eusebius Menius
Professor.

RECTOR ACADEMIÆ VVITEBERGENSIS IOHANNES Georgius Comes Solmensis &c.

SEXTO Id: Nouemb: sub noctis horam sextam valedixit Academiæ, vir clariss: Doctor MELCHIOR FENDIVS, consequu-

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-62-quod/start.htm?image=00000188

tus tandem, quem verò tædio vitæ præsentis multis atque assiduis precibus ac gemitibus à DEO petiuit beatum & placidum ex hac vita exitum. Quã enim PHILIPPVM MELANTHONEM meminimus ante mortem deprecari apud Deum senectam, quæ & sibi & alijs grauis futura esset, in eam se deuenisse DOCTOR MELCHIOR solebat lamentabiliter queri, et sollicitè atq; anxiè obtestari vniuersos, vt incommoda senectutis suæ, quæ ipse quidem perferret ac sustineret maxima, lenire studeremus sibi, & nobismet ipsis. Attigit autẽ annũ ætatis septuagesimum octauũ. Sed postrema pars ætatis eò grauior illi, ac difficilior fuit, quòd multis annis ante obitum ex cerebri siccitate et spirituũ defectu, interdiu lucis, & oculorũ vsum, noctu somni beneficium amiserat, quibus cùm erepta illi essent solatia senectutis vniuersa, sæpè quæres eum inter omnia præsidia humana seruarit ac sustentarit tamdiu, mirati sumus, cùm sit alimentũ senili in corpore somnus præcipuum, & ipse alioquin cibi esset pauciss imi. Insomniæ verò molestias leuare potuisset lectio, quæ animum abductum à curis & cogitationibus alijs, quæ sæpè obrepebant inuito ac repugnãti, ac suauioribus & gratioribus occupatum argumentis, diu in horum vel recordatione

ne vel consideratione detinuisset, minusq; vel sensum incõmodorum senectæ, vel aliarum molestiarum admisisset. Natus est in vrbe Rhetorum, cui quod Noricorum agros attingit situs nomen dedit, vt vocaretur NORLINGA, quod nomen argumento est, antiquissimam eam vrbem esse, & tunc habitatam fuisse, cùm Rhæti & Norici ad Danubij ripas sederunt. Lipsiam venit anno quarto, vbi receptus est in familiam Medici excellentis, ac facilè illo tempore in his terris principis inter Medicos, Doctoris Simonis Pistorij, qui Pater fuit Simonis Pistorij, Anus Modestini clarissimorum in Iure Doctorum nostra ætate. Multa hoc præceptore vidit ac didicit, quæ vt pertinacius & fixius adhærent iuuenilibus annis visa, audita vel obseruata, retinuerat ad extremam senectam vsq;, & mirificè prædicare atq; extollere, quoties in illorum sermonum mentionẽ inducebatur, solebat. Cùm autẽ Pistorius crebrò ab Academia auocaretur ad principũ aulas, et huius scholæ fama paulatim inclarescceret, illo relicto, apud quem occupationum multitudine animaduertit impediri cursum studiorũ suorum, huc se cõtulit circiter annum decimũ tertiũ, et ita deinceps alumnus huius scholæ permansit, cui χαριστήρια reddidit, creatus in professore publicũ.

Lip-

Etsi autem abfuit interdum ab Academia, & scholas aliquot priuatas alibi, vt Torgæ & apud Variscos in oppido Plauensi fœliciter illo beato reflorescentium studiorum sæculo instituit ac rexit: tamen hic annos non minus quàm quadraginta docuit. Enarrauit Aristotelicos libros magna cum laude & admiratione imtiò. Postea totum sese Medicinæ Professioni dedidit, in qua consenuit, & benefecit innumeris, quos consilio, fide, opera & adsiduitate sua seruauit. Agnoscit, & prædicat beneficia illius tota vicinia, quæ ad huius ædes petendi de sua valetudine consilij, & opis requirendæ causa agminatim confluere solebat. Atq; vt est πᾶς ἀνὴρ χρηστὸς κοινὸν ἀγαθὸν ἡγεῖ ἅπαν τὸ χρηστὸν κοινωνικὸν, *ita ipse libenter ac facilè admittebat quosuis, & præstabat fidelem operam, quibus poterat, cupidissimè. Hoc iuuandi alios studium regebat in eo vera* DEI *agnitio, & ardens inuocatio. Nam verè timebat* DEVM, *& erat viuum Spiritus sancti domicilium & organum, quod cùm aliàs, illustribus exemplis plurimarum virtutum, pietate erga Deum, castitate, candore, constantia & assiduitate in operis vocationis, cura tuendi coniunctionem animorum atq; concordiam, officijs erga ægrotos pauperes, quorum velut Asylum*

lum erat domus ipsius, tùm verò præcipuè eo tempore ostendit, quo & delituit dom priuatus vsura lucis, & decubuit. Exegit hoc tempus omne audiendis concionibus, & lectionibus sacris, & precationibus pro Ecclesia, pro Repub: pro salute et tranquillitate huius scholæ, cuius erat amantissimus. Acuebatur, & crescebat in eo cum ætate & morbo cura pro rebus publicis, & ardor inuocationis ac precationum. Sensim enim consumebatur corpus marasmo senili, ac tabescebat, & augebatur malum asthmate pulmonis obstructi assiduo defluxu catarrhorum crudorum, quo tandem suffocatus est, cum reliquis viribus omnibus collapsis multò antè δώναμις ζωτικὴ *pulsuum iudicio, quod in hoc exhausto atq; extremè emaciato corpore mirum fuit, penè vsq; ad halitum extremum æquabilitatem moderatã conseruasset. Tali & Collega & publicarum operarum, dum vires animq; sinebant, deinceps verò precum socio, orbatos esse huius Academiæ Professores doleamus, atq; in deductione funeris, quæ fiet hora* XII *commendemus* DEO *Academiam, & precemur, cùm ruinam et interitum minitentur omnes res bonæ, vt tueatur & protegat hos alueolos discentium, & tribuat nobis fideles & salutares doctrinæ custodes, vt inter nos*

nos celebretur vera inuocatione & obedientia Filius DEI Dominus noster Iesus Christus vnà cum Patre æterno & Spiritu sancto, donec venerit iudicaturus viuos & mortuos. Datæ pridie Martini, quo die ante annos quinq; Doctor Fendius præmisit Collegam Doctorem IACOBVM MILICHIVM, virum ingenio, virtute, doctrina, & sapientia excellentem. Anno 1564.

RECTOR ACADEMIÆ VVITEBERGENSIS, IOHANnes Georgius Comes Solmensis &c.

EXTVLIMVS nudiusdecimustertius Medicum eximium, Doctorem MELCHIOREM FENDIVM, cuius pitas, virtus & doctrina, στέφανος καυχήσεως fuit scholæ huius, vt sapiens Hebræus loquitur, & ætas ea, qualis ἐν δοῖς δικαιοσύνης εὑρίσκετο, vt idē scribit, cùm scholastica cōmunitas hæc, tàm senem non habuerit, neq; nunc habeat. Huic ad funerandum succedit Iuuenis honestus, qui in flore ætatis mortuus est, ADAMVS ERTZELBACH, ita videmus & senes mori & iuuenes, &, vt latinus Lyricus canit, mista senum

num & iuuenum densantur funera, nullū sæua caput Proserpina fugit, vt neq; ætatis neq; roboris firmitas securitatē afferre cuipiā possit aut debeat, & grassantur pœnæ diuinæ bellorum et contagionum mortiferarum in vicinis regnis, et cōtagiones fermè per vniuersam Germaniā, de qua quid deinceps futurū sit nemo nouit, cùm, cur metuantur omnia, causæ sint nimis multæ, & videtur Dominus paulò pòst repurgaturus esse aream suam, vt hoc etiam ad mortis pericula multiplicia, quæ impendent, referamus. Inter hæc, qui animis securis voluptatibus suis indulgere pergunt, & ea perpetrare, quib. sibi, & alijs pœnas accumulent, ij neq; sui, neq; societatis humanæ, neq; Dei respectū habent, et sibi ipsis miseriā duplicantes, in præsente periculo interitus, & huius temporis & æterni versantur, quo nihil dici aut cogitari potest horribilius. Cōmonefacere autem de pœnitentia viuos debent funerum deductiones, de qua tum concionari mortuos existimemus. Ad salutarem verò ad mortem præparationem necessaria est vera ad Deum conuersio, in qua perseuerare pœnitentes atq; augescere oportet. Sed hic Scholasticus noster natus fuit in agro IVLIACENSI, quæ sedes est Menapiorum veterum, quibus in locis fusis fugatisq; Romanis virtute Harmi-

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-62-quod/start.htm?image=00000191

MARMINII *Aquilæ duæ eis ereptæ sunt, quas hodie adhuc in insignibus suis Imperium Germanicum ostentat, etsi pro duabus aquilis vna biceps vulgò pingitur. Inde igitur in hanc scholam nostram ante biennium venit hic* ADAMVS, *cumq; corpus esset natura vóσφορ, tunc statim periculosè ægrotare cœpit, neq; eum morbum ab illo vsq; tempore superasse videtur, de cuius seminibus ante Mensem febris putrida eum inuasit, & accessit hectica, quibus consumtus heri in religiosa & constanti inuocatione Filij* DEI *mortuus est circiter nonam matutinam, & sepelietur hodie hora tertia. Cumq; in communibus studijs pietatis, & veritatis diuinæ & humanæ nobiscum placidè & honestè vixerit, funeris pij exequias, vt præsentia & deductione sua scholastici cohonestent, eos hortamur. Efferetur autem ex domo honesti ciuis Martini Blum, quæ est in vicinia ædium scholasticarum. P P. X. Calend. Decemb.*

DECANVS COLLEGII PHILOSOPHICI IN ACADEMIA VVitebergensi M. Albertus Lemeiger Hamburgensis.

IN *præsens tempus anni Romani, quo hodiè vtimur, incidere videtur dies festa gentis Iudaicæ, qua celebrauit memoriam repurgati templi, post profanationem Antiochi, quando altare instaurauit atq; consecrauit Iudas Machabeus, itaq; Hebræi Chanuca vocant, id est, dedicationem, & Græci* ἐγκαίνια, *quo renouatio significatur. Scribitur autem à Iudæis celebrata fuisse vigesimo quinto die Mensis Chislef, cui maxima ex parte Nouember videtur respondere, & in historia Euangelica Iohannis, mentio fit tempestatis hibernæ, quæ in Syria encæniorum tempore fuerit, vt à bruma quàm æquinoctio abfuisse videatur multò propius, præcisè enim temporum collatio in Romano anno & Hebræo multis de causis esse non potest, Et est nominatus mensis Hebræus, veteris anni Iudaici, qui politicus quidam fuit, mensis tertius, & secundi anni, qui Ecclesiasticus fuit, mensis nonus. Priscis enim temporibus ante exitum ex Ægypto Iudæi annum ab autumno inceperunt, quem inchoat mensis Thisri, sicut nobis September, vel quòd autumni tempore mundum aliqui conditum crediderunt, & consentaneum sit cum fructibus creatas arbores, & perfectionem tum suam atq; maturitatem habuisse omnia: vel quòd frugibus & fructibus tum perceptis, expectari incipiatur nouus prouentus, Hic vetus annus fuit eius gen-*

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-62-quod/start.htm?image=00000192

tis, postea iussa est incipere annum ab eo mense, quo educta fuit ex Ægypto, secundum verbum Domini: Mensis iste vobis principium vel caput mensium erit, vel vt est in Chaldaica paraphrasi, primus erit vobis in mensibus anni. Hic est mensis Nisan, qui incidit in tempora æquinoctij verni, vt plerunq; ei respondeat Romanus Martius, de quibus hoc loco plura dicere alienum fuerit. In nostris autem fastis ad vigesimum quintum diem Nouembris adscribitur nomen Catharinæ, quæ Græcis Ecatharine est, qua die meminimus superiore anno Clariss: virum & poëtam D. IOHANNEM MAIOREM Collegam nostrum, latinū et eruditum carmen pronunciasse, de ijs, quæ de illa virgine memoriæ prodita accepit nostra ætas, & à plerisq; pro veris aliquando credita fuère, & quid in mentem cogitantibus de illis narrationibus venire possit, atq; consentaneum sit, cur ad talem modum prodita, & commemorata omnia fuerint. Extat hoc carmen typis expressum, & sic cum externis communicatum, eiusmodi, nisi fallor, quod non tantùm in comparatione cum alijs, quæ à nostris hominibus in hoc genere eduntur, sed per se etiam lectionem meretur, & inter ea scripta, quæ post renatas literas ad exemplaveterum hactenus elabora-

ta sunt, locum reperiat, quod obliuiſci nos eorum, quæ indicata die acta fuère, non sinit, cùm horum memoriam, vt spes est, celebratura videatur posteritas.

Sed de nostris nos glorioſius loqui non decet, Illam verò operam Poëta noster incitantibus Musis bonis suscepit, vt occasio maior esset de optimarum literarum atq; artium studijs dicendi aliquid, & hæc studia vt Musæ ipsius peculiariter, & quasi extra ordinem ornarent, quod sicut ille tunc fecit, approbantibus vel collaudantibus potius, bonis & intelligentibus omnibus, ita nunc ingenium vegetum & acre hac occasione iterum instituit de Philosophiæ studijs aliquid à se elaboratum recitare. Nihil autem expectamus vulgare nunc etiam & ab ingenio ipsius, & in argumento, vt Maronis verbis vtamur, ingente atque pulcherrimo. Hortamur igitur Scholasticos, vt & illius diuinæ Musicæ, & eruditionis & literarum, atque communium studiorum honoris, & suæ etiam voluptatis atq; cognitionis liberalis causſa, ad eam recitationem frequentes conueniant. Vulgare prouerbium dicit, desidibus semper esse ferias, quod vt verum est, sic contrà industrijs & doctrinæ cupidis semper ad discendum & audiendum erudita

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-62-quod/start.htm?image=00000193

& bona, ocium est, & animus promptus atque voluntas parata. Audiant igitur & discant Scholastici, dum fata Deusq; sinunt, cum tempora sint periculorum multiplicium plenissima, atq; vt iterum dicam, fruamur præsente copia & ocio, dùm licet, cùm quid deinceps futurum sit, nemo sciat, & futura sint in manu DEI, ad quæ ab humana sapientia hoc in mente sit, vt sperentur optima, & metuantur pessima, & ferantur quæcunq; erunt. Atq; instituta hæc recitatio fuerat, vt in die Catharinæ haberetur, sicut superioris annj altera, cùm hanc virginem quasi Mineruam quandam alteram, superstitiosa credulitas & temporum error in Ecclesiam Christi induxerit. Sed cùm hoc anno in pridianum diei Dominicæ inciderit, necessario differenda res fuit, atque ita in crastinum reiecta est, cuius hora nona matutina, oratio habebitur ea, ad quam scholasticos hoc scripto nostro conuocamus. Sed non incommodè hoc etiam cadit, nam ad crastinum diem in quibusdam fastis Virgilij nomen asscribitur, quicunq; autem fuerit, qui notatur, obscurius nomen est, vel claritate saltem minimè par Mantuano aut Andino Virgilio, ad cuius diligentissimum atque felicissimum imitatorem audiendum, vt indicto tempore frequentes in schola maxima conueniatis, vos hortamur. P. P. 6. Cal. Decembris. Anno 1564.

RECTOR ACADEMIÆ VITEBERGENSIS IOHANNES Georgius Comes Solmensis &c.

NON sumus conditi ad hanc vitam, quæ morti adiudicata est, sed ad aliam immortalem, quam amissam culpa nostra, Filius DEI morte & cruciatibus suis recuperauit generi humano, Vt omnis, qui credit in Filium, habeat vitam æternam, sicut scriptum est. Præsens igitur vita nostra peregrinatio est, secundum Apostolum. Sicut autẽ viatores inter labores, molestias & difficultates itinerum spe atq; cogitatione de sede, in qua quiescant, confirmantur, & ad hanc cupidissimè contendentes hoc modo consolantur labores suos, Ita fretos fiducia partæ per Christum salutis, confirmare animos suos pij debent, aduersus mortis pericula, atq; terriculamenta, & cupidi esse atq; parati ad migrandum, vt sint cum Christo, cum per mortem corporis huius, corpus moriatur peccato, & in sepulcrum se recipiat, quod est portus corporis, vbi remissa humana vita corpus requiescit à malis, sicut est in versu veteri, &

Spiritus viuit in DEO. *Quarum rerum consideratione ita de morte cogitare debebamus, vt de sede quietis suæ viator cogitat, quomodo minus esset formidabilis, vel expeteretur etiã, sicut Apostolus de se profitetur, aut sicut viator sedem quietis suæ, vel ceruus etiam in siti aquas expetit, secundum Psalmi formulam. Sed mors pœna est peccati, & thesaurum in vasis fictilibus circumferimus, & caro imbecilla est, cui tamen repugnandum, cùm vt* ὀλιγοψυχίαν, *ita animi etiam hanc imbecillitatem toleret quidem Dominus, sed increpet grauiter, & euadere nos velit in viros perfectos, sicut hoc etiam scriptum est. Migrauit autem ex hac vita euocante* DEO *heri inter sextam & septimam vespertinam, iuuenis honestus & magnæ spei & expectationis,* BERECHIAS DELIVS, *inter ardentissimas preces & contestationes religiosissimas fidei suæ, commemoratione præcipuarum consolationum Propheticarum & Apostolicarum. Hic patriam habuit nobilissimam ciuitatem Argentoratum, quæ aliquando Toratum, & postea Toratoburgum & Stratisburgum nominata fuit, in cuius Reipublicæ celeberrima schola pater huius* BERECHIÆ *hebræam Linguam docuit, qui hunc filium ad doctrinæ studia*

Scholia eduxit, sed cùm amisisset vtrumq; parentem, propter ingenij bonitatem, & discendi studium, missus est in nostram scholam à Friderico à Gottesheim, qui literarum studia Argentorati moderatur, & filij loco eum dilexit, & suis sumtibus apud nos per biennium aluit, quæ est commemorabilis optimi & doctissimi viri liberalitas atque benignitas, cuius hic alumnus ita in pietatis & vtriusque linguæ studijs profecit, vt magnam de se spem fecerit ijs, qui eum nouerunt omnibus, atque hoc modo immaturam, ad humines quidem, mortem huius videri necesse sit, præsertim cùm nondum compleuerit annum ætatis vicesimum, Nos tamen acquiescere occulto iudicio DEI *par est, qui nouit suos, & quod cum his fit, id eis optimum est, & saluberrimum. Efferetur autem hodie hora tertia ex ædibus Conradi Neidelij honesti ciuis in vicinia ædium scholasticarum. Vbi vt conueniant scholastici, & ad sepulturam honesta frequentia corpus optimi iuuenis deducant, eos hortamur. Paulò pòst eadem hora efferet filiolum infantem* IOHANNEM, *vnum ex gemellis, vir honestus & doctus* M. IOHANNES FINCK. *qui Templi Musicam*

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-62-quod/start.htm?image=00000195

Chirurgicam moderatur, & in ædibus eximij Medicinæ Doctoris Viti VVinſemij viri clariſsimi, quæ poſt vallum ſunt, hoſpitium habet. Qui pij ſunt & conſiderantes conditionis communis, quid ipſos deceat, & ſua ſponte intelligunt, & ſæpè in ſignificationibus publicis talibus de hoc docentur. P P. *Calend. Decembris Anno* 1564.

RECTOR ACADEMIÆ VVITEBERGENSIS IOHANnes Georgius Comes Solmenſis &c.

INTER *eos, qui publicis ſumptibus laudiſs: Reipub. Noribergenſis hoc tempore in communitate ſcholaſtica noſtra aluntur, fuit etiam adoleſcens probus & eruditus* PETRVS FABER *eiuſdem Reipublicæ ciuis, qui cùm in optimè conſtitutis ludis literarijs patriæ ſuæ fundamenta literarum fœliciter iecisſet, & inter duodecim, qui peculiari cõſtitutione in ea ciuitate publicè in literis educantur, per annos 4. vixisſet, de ſententia ampliſs: ordinis, ante biennium fermè huc eſt miſſus ad pietatis & doctrinæ ſtudia proſequendum, in qua re optimus adoleſcens ita ſatagit, vt diligentiæ vel aſſiduitatis potius laudem tribuant ei æquales ipſi-*

us præcipuam, Et in diſcendo & commentando indeſinente, atq; ita intempeſtiua etiam contentione ſic afflixiſſe valetudinem putatur, vt cum catarrhis et deſtillationibus perpetuis conflictaretur, quibus fluxionibus ſuffocatus heri inter tertiam & quartam pomeridianam mortuus eſt penè ſubitò, cùm nondum decumbere cœpiſſet. Quod igitur alij iniurgitationibus & compotationibus nocturnis malum ſibi conciliant, id hic noſter intempeſtiuis lucubrationibus in ſtudijs veritatis & opt: artium contraxit. Sicut autem illud impietatem ad Deum manifeſtam complectitur, & ad omnes bonos turpe eſt & flagitioſum, ita hoc etiam culpa minimè vacat. Nam etſi cupiditati hauriendi cognitionem atq; ſcientiam ſalutarem & bonam facilius ignoſci poteſt, naturæ tamen à DEO *conditæ nulla in parte nulloq; modo vis afferenda eſt, Et ſicut cætera opera ſapientiæ diuinæ reuerenter habenda ſunt & religioſè vſurpanda, ita vita etiam, valetudo & ſalus ſua vnicuiq; diuinitus commendatur, vt in his tuendis &* DEO *autori & ſibi ipſi vnuſquiſq; fidem præſtare debeat. Neq; animus ſic eſt excrcendus, vt corpus negligatur, aut ratio huius nulla habeatur, præſertim cùm animus immortalis ſit, corpus mortale & corpore*

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-62-quod/start.htm?image=00000196

afflicto, animo etiam benè esse non possit. Est enim in præsente vita copulatio horum omnino mirifica. Atq; repetentes hac de re sapientum veterum scholas, melius intelligemus Paulinam commonefactionem, quæ grauis est & seuera, vt suo vnusquisq; corpori honorem habeat. Sed in miseria & furore nostrorum temporum, qui hoc modo in sese & naturam violenti sint, multò minor est numerus, quàm qui flagitijs & sceleribus se & alios perdunt, cùm tamen illi non leuiter peccent, quid de his sentiendum sit intelligitur. Nos verò in præsentia scholasticos hortamur, vt adolescentis tàm nauui & industrij, qui tanto cum studio ad laudem & decus contendit, vt profectus memorabilis maiorem, quàm vitæ curam haberet, & qui vixit in cœtu nostro laudabiliter, et sanctissimè mortuus est. Eius igitur sepulturã vt ornẽt atq; honestent frequẽti deductione sua, se etiã vnusquisq; Deo fidelem et Ecclesiæ Christi & Reipub. vtilem ciuem præstare atq; conseruare vt studeat. Ita ad Deum & homines laudabilis erit vita nostra, & gratam memoriã nostri ad posteros relinquemus. Efferetur autẽ mortuus ex ædibus hæredũ M. Iohannis Sturionis δοῦ τὸ μνημόσυνον ἐν εὐλογίαις, His enim verbis Hebræam hac de re formulam interpres Græ-

cus exposuit. P P. Idib. Decemb. quæ est dies TRVMÆ. Anno 1564.

RECTOR ACADEMIÆ VITEBERGENSIS IOHANNES Georgius Comes Solmensis &c.

IN DEVTERONOMIO perscripta est Lex DEI de pœna, qua affici debeant in populo Iudaico filij contumaces & protervi in parentes, & qui sunt ebriosi & crapulatores, Sententia verborum legis diuinæ est hæc: Si quis filium habuerit contumacem & abijcientem obedientiæ, qui non audit vocem parentum suorum, neq; castigantibus auscultat, vt fiat melior, parentes apprehensum eum adducant ad senatum oppidi, & portam consilij, atq; iudicij publici eius loci, & dicant senioribus, Iste filius noster contumax est in nos, neq; obediens nobis, neque audiens nostri, & helluo est & ebriosus, Tum vniuersi incolæ eius loci lapidatione eum interficiant, vt hoc modo tollas malum intestinum, & populus vniuersus cognoscat atq; exhorrescat. Hanc legẽ sanxit Dominus in ea Repub. quam ipse constituit, atq; vt iterũ dicamus, numinis veri & æterni hæc lex est, cuius nõ tantùm iustitia, sed & sapientia immensa est. Etsi autẽ homines etiã sapientes priscis temporibus ex luce diuina insita naturæ,

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-62-quod/start.htm?image=00000197

contra violationem Imperij legitimi, ebrietatem, crapulam, & luxum, multa seuerè edixerunt, in ciuitatibus, quas constituerunt, cõtumaciam tamen vsurpatam contra parentes, qui ita punierint, non meminimus in præsentia, & ab hominibus politicis nostrorum temporum inprimis, fortassis nimia hæc seueritas iudicaretur, & quasi Manliana quædam, sicut ille in Comœdia indulgens senex pro peccato magno paululum supplicij satis esse censet patri. Sed non tantùm odiosa est sapientia, quæ obtrectat numini, vt Pindarus canit, verum etiam impia & blasphema. Nihil autem iam dicitur, de pœnis æternis contra illa facinora expositis. Nam ebriosis Paulus non lapides loquitur, sed exclusionem è regno Dei, & parentibus & Magistratui propter conscientiam præstanda est obedientia, sed lex hæc de pœna docet, quam hac vita ad conseruationem societatis humanæ & vsus ciuilis vtendum sit, quæ peccata si impunita manent, grassatur propter hæc ira DEI in terris, vt Paulus docet de vita impura, ebrietate & crapula. Contemtum autem & violationem Imperij paterni atroces pœnæ sequuntur, & sunt δεναὶ ἐξίννυες, quæ hanc impietatem vlciscuntur, secundum Orphei versum, Ab hac forma ciuitatis diuinæ quàm longè recedat

tedat præsens vita consideretur, in qua non tantùm impunitæ sunt comessationes, vel bellationes potius, crapula & ebrietas, sed in mores etiam abiere, & propter quæ flagitia cœlo excluduntur homines, & morti æternæ & cruciatibus perpetuis adiudicantur, ea nunc in cœtibus Christianis vulgo licent omnibus sine animaduersione Magistratus, etiam à multis in turpibus non habentur, ideò quòd more fiant atq; liceant. Contumaciam autem aduersus parentes, vel excussionem etiam imperij horum, quàm leniter puniunt nostra tempora? pluribus etiam in locis impunitum hoc est prorsus, quod DEVS in populo suo capitale esse voluit, cùm nunc cur capitale esse deberet caussæ essent aliquando plures & maiores. Magistratus politicus, qui gladium habet, quàm ægrè tuetur dignitatem suam aduersus superbiam & contumaciam seditiosorum? à quibus periculum est ne paulò pòst euertatur Respub: Ita quid in scholasticis communitatibus fiat æstimare licet, & nos experimur. Quid enim fiat a barbaris & profanis quibusdam tàm sobrijs quàm ebrijs, ante oculos est, & quæ sit vita multorum in scholis publicis, apparet, & queruntur omnes, & boni deplorant, neq; enim cõmemorando diuulgare libet turpitudinẽ nostram.

stram. At contumaciæ tamen & ebrietatis culpam pleraq; recidunt. Ex ijs autem, qui hoc tempore, cõtemta autoritate Illustrissimi Principis, & imperij paterni nostri, noctu tumultuantur atq; grassantur in oppido, delatũ est ad nos nomen N. N. N. qui conuictus est violenti conatus vsurpati aduersus honestos homines ex ordine nostro, quos sine vlla causa in via publica ipse ebrius & armatus aggressus noctu est inermes, atq; gladio stricto, cædendo & pungendo sæpissimè & vehementer petiuit, deprecantes etiam, atq; nisi tandem correptus fuisset et retentus, vnum ex ijs, quos petijt, confecisset. Hæc audacia capitalis est. Nos tamen certa consideratione, propter hoc facinus hanc pœnam huic N. decreuimus, & decretam esse publicè significamus, vt relegatus exulet ab hac Academia per decennium, atq; vsu & communitate rei scholasticæ nostræ in præsentia ei ab hoc tempore vsque ad annos decem interdicimus. Comitem autem habuit in hoc conatu quendam cum pugione stricto, qui, quod facinorosi audaciam tali præsidio suo aluit, atque auxit, ad biennium eum hinc discedere iussimus. Cùm autem audacia & furor in grassationibus nocturnis & violentiæ conatibus talibus ad immanem modum crescat atque

que augescat, ad extrema etiam consilia adigimur. Quicunq; igitur deinceps contra quietem publicam, violenter, aut seditiosè aliquid committent, ij cùm contemnant imperium Magistratus scholastici, quod paternum esse scimus, à senatu Academiæ, secundum præscriptum exemplum legis diuinæ tradentur ei Magistratui, qui non tantùm carcerem habet, & relegationes atque exclusiones ex honestissimis cœtibus nostris, sed aliquanto grauioribus pœnis cohercere potest, & volet, contumaciam & audaciam tumultuatricem & barbaricum atq; profanum contemtum legum & honestatis omnis, vt hoc modo schola nostra probet fidem suam DEO *& hominibus, in conseruanda disciplina publica, & statu eo, quem accepit, & finis tandem fiat petulantiæ intolerabilis, atque consulatur & publicæ tranquillitati, & saluti priuatæ vniuscuiusq;, cùm, nisi exterminentur grassatores illi, nullius innocentia tuta esse possit. Hoc omnes subiectos ditioni scholastici scire volumus. P. P. Idib: Decemb.*

RECTOR ACADEMIÆ VVITEBERGENSIS, IOHANnes Georgius Comes Solmensis &c.

Hodie

HODIE hora 12 sepelietur senex Sexagenarius PETRVS HABICHT, de quo significatur nobis, quòd in Ecclesijs vicinis ad Albim, quæ sunt in ditione illustrissimi principis Electoris Saxonici, Domini nostri clementissimi &c. aliquantisper docuerit et chirurgicæ medicinæ non imperitus, hac quoq; in parte indigentibus ope ipsius vtiliter inseruierit.

Cumq; filium haberet degentem hic inter scholasticos nostros, ante menses quatuor, ad filium huc venit, in valetudine non optima, & corpore cacochymico, itaq; hydrops secuta est, qua hic correptus & decumbens per multos dies, heri mortuus est, atq; ita quidem, vt testentur, qui in morbo ad eum venerunt, & morienti affuerunt præclarè eum instructum fuisse scientia sanctorum, & ad migrationem salutarem paratissimum.

Nos verò vt ad funeris deductionem scholasticos publicè inuitaremus, dignitati ministerij Ecclesiastici dandum putauimus, cum hoc satis esse posset ad conciliandum ei tale officium. Vnum autem cœlum est & communis consuetudo inter nos & DEVM, ad quam credentes ex hac vita euocantur, vt nulla memoria eorum, quæ in hanc vitam cadunt miseriarum retardare officia nostra erga piè mortuos aut auertere debeant.

Funus efferetur ex ædibus, quæ sunt ad vallum ab angulo plateæ nouæ ortum versus, tertiæ. PP. XVIII. Calend. Ianuarij Anno 1564.

RECTOR ACADEMIÆ VVITEBERGENSIS, IOHANNES Georgius Comes Solmensis &c.

SCRIPTVM est in Psalmo: Scitote quoniam Dominus ipse est DEVS, ipse fecit nos, & non ipsi nos, quorum subiectione consolamur in præsentia dolorem nostrum in funere vnius ex optimis & probatissimis scholasticis nostris. Permittendum enim DEO autori, in cuius manibus est vita nostra, quid statuat de opere suo, cùm & iusticia ipsius & sapientia & misericordia sit immensa, cura autem nostri, & dilectio erga nos ea, quam æstimare possumus de consilio missi in carnem filij DEI, in qua cruciatus & mortem perferret ad reparationem vitæ amissæ & imaginis diuinæ in nobis instaurationem. Euocatus autem ex hac vita est heri hora septima matutina honesto loco natus iuuenis IVSTVS VVIPPERMAN patria

tria Lemgouiensis, cuius parentes in ea vrbe cum laude & dignitate viuunt. Sed de Iusti huius vita apud nos acta, moribus & studijs, ea nobis ab honestißimis hominibus, quibus familiaris & notus fuit, significantur, quæ & mortuo gloriosa sunt, & ad superstites commemorabilia. Ita enim vixisse eum hîc per annos continuos quinq; accepimus, vt pietatis & optimarum artium & honestatis vitæ se esse studiosißimum probaret rebus omnibus, & omnes augendæ liberalis & vtilis cognitionis occasiones cupidißimè persequeretur, & frequentaret doctrinam publicam, & occuparet animum cõmentationibus literatis, assiduitate penè nimia. In vita autem tota hoc ageret, honesta vt esset, & mores probi atq; pudici, cùm moderationem, temperantiam & verecundiam non tantùm ipse præstaret eximiam, sed in alijs etiam, quòd ab harum laudum nominibus recederet ferre non posset. Huic nuper Catarrhi in corpore commoti febrim putridam pepererunt, ex qua cùm iam conualuisset, hectica secuta est, quæ eum consumsit. Sicut autem vitam degit piè, ita mortem etiam religiosa cum pietate obijt, & parentibus suis bene precatus, ardentibus precibus opem diuinam implorauit, & vitam suam in manus Domini tradi-

tradidit. Cùm verò in iuuene hoc natura optima fuerit, & ingenium præclarum, pietatis q; & omnis honestatis decus, propter euersam hanc spem boni publici & interceptos fructus, qui percipi ab illo potuissent, si vita ei contigisset diuturnior, immatura morte huius, ita vt par est afficimur. Parentes tamen & vniuersos, qui fauerunt ingenio ipsius, & viuum dilexerunt, consolari potest & debet vitæ ab hoc sic peractæ & exitus ex hac tàm salutaris consideratio. In vita etiam & morte, tàm nostro, quàm nostrorum lubente & promto animo declarare debemus obedientiam erga Deum Patrem nostrum carißimum, debitam ei à nobis vt filijs, & qui sumus opus manuum ipsius. Hortamur autem scholasticos, vt hodie hora XII. ante ædes Nicolai Risebergij ministri Academiæ publici ad funus huius Iusti nostri deducendum frequentes conueniant. Et suo loco vnusquisq; ea studeat, agat, elaboret, quæ & salutaria sint, & viuentibus laudem, & mortuis memoriam honestam concilient.

P P. XI. Calend.
Ianuarij.

RECTOR ACADEMIÆ VVITEBERGENSIS IOHANnes Georgius Comes Solmensis &c.

CONSENSIT in hac cõmunitate ciuili vir honestus & honoratus Matthias Meier cognomento CARPOPHORVS, natus VVerdæ Suenicæ, quod oppidum Imperij ad Danubium est, eo in tractu, qui quondam fuit Rhetiæ veteris, vnde & Danubij VVerda vulgò nominatur, quod aliqui propugnaculum interpretantur, cùm Germanicum vocabulum in vsu veteri linguæ non propugnaculum, sed insulam significet: Hîc igitur ita apud nos consenuit, vt & viri & ciuis boni laudem consecutus sit & obtinuerit vsq; ad extremum. Cùm puer esset nouem annorum, & à patre, qui Musicus fuit, ita educatus esset, vt literas & canere didicisset, (quæ vetus aliquando in Græcia educationis puerilis ratio fuit) in has terras deductus, & in Illustrissimam aulam sapientiss: Principis, FRIDERICI, Electoris &c. inter pueros symphoniacos receptus est, atq; ita vsque ad ætatem virilem in illa aula & his regionibus vixit, postea in hoc oppidum venit, ante annos quadraginta tres, id est, anno Christi 1521. natus tum ipse annos triginta, inq; hoc

hoc vt multi externi consedit, & affinitatem contraxit cum honestis familijs, & benedixit Dominus coniugijs ipsius, vt sobolem copiosam susciperet, & filias aliquot honestè elocaret. Paterfamilias autem talis fuit, qui sicut veteres locuti fuerunt, sui negotij esset benegerens, cuiusquam κτῆσιν vniuersa vtiliter seruiret huic oppido, Cooptatus etiã propter prudentiam, industriam & fidem spectatam in amplissimum ordinem gubernantium hanc Rempublicam, officia sua tàm in munere illo, quàm in vniuersa vita, bonis & intelligentibus omnibus probauit, Rei verò scholasticæ & ordinis nostri amantissimus atq; colendissimus fuit, Quod autem & pietatis veræ esset studiosissimus, & erga omnes Ecclesiæ Christi & schola operam nauantes, affectione singulari, præcipuorum in nostra Academia hominum studia & beneuolentiam sibi conciliauit, inprimis duorum luminum, non huius scholæ tantùm, sed Ecclesiæ Christi vniuersæ, D. MARTINI LVTHERI & THILIPPI MELANTHONIS virorum clarissimorum, quorum memoria secundum priscã hebræorum formulã sit εὐλογίας. Atq; occasione allata ab humanitate Reuerendi viri D. LVTHERI quotannis erga docentes in Ecclesia huius oppidi

& Academia noſtra ſtudium & affectionem, cultumq; & veneratiõnem ſuam, ita declarare cõſueuerat φιλοφρονεῖν, vt φιλοφροσύνη eſſet, non tantùm officioſiſſima, ſed etiam ſumtuoſa, eamq; ille teſtificationem harum rerum ſuam ſolennem eſſe volebat, atq; vſurpauit per annos continuos quadraginta & vnum, conſecit autem annos in hoc oppido quadraginta ſeptem, vt tota ætas eius ſit annorum LXXIII. ad quantam hoc ſeculo quam pauci perueniant, ante oculos eſt, & ſcribit Syracides, Senectam reperiri in vijs iuſtorum, id eſt, in curſu vitæ pio, quo ſignificat eſſe hanc inter pietatis in hac vita præmia, & ſecundum Hebraicam ſententiam, in ea Republica, quam Deus diligit, conſeruantur ſenes multi. Hic igitur optimus ſenex heri deceſſit ſub auroram, quam pro hora angelorum habuerunt veteres, qua laudent Deum. Præſenſit autem mortem propinquam ante adhuc, quàm decumberet, eaq; oratione nuper ad amicos, quos ad ſe inuitauerat vſus eſt, qua non omnaretur, ſed diſertè ſignificaret ſe de diuturniore vita ſua ſpem non habere, itaq; omnibus in ſchola & templo docentibus ita tum gratias egit, vt quos non eſſet ad ſe poſthac inuitaturus, & planè eis valediceret. Cùm verò decumbens in

in morbo fruſtra ſe medicamentis vti ſentiret, teſtatus fuit ſe gaudere quod prope eſſet hora, qua ad verum medicum & σωτῆρα IESVM CHRISTVM venturus eſſet, de quo in hac vita ſua tam multas & præclaras conſolationumq; pleniſſimas conciones haberi audiuiſſet, & celebratur ſanè pietas ipſius ſingularis in audiendis concionibus ſacris, ad quas venerit religioſius & frequentius, quàm alij multi. Ita ille plenus dierum & ſatur vitæ hinc migrauit in religioſa inuocatione Filij DEI. Notus fuit plærisq; hic ſenex, qui ſe amiciſſimum fuiſſe Academiæ, & conſortibus huius vniuerſis, rebus omnibus declarauit. Hortamur igitur ſcholaſticos vt hodie hora XII. ante ædes, quas incoluit conueniant, & qua decet frequentia ad humationem mortuum deducant, & ei qui noſtrum ordinem coluit & ornauit, hoc etiam vltimum officium rependant. PP. 10. Cal. Ianuarij.

RECTOR ACADEMIÆ VVITEBERGENSIS, IOHANnes Georgius Comes Solmenſis &c.

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-62-quod/start.htm?image=00000203

QVEM, DEO conseruante nos & naturam rerum conditam, ingredimur iam annum nouum, à condito mundo annus est ad minimum quinquies milleſimus quingenteſimus viceſimus quintus, etſecundum receptas in Eccleſia rationes & traditiones 1565. à nocte brumali ea, qua IESVS CHRISTVS Filius DEI homo in terris è virgine Maria natus eſt, cuius ferias natalicias pietas veterum Θεοφάνια appellauit, quod nomen primus vſurpaſſe videtur Baſilius, alij & Χριſοφάνια, & Χριſοῦ φῶτα cognominârunt, nominũ ratione manifeſta, celebratur enim memoria eius temporis, quo natus eſt nobis σωτὴρ Ieſus Chriſtus DEVS Dominus, qui tùm apparuit, non ſpecie diuina, quam neque ferre neq; percipere poteſt humana imbecillitas, ſed forma ſerui, vt libertatem pareret captis & oppreſſis ſeruitute, ὡς ἐφανερώθη Θεὸς ἐν σαρκὶ. Hic idem lux eſt, quæ venit tùm in hunc mundum ad illuminandum omnes homines, & lux magna, quæ orta mundo fuit in profundiſſimis tenebris & vmbra mortis iacenti, fulgor etiam diuinus noctem brumalem illam illuſtrauit, quæ in hiſtoria Gloria Domini nominatur, & lux angelica paſtoribus oblata fuit. Angeli enim lucis mirificæ ſpecie ſeſe obtulerunt videndos, qui ſunt φῶς νόσφορ

τι,

τι, & paulò pòſt ſideris lucem ſequentes Magi ad Chriſtum adducti ſunt. & pys lux ſunt & lucida in hoc puero & de natiuitate huius omnia, qua lux fiunt in Domino. Hæc lux vt aſpectabilior eſſet, in tenebris orta eſt, & illuſtrauit noctem, de qua diximus, brumalem, vt Eccleſia accepit. Noctu enim Chriſtum natum deſcripta hiſtoria conſtat, quod, cur ita placuerit diuinæ ſapientiæ, ſicut explicando demonſtrare nemo poteſt, ita de hoc conſilio religiosè quærere & commentari, à pietate alienum non eſt, & ſunt in medio exempla conatus hac in parte piorum hominum apud veteres, qui allegorias exquiſiuêre, cum veritate conſentaneas & pleniſſimas pietatis. Animaduertitur autem etiam alias res magnas Deus noctu geſſiſſe, & percuſſit media nocte primogenita Ægypti, & eodem tempore eduxit populum ſuum ex ſeruitute. Etſi autem, quæ nocturno tempore fiunt, magis percellunt animos, & attentionem atq; memoriam hominum excitant: in his tamen imaginis conſideratio ſuauis eſt: Sicut enim populum Iſraëliticum noctu eduxit Dominus ex ſeruitute Ægypti: ita eam natiuitatem, qua liberaretur Eccleſia ipſius à peccato & poteſtate Diaboli, ſimiliter in noctem incidere voluit, cùm per eum, qui naſcitur, po-

populus DEI *transferatur è regno tenebrarum, peccati & mortis, in regnum lucis & vitæ æternæ. In huius igitur lucis ortu quæ nascente* CHRISTO *apparet, hoc est omnium maximũ, quòd apparet hoc modo,* χρηστότης *&* φιλανθρωπία *Dei, quæ tanta est, vt Filium vnigenitum Deum verum, Patri per omnia æqualem, in hunc mundum miserit, & hominem nasci voluerit, & cruciatus grauissimos atque mortem obire, vt genus humanum à morte liberaret, & naturæ huius afflictissimæ opem ferret, eiq; mederetur. Hostis enim Dei Diabolus, odio Dei inimicus est generi humano, & inuidens ei bona diuinitus collata, cùm contra* DEVM *frustra pugnaret, in imaginem Dei omnes conatus virium & maliciæ suæ conuertit, vt in hac euertenda suum erga Deum odium expleret. Hic igitur latro induxit, vulnerauit, exuit, nudauit, & in mortem coniecit genus nostrum, & sicut Pardalis in imagine laceranda odium aduersus archetypum ostendit. Hanc imaginem suam quantumuis deformatam & afflictam, non obliuiscitur* DEVS *suam esse, neque diligere desinit, sed miseratur potius, & dilectio misericordiam accendit atque inflammat, ideoq; vt naturam humanam instauret, & vulnera huius sanet, & vitam ei repa-*

raret, venit Samaritanus parabolæ Euangelicæ, et mittitur in carnem nostram Filius Dei vnigenitus, qui cùm sit æqualis Patri, non iudicat rapinam εἶναι ἴσα θεῷ, ἀλλ' ἑαυτὸν ἐκένωσε μορφὴν δούλου λαβών &c. & interponit se medium inter iram Patris & genus humanũ, & homo nascitur, et miserias vitæ huius subit vniuersas, & fit κατάρα, & pœnam peccati in se recipit atq; persoluit, & in cruce moritur, vt nos viuamus. In his igitur consideretur & de his æstimetur illa verbis inexplicabilis dilectio Dei, cuius initia se & fundamenta aperiunt in nato Christo. Nam vt quidã ex veteribus scripsit, ἡ ἀγάπη τὸν θεὸν λόγον ἐπὶ γῆς εἰ παρόντα ἐλθεῖν διὰ σαρκὸς ἐδυνάσατο. *Cuius dilectionis contemplatione exercens pietatem suam Martyr Christi Ignatius plurimũ in ore habuisse scribitur* ὁ ἐμὸς ἔρως ἐσταύρωται. *Etiamsi & alio quodam sensu hoc dicto suo ille vsus videtur. Sed hic amor noster iam vagit in præsepi, natalis enim memoria colitur. Mittitur autẽ et ablegatur in carnem nostram Filius Dei, qui est Angelus Domini, & Verbũ Patris, Angelus magni consilij, qui Abrahamo iurat per se ipsum, quòd in semine eius salutem sit collaturus omnibus gentibus, Gen. 22. Sic verò mitti & ablegari dicitur is, cuius*

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-62-quod/start.htm?image=00000205

natura & potentia infinita iam antè complet omnia, vt non commotio de loco in locum significetur, qualis in DEO cogitari nulla potest aut debet, sed assumptio naturæ creatæ, qua Verbum, quod erat in principio, descendit ad infirmitatem nostram, itaq; ad nos venit & descendit non γύμνῳ λόγῳ φανεὶς, ἀλλὰ σάρξ γενόμενῳ. Et sic descendit, vt à Patre non diuellatur, separetur aut recedat, Sed is qui mittit, est cum eo qui mittitur, cùm naturæ horum vnitas distractionem aut separationem non admittat, & totus Pater sit in toto Filio, sicut ipse de se testatur: Ego sum in Patre, & Pater in me est. Hoc modo qui Patre & mittente minor fit, non desinit esse Patri & mittenti æqualis, & Patri æqualis qui est, cum natura nostra ita se coniungit, vt hanc induat, & verus homo nascatur, & infinitum cum finito, æternum cum creato, in vnam hypostasin veniat & copuletur, ἀτρέπτως καὶ ἀσυγχύτως. O admirabile commercium. Multò tamen admirabilius, quod semel assumptam naturam humanam in omnem æternitatem retinet, neq; vnquam est depositurus, & iam caro & sanguis noster ad dexteram sedet Patris cœlestis. Huius dilectionis erga nos magnitudo, & copulatio vtriusque naturæ tàm mirifica ὁμο-

λογουμένως μέγα τὸ τῆς εὐσεβείας μυστήριον: argumentum erit omnibus sanctis mille altera vita commentationis suauissimæ. Nec melior nec maior erit sapientia cœlo. Sed hæ commentationes pietatis in hac vita incipiendæ sunt & exercendæ, quarũ initium primitiæ sunt & gestus quidã πολιτεύματος cœlestis. Etsi autẽ omniũ sunt locorum & temporũ, hoc tamen tempore peculiariter in Ecclesiasticis conuentibus contemplatio proponitur earũ rerum, quas commemorauimus, & beneficiorũ ingentium atque salutis æternæ, quæ illis rebus generi humano parta est & conciliata. Itaq; doctrinam in conuentibus publicis sedulò audiamus, eamq; sequamur & augeamus nostris meditationibus, & gratias agamus pro æterno beneficio tàm misericordi Deo. Cumq; conditi simus εἰς τὴν τῶν ἀγγέλων ὁμοτιμίαν, simus etiam ἀντίφωνοι horum in celebrando Deo, ne nos taceamus, ad quos beneficium pertinet, ipsis nostra causa Deum laudantibus & canentibus atque gaudentibus nostrum gaudium, Conditi etiam ad imaginem eius archetypi, in quo tanta est dilectio nostri, & qui est charitas, atque de affectionibus dilectionis suæ et cæterarum, quæ στοργαὶ vocantur, infudit in naturam nostram, diligamus inter nos, vt maneamus in Deo, cuius

ęus aduentum in carnem & naturam noſtram ho. tempore Eccleſia celebrat. Et quia ideò apparuit gratia, benignitas, comitas & φιλανθρωπία Dei, vt mundaret ſibi populum ζηλωτὴν καλῶν ἔργων, & Filius DEI ideò in mundum venit, & carnem noſtram aſſumpſit, vt deſtrueret opera Diaboli, naturamq; lapſam ideò inſtaurauit, vt haberet cultores idoneos, oſtendamus nos eos eſſe, in quibus beneficium Chriſti ſit efficax, & veram ad Deum & homines pietatem colamus, & vitæ ſanctitatem atq; innocentiam omni conatu præſtemus, & accipiamus lucem, quæ venit, neq; præferamus ei tenebras, vt de mundi peruerſitate Euangelium Iohannis queritur. Quam curam accendere et augere debebat ſtatus præſentium temporum, qui eſt miſerrimus. Videmus imperia labi, & pericula atq; confuſiones in omni rerum genere multiplicari, & corruentis mundi argumenta manifeſta ſunt, vt qui tàm paucis retrò annis cœpit, non multos duraturus videatur deinceps, Nouiſſima hora eſt fratres, itaq; ſua quiſq; ætate & vita vtatur ad Dei gloriam & ſalutem propriam. Talibus cõmonefactionibus qui non mouentur, eos corripiet ὀργὴ ἐκδικήσεως, neq; ad hoc genus verba vſurpanda ſunt. Quibus igitur rebus harum feriarum ocio Ec-

Eccleſia deſtinat, ijs ſcholaſtici hoc impendant, & meminerint legis diuinæ, quæ Sabbati ſanctificationem poſtulat. Qui verò ad turbandã quietem & diſciplinam publicam præſentibus feriis abutentur, et deformabunt honeſtiſſimam cõmunitatem noſtram, ij iuſtum Dei iudicium et animaduerſionem à magiſtratu debitam non effugient. Mandamus etiam vniuerſis ſubiectis Iuriſdictioni Scholaſticæ noſtræ, vt more recepto Eccleſiæ huius munus ſuum publicè ad altare offerant, & hoc modo reuerentiam ſuam aduerſus miniſterium Eccleſiaſticum demonſtrent, & erga leges & magiſtratum legitimum obedientiam.

P P. die Natali Domini noſtri Ieſu Chriſti, Anno huius 1565.

RECTOR ACADEMIÆ VVITEBERGENSIS IOHANnes Georgius Comes Solmenſis &c.

VEnit ſacra dies, nec nõ venerabile tempus,
Quo Chriſtus trepidi ſpolijs Acherontis onuſtus
Extulerat tellure caput: cùm conſcia tellus

Signa

Signa daret, magno subitò concussa fragore.
Antè quidē mœsto trepidabat murmure, & al-
Scissa sinus, Domini lugebat funus adēti: (mos
Nunc plausus testata suos salit incita motu,
Vt cum Niliacis exit gens libera ab oris,
Ad Domini vultum trepidans, imisq; repentè
Subsultans venis, præsenti numine mota est.
Primi de magno genus Israële creati
Cum iam seruitio vellent exire superbi
Regis, & ad Canaæ fatalia tendere rura,
Seruauêre diem solenni more sacrorum,
Succinctiq; viæ pariter, dapibusq; futuris
Admonuêre fores solidū, & sine partibus agnū.
Hinc pia gens, supera pariter quæ luce potitur,
Quæq; sacrum terris cœtum colit, & pia latè
Iura sonat populis, ea tot voluentibus annis
Seruauit ritum, tempusq; hoc mente reuoluit,
Quo sublata virûm manib. Patris alta propago
Hostia concideret sceleri velut agna piando,
Persoluitq; Deo grates, quòd victus amore
Ingenti natum cœlo demiserit alto
Ferre vices vltrò miserorū, & pendere pœnas,
Atq; iram lenire Patris, medioq; venire.
Ergò agite, agminibus tantis quæ nunc quo-
que cœlo,
Quæ terris celebrant tempusq; et temporis acta,
Addamur comites, eademq; ad sacra feramur.

Divi-

Diuinis acti meritis ad præmia laudum.
Quò fieri id possit, paucis aduerte, docebo.
Tu caue transuersum ne te impetus in vada pel
Cæca voluptatū, furiarūq; obruat æstu. (lat
Luxibus imbutæ mentes, actæq; furore,
Non intentè adeò diuina oracula voluunt.
Ergò Dei ardorem nullum, nec vota, precesq;
Cōcipiunt rectè: Quis enim cupido ardet amore,
Cuius non meritum, nec mentē agnouerit in se?
Si qua igitur massa est fermenti ex felle reli-
Mensib. hanc abolete pijs, et pollice dulci (cta,
Imbuite, & sanctis traducite legibus æuum.
Casta placent superis: nam festa luce madere,
Est pudor, vltricesq; astant ad crimina Diræ.
Nō igitur tantùm summi benefacta Parētis,
Quantum etiā ingentes iras perpendere fas est,
Iras, quas Genitor primo, quas deinde supremo
Tempore, cum festi gauderent ritibus agni
Iſacidæ, miris tum declarauerit ausis.
Antè quidē rubras ausus transire per vndas
Ægypti populus, reuoluto gurgitis aluêo
Vertitur in præceps, simul arma hausturaq; cruo-
Tum pelagi rubros epotauêre liquores, (rem
Purpureasq; animas excepit concolor vnda.
Post vbi supremū peragebant sacra per vr-
Dulcibus in libis Solymi, luctuq; soluto: (bem
En Solyme, mundi decus, & pulcerrima rerum

Militibus cincta est, vallisq; obsessa profundis,
Primo namq; die, quo gens Hebræa quotannis
Dulcibus indulget libis, & vescitur agno:
Continuò Solymã magno Titus agmine ad vrbẽ
Irruit, occluditq; aditus, omnesq; receptus:
Intus polluitur cognato sanguine templum,
Atq; intestino feruet Bellona tumultu,
Sic gens illa luit pœnas, luet impia pœnas
Gens etiã porrò, verum quæ spreuerit Agnum,
Quem Pater humana voluit pro labe litari
Omnibus immunem maculis, & sorde reatus.
At velut hoc tempus facti de nomine Phase
Dicitur Hebræis, quia nam transibat in omnes
Ægypti tractus per sera crepuscula noctis,
Et gelido fœtus multabat funere primos,
Isaciæ tantùm seruans pia semina gentis:
Haud aliter transit Christus per sæcula mundi
Agmina cõscribens verbo, conscriptaq; seruans
Casibus in lethi medijs, cum noxia contrà
Gens ruit in pœnas feruore oppressa Tonantis.
His moniti pœnis, mores meliore regamus
Auspicio, votisq; animum accedamus anhelis,
Fortè recensferi numero si tendimus horum,
Quos & fatali reliquorum à clade reseruat
Ipse Deus, præsensq; suo cum numine firmat,
Et quibus in foribus stant agni sanguine postes
Perfusi, certæ monumentum insigne salutis.

Quin

Quin & magnifico tàm festæ lucis honore,
Quam gens ipsa poli nobiscũ laude frequentat,
Moti animis, vitæ cursũ ingrediamur honestũ,
Nec cuiquam dictis certemus, nec malè factis:
Omnia sint operata Deo, Mens computet intus,
Lingua foris resonet diuinæ munera laudis.
Nunc etiam tempus verni sub syderis ortu
Ipse animo reuocans Abel, crudelia fratris
Ausa sui, tota superûm miserante caterua
Exponit dictis, & tristia fata recenset.
Isacus hinc sua sacra refert sub tempore verno,
Vtq; Pater certos librans iam brachia ad ictus
Suppositum ferijt nati pro cæde bidentem.
Tum canit et Pharij Moses iuga barbara regis,
Et noctem extremã qua gentem eduxit ab illo
Præuius ipse λόγος, rubriq; per æquoris vndas
Fecit iter: memorat currũsq;, et naufraga tela,
Ipsumq; in pelagi cinctum refluentibus vndis
Regem præcipiti vada conuertisse ruina.
Excipit hinc Iosuas, fissa quòd Iordanis vnda
Transierit, siccoq; gradu traiecerit amnem,
Quando tubæ sonitu Iericho concussa ruinam
Traxerit, incumbensq; viros demiserit Orco.
Quin etiam Lothus discessum narrat ab vrbe
Ipse suum, Sodomenq; absumtam sulfuris igne:
Quæ quia conueniunt sub eodem tempore gesta,
Omnibus pulcris certa argumenta ferebant

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-62-quod/start.htm?image=00000209

Chriſte tui, quì durã obiens hoc tempore mortẽ
Per nigros Erebi tractus ad regna Parentis
Tranſiſti, & fidum genus Iſraëlis alumnos
Eduxti tenebris ad Olympi florida tempe.
Hic grandæuus Adã, nec nõ pulcerrima rurſus
Eua parens noſtri generis, dulciſſima fundunt
Colloquia inter ſe, Quòd ſit mortalis adempta
Conditio, & quì ſint rediuiuæ carnis honores.
Multi præterea ſocio ſermone fruuntur,
Quadraginta illis viſi, quì ſæpè diebus
Vrbem intra Solymã ſanctis congreſſibus vti,
Et matrẽ innuptam, Chriſtiq́ inuiſere alumnos.
Complexi inter ſe noctesq́ diesq́ trahebant
Dulcibus in dictis pariter, gratesq́ ferebant.
Cœlicolũm regi, diuinaq́ facta canebant.
Non aliud tempus mundi felicius vllum
Admiranda magis vidit ſpectacula rerum,
Quàm quibus ipſe dies iterũ de morte reductus
Dulcia cum ſocijs habuit commertia Chriſtus,
Quorũ adeò meminiſſe iuuat, quia tẽpora vitæ
Pòſt obitũ ſupereſſe docent, iuſtumq́ tribunal.
Quin & moris erat, quoties hæc ſacra para-
Annua, præteriti recolentes tẽporis acta. (bant
Munificam conferre ſtipem, ſacrumq́ tueri
Doctrinæ munus, ſacræq́ operantibus aræ
Victu proſpicere, & ſortem releuare maligñ.
Hunc morem teneant, & ad Aram munera po-
nant *Addi-*

Addicti Muſis: quia nam referenda miniſtris
Gratia, qui ſtudijs cœleſtia dicta propagant,
Lucem verbi lucem mundi in caligine ſpargunt,
Lucem, quæ miſeris aditus ad limen Olympi,
Limenq́ aperit patriam, ſedeſq́ beatas.
Luce ſub hac equidẽ quæ quinquageſima ſa-
Anteibat lucẽ, qua Lex de vertice Sinæ (cram
Inſonuit, frugum primos offerre maniplos
Sunt ſoliti Patres: Populũ quo more docebant
Primùm te liquidas rediturũ in luminis auras
Nate Dei, fratrũ ex numero quos terra recõdit
Depoſitos, ceu grana imis concredita ſulcis,
Donec tempus erit, quo ſe dabit integra meſsis,
Granaq́, collectiq́ omnes in faſce manipli
Confertim ſuperi referentur in horrea cœli.
At lolium infelix, & caſſas frugibus herbas,
Vulnificoſq́ rubos, & acutis germina ſpinis,
Meſſores Erebi curua cum falce ſecabunt,
Grandibus & plauſtris cumulum conuecta ſub
vnum
Materiem flãmis tradent ſub nocte profunda.

DECANVS COLLEGII PHILOSOPHICI IN ACADEMIA VVitebergenſi, M. Albertus Lemeiger Hamburgenſis,
S. T. D.

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-62-quod/start.htm?image=00000210

QValis Iëssides superûm promissa reuoluens
Concinit hæc gratis ardua facta sonis:
Quòd nos aspiceret nostræ sub imagine formæ,
Qui sit in ætherea conditor arce Deus:
Sic lux ista monet, cuncto quòd tẽpore agendũ
Cùm damus æterno vota, precesq; Deo: (est,
Altius vt partam reuocemus mente salutem,
Et resonet festo carmine festa dies.
Vidit Iëssides Dominum de virgine natum,
Vidit et hunc natum virginis esse Deum.
Quodq; caput stygij collidet calce Draconis,
Quodq; λόγος populis adfuit ipse suis.
Ergò genus Christi geminum, dupliceq; parentem
Asserit, & fidei dat documenta suæ. (tes
Quòd satus in nostra nos aspicit ipse figura,
Qui Deus, & mundi totius author erat.
Cur igitur Christo sese opposuère Tyranni,
Atq; negant veri numen habere Dei?
Cur alij humanæ tollunt discrimina formæ,
Nec Patrum fidei congrua verba sonant?
Ergò pij opponant pia dicta furoribus illis,
Et geminæ credant stirpis habere genus.
Has tamen inter se caueas confundere dictis,
Si Christum recta vis retinere fide.
Ille igitur placido nascens nos aspicit ore,
Et noster dici gaudet, & esse Deus.

Is

Is medio venit datus inter nosq; Patremq;
Iustitiaq; tegit crimina nostra sua.
Ille & luctantes lethi iam limine in ipso
Aspicit, & pro te prælia victor init.
Hic Patris effusos ob crimina sustinet æstus,
Mellea pro trepidis soluit & ora reis.
Quid, non ille tuæ sẽ fert in imagine formæ,
Cum testa incisus sanguine membra rigat,
Cum prostratus humi vultus iacet antè paren-
Sudor et è sancta carne cruentus abit: (tis,
Cum trabe funesta palmas distenditur ambas,
Et fluit è membris hinc cruor, inde latex.
Hanc igitur formam gerit, vt dans λύτρα Parenti
Nos precio redimat sanguinis ipse sui.
Hanc gerit, vt pœnas in sese transferat vnum
Impia quas merita est vita subire tua.
Deniq; nostra refert extincta cadauera letho
Cùm premeret gelidã morte solutus humũ.
Inde sua forma nos mouit ille vicissim,
Nempè noua vita, iustitiaq; Dei.
Nam Deus est, & habet numẽ cœleste, nec ipso
Patre minor cœli possidet imperium.
Ille tuæ formæ mortis caligine pressæ
Splendorem formæ donat habere suæ.
Hãc tibi si donat, tunc quæ stabula atra colubrì
Pectora erant, fiunt lucida templa Dei.

Quis verbis igitur poterit res vincere tantas?
O quãtũ est hominis sumere membra Deũ.
Quid sumus ah miseri, si non solatia restent
Humanã formã quòd λόγος ipse gerat?
Ni tamen aspiceret forma nos tectus in illa,
Fulgorem poterat quis tolerare Dei?
Sic nos Christe tamen oculis Deus aspicis æquis,
Cùm discunt vocem pectora nostra tuam.
Tum radios lucis diuinæ accendis, & auges
Notitiam Patris, notitiamq; tui.
Ergo exercitijs opus est, atq; arte magistra,
Et conferre alijs mutua sensa iuuat.
Quare iudicio qui se submittere nostro
Gaudet, & à studijs nomen habere bonis:
Ille suum nomen fuerit si fortè professus,
Huic erit officij cura parata mei.
Tu nos Christe doce nobis incognita, tuq;
Cor Patris ostendas edite corde Patris.

PP. CL. Ian. M. D LXV.

IOHANNES MAIOR IOACHIMVS S. THEOLOGIÆ Doctor & P. C. Scholasticis in Academia Vitebergensi S. P. D.

QVOMODO tempus collocauerimus, quo operæ doctrinæ publicæ nostræ intermissæ sunt

sunt hactenus, etsi argumenta in medio sunt, professis non contemnenda, confidimus tamen nos paulò pòst ocij huius rationes reddituros eas, quibus boni & intelligentes facilè acquiescant. Obsequens autem doctissimorum collegarum nostrorum studijs, atq; hortationibus, & priuatim condiximus, & publicè ostendimus, nos in cõscribendis fastis Christianis operam posituros esse. Hoc opus dum meditor, & de modo, ordine, confirmatione, atq; elaboratione vniuersa quæro animo meo, tantam & negotij vim, et rerum molem & elaborationis difficultatem reperio, atq; prospicio, quæ conturbare etiam summum ingenium, summamq; industriam possint, & ocium minimè vulgare postulant, & ex omni genere doctrinæ, et eruditione vniuersa, singularem copiam, in quibus sunt temporum, Hebræorum & Latinorum præcipuè, annirationum, & ortus atq; occasus siderum, disquisitio & collatio, historiarum mundi & veteris Ecclesiæ atq; antiquitatis omnis perlustratio, traditionum examinatio, causarum in his latentium scrutatio, superstitionis refutatio, veritatis patefactio, maximarum rerum latinis versibus expositio.

Quantopere Virgilium nostrum contubârit operis magnitudo in susceptæ Æneide,

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-62-quod/start.htm?image=00000212

ãde, de epiſtola ipſius cognoſcitur: conſeruata enim vna ad Auguſtũ eſt, qua petenti guſtum, vt apparet, Æneidos, quam paulò antè ſcribere aggreſſus fuerat, reſpondet Poëta his verbis: De Æneâ quidem meo ſi mehercle iam dignum auribus haberẽ tuis, libenter mitterem, ſed tanta inchoata res eſt, vt penè vitio mentis tantũ opus ingreſſus mihi videar, cùm præſertim, vt ſcis, alia quoq; ſtudia ad id opus, multoq; potiora impartiar. Hoc cùm ſummus vir, qui à naturâ et doctrina ad eam rem inſtructiſsimus fuit, in eo opere ſibi accidere queratur, in cuius elaboratione tàm multa exẽpla habuit Græcorũ & Latinorũ, ad quæ reſpiceret, quid de noſtris conatibus dicemus, qui & poſt intermortuas ſemel literas hæc ſuſcipimus, et cui muſa Pieridũ loca nullius antè trita pede, peragrãda ſunt, & qui Maius opus mouco, tantò quidẽ quantò Chriſtiana hiſtoria Romana potior eſt, & religio ſuperſtitione, veritas erroribus melior eſt, et præſtantior, et vt vno verbo dicamus, quanta præſtantia humana à diuinis ſuperantur.

Apud Latinos de Romano imperio benè meritus hac in parte Ouidius eſt, qui ſolus tempora cum cauſis Latium digeſta per annum cecinit. De cuius Faſtis etſi ita ſentio vt debeo, quantò tamẽ præſtantius opus extitiſſet, ſi Maroni

roni illas res tractare collibuiſſet? Sed de Chriſtiano orbe, qui hac in parte benè mercatur, nondum extitit, & illas maximas res in ECCLESIA, veritatis cœleſtis, & ſcientiæ ſanctorum latino carmine comprehendere, cuius ingenij ſit & præſtantiæ, docti facilè æſtimare poſſint. Superioribus temporibus inter initia renaſcentium literarum, edidit aliquid conatum ſuorũ Baptiſta Mantuanus, ſed neq; virium ille, neq; ſcientiæ ſatis ad hanc rem attulit, & Poëtam hunc ſi non optimum, at ſat bonum, vt illis temporibus, ſuperſtitio implicatum tenuit. Poſtea in luce eruditionis, multi in illa gente, ingenio, & Ocio, atq; omnĩ rerum copia abundantes, omnino in hoc genere præſtare potuiſſent aliquid, niſi alijs argumentis ſeſe occupare maluiſſent, & fortaſsis nunc etiam ſunt, quibus voluntas magis, quàm facultas deſit, Etſi animaduertere licet, quos ingeniũ & facultas non defecerit eos nõ ſimiliter à veritatis ſcientia inſtructos fuiſſe, aut eſſe nunc etiam, Et contra ab hac paratos, ingenij viribus deſici ad huiuſmodi argumenti tractationẽ. Itaq; memimimus D. Philip. Melanthonẽ v. CL. Præceptorẽ noſtrũ, ὃν τὸ μνημόσυνον ἐν εὐλογίαις, magnopere inſtare opt: et doctiſs: viro et poëtæ D. Stigelio noſtro, vt faſtos ſcriberet, cũ ab viraq;

re

re esset instructissimus, quod ille cum magna spe & expectatione omnium ingressus est, & Quidiana quàm superaturus fuisset gustum edidit. Sed morte huius, hoc etiam bonum interuersum est rei literariæ & Christianæ. Ego verò iampridem Deo operas Musarum sacrauí, cuius Poëta esse studeo & laboro, in decantandis ijs quæ ipsi gloriosa sint, & hominibus lectionem salutarem suppeditent, in quo genere mediocriter spectata sunt Poëmata nostra annis iam aliquot. Etsi autem sentio nostra facultas in scribendo carmine, quàm sit exigua, & quam longè absimus ab illa antiquitatis perfectione, ad quam contendimus & respicimus animo nostro: inter eos tamen qui nostris temporibus amplissimum Poëtæ nomen merentur, mihi etiam locum aliquem concedi posse confido. Quicquid igitur à propicio Deo facultatis ad hæc studia accepimus, qualiscunq; ea, aut quantacunq; sit, in huius argumenti tractationem conuertere deinceps constitui, Et fretus Deo & collegarum nostrorum ope atque auxilio, rem max. & non felicissimè tentatam à multis, aggrediar, & cum antiquitate, & nostris hominibus certamen certabo pulcherrimum, cum palma sit in medio posita omnibus, qui artem tractant musicam, operam daturus, vt si

vt si non melius quàm veteres illi, at meliora vt canam. Quæ conscripsero, publicè dictabo auditoribus nostris: Deum oro, vt nobis adsit & labia nostra aperiat, vt annunciemus laudem ipsius. Sed quando sim incepturus has operas paulò pòst significabimus. P P. Calend. Ian. Anno Christi 1565.

RECTOR ACADEMIÆ VITEBERGENSIS IOHANNES Georgius Comes Solmensis, &c.

ET bonis parentibus, & honesto loco, & in optimè constituta atq; morata patria nasci atq; educari præclarum est ad virtutem & felicitatem huius vitæ εὐφόδιον. Semina enim virtutum à parentibus propagantur, quæ etsi multum natura valent: tamen nisi arte, ratione atq; disciplina domestica parentum, & publica patriæ à teneris excitentur, foueantur atq; confirmentur, vel elanguescunt, atq; obtorpescunt destituta cultura & quasi pabulo necessariæ nutricationis, vel certè ad eam non adolescunt maturitatem, cuius est ferre, reddereq; fructus vtiles communi societati. Magna etiam vis est exemplorum, ad quæ mentes teneræ sese inflectunt & accõmodant velut plantulæ

tulæ ad circumdefixos palos. Non tamen in his vera consistit beatitudo, quæ continetur & absoluitur æternis bonis, & in sola vera Ecclesia communicatur credentibus ministerio verbi & Sacramentorum. Quare longè excellentius est bonum, nasci in Ecclesia vera, & ab eadem per Baptismum ita regenerari agnitione & fiducia filij Dei, vt inserti ipsi, veluti surculi palmiti, et effecti vera organa inhabitantis Spiritus sancti, trahamus, hauriamusq; inde initia vitæ æternæ. Quibus ergò hæc bona vniuersa simul contingunt, hi demum veram & nullis vnquam seculis interituram obtinet beatitudinem, qua fulgebunt in conspectu cœlestis Ecclesiæ coram filio Dei velut stellæ. Talem consecutum esse beatitudinem iudicamus FRANCISCVM OLDEHORST iuuenem excellentem egregijs ingenij ac naturæ ornamentis, & alijs longè præstantioribus Spiritus sancti dotibus, quæ sese cum spe non dubia magnorum Ecclesiæ commodorum in eo tàm multis annis exeruèrunt. Hic honestissimis Parentibus natus, & magna cura educatus in vrbe & legibus grauissimis atque disciplina, & Ecclesijs optimè constitutis, Florentissima HAMBVRGA, cùm adeptas à natura vires ingenij magno studio expolijsset, atq; instruxisset ad vsum Ecclesiæ

siæ vel Reipublicæ et vera ardentiq; inuocatione DEI, in agnitione & fiducia filij DEI, confessione doctrinæ cœlestis ac morum sancta gubernatione se ostendisset esse templum Spiritus sancti: heri euocatus est ex hac vita ad societatem Ecclesiæ cœlestis, vbi nunc cum cœtu beatorum coram intuetur & alloquitur filium Dei, & inchoatam in hac vita, ac sæpè repetitam ante mortem gratiarum actionem pertexit sinceriore ac perfectiore fide, pro beneficio τῆς φανερωθέντος, quod omnium operum diuinorum summum, superat captum omnem Angelorum & hominum, & initium est restitutionis atq; instaurationis generis humani. Etsi autem hanc migrationem, quæ in possessionem æternorum bonorum perpetuam et immotam eum collocauit, gratulari illi debebamus: tamen Ecclesiæ adimi præsidia talium ingeniorum hoc tristissimo & periculosissimo senescentis mundi seculo, verè doleamus, & de conditione Ecclesiæ, quæ velut altera ac melior patria nos ex vtero materno exceptos regeneratæ ab omni labe insiti peccati, expurgatos, et dotibus exornat, profectis ex diuinitate, quibus Deo similes efficimur. De illius ergò miserrima & afflictissima conditione cogitantes oremus filium Dei

DEI, vt excitet & seruet aliqua excellentia ingenia quæ labentibus rebus succurrent et opitulentur priusquã ruina, quæ impendet, obruat in his terris lucem restitutæ doctrinæ. Hæc autem funus huic FRANCISCO hodie hora tertia, & efferetur ex ædibus viri clarissimi M. HENRICI MOLLERI, cui fuit affinitate iunctus. Hortamur itaq; scholasticos, vt frequentes, & quidem cum votis ac precibus pijs pro Ecclesiæ incolumitate funus prosequantur. Bene & feliciter valete. Datæ 2. Ianuarij Anno 1565.

RECTOR ACADEMIÆ VVITEBERGENSIS IOHANnes Georgius Comes Solmensis &c.

GRAVITER nos afficit singulariter dilecti nostri, & in hac Academia præcipui CASPARIS TEVCERI, Medici, & viri clarissimi ægritudo & luctus, cui heri mortua filiola est ÆCATHERINE inter liberos ipsius natu minima, quæ post vnius anni ætatem, nondũ compleuerat mensem quintum. Iam verò alter annus agitur, qui est 4. Id. Febr. prox: Id est, intra dies triginta quinq; complebitur, quando

quando huius nominis filiam extulit quinquennem, ad quem dolorem suum consolandum, cum diuino beneficio denuo augeretur familia, hanc alteram esse CATHERINAM voluit, quæ demortuæ quasi sufficeretur, quam cum & ipsam iam amittat, & pristinus dolor renouatur, & accedente nouo hoc, duplicatur ægritudo patri intelligenti, & honesti sinæ familiæ. Pertulit autem miserorum iam mensium morbum hæc puella, quo corpus tenellum fractum atq; exhaustum, cùm dentitionis commotio accederet, sustinere eam nõ potuit, & natura succumbente vita extincta est, vt multa tristia, & nõ paucis diebus, in hac sobole sua viderint optimi parentes, & per se sunt in hac ætate morbi spectaculum miserabile, quæ & alienam culpam luit, & de rebus suis communicare non potest. Itaq; veterum aliqui versus Homericos, quibus significatur nihil esse homine, οἰζυρώτερον, πάντων ὅσα τε γαῖαν ἐπιπνεῖ τε καὶ ἕρπει, hos igitur aliqui de modo nato infante interpretati sunt, Nam etsi totius vitæ miseriæ magnæ sunt propter quas & non desinit secundum Euenii versum, esse λύπη πᾶσι πατρὶ πάντα χρόνον, huius tamen ætatis, & infantiæ vniuersæ miseriæ, sunt præ cæteris euidentes & miserabiles. Affectio autem in naturam humanam

ſita, quæ φιλοσοφία eſt, pars eſt maximè illuſtris imaginis diuinæ & in pijs & ſapientibus euidens & aſpectabilis, qui & ſoli moderari hanc ita ſciunt, vt ad Deum & homines culpa careat. Nos verò & ſcholaſticos & cæteros noſtros commonefacimus eorum, quæ in funere priori familiæ huius propoſita extant paulò, & in præſentia mandamus vniuerſis, vt hodie hora duodecima ante ædes D. Peuceri ad huius alterius funeris deductionem officiosè conueniant. Et quanquam pietas & caritas Chriſtiana tale officium debet atq; præſtat ſua ſponte communiter omnibus, ad hoc tamen huic mortuo luculentius præſtandum, excitari nos patiamur ſummi viri PHILIPPI MELANTHONIS memoria, & Peuceri noſtri eximia virtute, ſapientia, doctrina, & erga hanc Academiam meritis poſt Philippum ſpectatiſſimis, cui his de cauſis ſtudia ſua omnes debent, & ſummorum etiam ordinum homines præſtant, qui eum augent, ornant & diligunt, Omnes autem docti colunt & venerantur, In quibus eorum officia apparere par eſt, qui his bonis & beneficijs ipſius præ cæteris fruuntur. Etſi autem in morte noſtrorum ex humanis in præſentia hæc eſt conſolatio, quod eripiuntur periculis horum temporum, diuina autem

vnica & firmiſſima ἡ μακαρία διάγωγὴ ἐν τῷ μέλλοντι αἰῶνι ad quam conditi ſumus, & hinc euocati colligimur, Sicut tamen in tota vita iucundiſſima res eſt amicorum præſentia, fides, & ſtudium verum, ita talibus temporibus bonorum officia beneuolentiæ atq; ſtudij debiti teſtificationem publicam complectuntur erga labores eorum, qui benemerentur de Republica, & gratiæ pars ſunt minimè contemtibilis, & dolorem intelligentibus alleuant, quod priuatum ipſorum à pluribus communiter ferri vident, & hoc modo veluti ſuſtentari. Gratum verò eſt intueri beneuolentium hominum oculos quocunq; tempore, ſed aduerſis & luctuoſis imprimis. Boni igitur quid ipſos deceat intelligunt facilè, & vt ſpes eſt ſtudiosè præſtabunt. P. P. Nonis Ianuarij, Anno 1565.

RECTOR ACADEMIÆ VVITEBERGENSIS IOHANNES Georgius Comes Solmenſis &c.

NOTA ſunt publicè conſilia rei ſcholaſticæ noſtræ in conſtituendo et conſeruando valetudinario, quo vtantur pauperes ſcholaſtici, cum oppidana ciues ſuos vix ſuſtentare poſſint,

nedum externos, itaq; ante multos annos Academia de suo demum emit ad hunc vsum, & ante oculos est, & in promptu vnicuiq;, qui voluerit, de benignitate cognoscere, quæ in hac præstatur indigentibus: Cumq; sumptibus in curandis ægrotis exhauriretur, quod ante viginti annos decretum fuit vt fieret, & fieri omnino debuisset, hoc ante biennium primum vsurpare cœpit, vt à singulis subiectis iurisdictioni scholasticæ eleemosynas ad pauperum & ægrotorum curam colligeret. Hoc omnibus pijs atq; intelligentibus approbantibus factum esse, demonstrauit & facilitas & benignitas in contribuendo, quam mter hæc initia à suis experta est res scholastica nostra. Sed constantia vestra hac in parte opus est rebus pauperum nostrorum, & ne defatigemini in his benefaciendo, præsertim augescentibus periculis & temporum difficultatibus. Cùm igitur his diebus pro eo, vt constitutum est, etiam in nostro hoc magistratu circummittendi sint, qui hanc eleemosynam colligant, pro nostro officio hortamur vniuersos, vt, quòd pietatem Christianam, & humanitatem ipsam, atq; professionem, & ordinem nostrum decere intelligunt, id præstent. Cogitemus rem scholasticam tantum à se contribuisse, quantum multis annis de priuatorum

rum largitionibus colligi non potest, quæ vb posßit curare indigentes pauperes nostros, à singulis omnino adiuuanda est, & sequendum exemplum huius. Neq; enim publicas res magis, quàm priuatum vnunquemq; pietas hæc beneficentiæ & eleemosynarum decet, et à priuatis, quod publicè suppetat, existere oportet. Hæc igitur humana sunt. Christus autem postulat à nobis, vt misericordes simus, sicut pater noster misericors est, vt & ab archetypo diuino, ad cuius imaginem cõditi sumus, alieni sint, ἄσοργοι & ἀνελεήμονες, & à dilectione Dei, sicut scriptum est, qui videt fratrem egentem, & claudit cor suum, in eo non est charitas Dei. Et non tantùm, qui odit fratrem, homicida est, sed etiam, qui ope & auxilio, quod ferre potest, hunc destituit: talis enim quantum in ipso est, verè interficit egentem & destitutum, & si alij idem facerent, conseruari vita inopis rerum omnium non posset. Scriptum autem & hoc est, qui non diligit, eum manere in morte. Hæc dilectio ostendit se beneficentia, & studio huius, erga omnes homines, inprimis erga pauperes: vnde & beneficia, quæ in hos conferuntur suauissimis nominibus ἀγαπαὶ & ἐλεημοσυναι vocantur. Itaq; & qui diligit, & vt Salomo docet, ὁ τιμῶν τὸν θεὸν, ἐλεᾷ πτωχόν, &

 hoc

hoc modo pietas, in consideratione miseriæ communis, & voluntatis & mandati, atq; etiam archetypi diuini, Deum celebrat beneficentia sua, erga omnes, quibus potest benefacere, calamitosos præcipuè, quod est quasi sacrificium quoddam laudis, καὶ ὁ ποιῶν ἐλεημοσύνην ὡς θυσιάζων αἰνέσεως. Hæc ἐλεημοσύνη εἰς τὸν αἰῶνα διαμένει, & huius vitæ, & alterius præmia habet. Quare non tantùm ῥητὰ scripturæ infinita, sed Christus etiam ipse beatos pronunciat qui hanc præstent, & quod in pauperes impendatur ἀνταποδοθήσεσθαι ἐν τῇ ἀναστάσει τῶν δικαίων, Lucæ 14. Quantum impendatur, vel potius, quæ profusiones fiant in res, vt leuissimè dicamus, minimè necessarias, etiam ab ijs, qui se non abundare fatentur, ante oculos est, & nimis quidem, vt si non necessarijs sumptibus subtrahatur aliquid, copiosi qui sunt benignissimi esse in contribuendo possint, tenuibus autem quod dent, deesse nequeat. Sed hæc pijs dicuntur, et admittentibus commonefactiones pietatis. Profanos & barbaros vlciscentur mores ipsorum, cum quibus & nihil negotij nobis esse volumus, & si qui tales sunt in nostro cœtu, indigni sunt honestissimi ordinis communitate, & digni odio Dei & hominum, in quo versentur. P. P. XIX. Februarij, Anno 1565. Rector

RECTOR ET CONSILIVM PVBLICVM ACADEMIÆ VVitebergensis Iohannes Georgius Comes Solmensis &c.

FILIVS DEI Verbum Patris Iesus Christus Deus verus de cœlo descendit, & humanam naturam assumsit, vt fieret σωτὴρ generis nostri, & destrueret opera diaboli: quod perfecit obedientia sua et cruciatibus, quos perpessus est grauissimos, & morte crucis, q̃ obijt, & reditu in vitam, qua victorem se mortis & peccati, per quod mors ingressa est in mundum, declarauit, & victor in cœlum ascendit, vt hoc iter in cœlum credentibus aperiret. Nemo enim ascendit nisi Filius hominis, qui descendit. Ita igitur verbum caro factum est, & caro de carne nostra, sanguis de sanguine nostro, id est, verus homo: Et quam semel cum imagine sua, quæ est genus humanum, coniunctionem inijt, eam in æternum retinet & conseruat indiremtam, neq; naturam humanam vuquam exuit aut deponit, quam & propterea in cœlum intulit, & ad dextram Patris collocauit, vbi sedet caro nostra, verus homo, sed glorificatus diuinitus, vt imbecillitatem cõditionis nostræ omnem exuerit, conseruata tamen integritate atq; pro-

prietate huius vniuersa. Sicut enim diuina ita etiam humana natura in Christo est integerrima, & vtraq; in hoc inest ἀτρέπτως καὶ ἀσύγχύτως, vt pia & erudita antiquitas locuta est. Hæ verò quantæ res sunt? & quantam dignitatem constituunt naturæ humanæ? Quæ cum odio & fraude diaboli in miserias sit coniecta miserrimas, ita tamen omnia opera DEI cætera exuperat, vt nulla creatura sit hac præstantior, vel saltem ornatior. Scriptum enim diserte est, Ad imaginẽ Dei esse hominẽ conditum, quale nihil legitur de vlla creatura alia, ne de Angelis quidẽ, quorum consuetudine & quasi familiaritate vsi sunt primi homines, vt essent ὁμοδίαιτοι ἀγγέλων, atq; ἀρχὴν etiam κατὰ τὴν τῶν ἀγγέλων haberent, Sicut scribitur, & nunc misterio vtitur eorundem genus humanum: Cætera enim omnia hominis causa condita esse constat. Etsi autẽ per se est eximia hæc vel dignitas vel præstantia in homine, quod imago diuina est, quæ multa continet inexplicabilia, & omnino peculiare mysteriũ, quod in altera vita aperietur: maius tamen ornamentum est, quod filius Dei hanc imaginem diuinitatis assumit atq; induit, Et haud scio an hoc etiam maius & fit & pronunciari debeat, quod assumtam hanc naturam in æter-

æterñ retinet et non deponit, quam videbunt in filio Dei venicnte ad iudicium extremum etiam impij, pij autem in omnem æternitatem, & æterno cum gaudio intuebuntur id corpus, quod mortem & cruciatus & vulnera pro nobis pertulit, & immortalitatem corpori nostro recuperauit. Hæc de fundamentis religionis nostræ Christianæ commemoramus, & consolationis & commonefactionis communis causa, in summa perturbatione nostra, ob tristissimum euentum cædis eius, quæ hac nocte à nostris & inter nostros patrata est. Neq; enim tantùm parcere, tàm in nobis, quàm in alijs, debemus ei carni, quam ita ornauit Filius Dei, & quam ipse induit, atq; gestat: Sed propter hunc & salutem propriam nostram, honorificentissimè eam habere, & propter coniunctionem hanc filij Dei cum genere nostro, mutua caritate inter nos complecti, vt simus vnũ in ipso, et repugnare odijs & iracundiæ, ex quibus cædes existunt. Nam qui eo vsq; se præbet Diabolo, vt sanguinem etiam fundat hominis, is non tantùm obliuiscitur horum omniũ, sed furore diabolico impetit & imaginem Dei & filium Dei ipsum, qui carnem & sanguinem humanum, atq; ita hanc imaginem sui nostram, habet & gestat: vt hominis per iram & odium & in-

concessa interfectio multò tetrius factum sit, quàm verbis dici possit. Neq; in vllo alio genere tam sunt diræ & tristes ἐριννυες quæ exagitant facinorosos, quàm in cædibus. Et hic est character naturæ diabolicæ, quod sit homicida: Interficit enim vel mendacijs idolatriæ & falsæ doctrinæ, quæ animæ quædam cædes est, vel corporis laceratione, vt ad homicidij notam recidat totus character huius. Qua de causa sapientia & iusticia diuina seuerissimas pœnas homicidis proponit. Multi verò de occultis causis, & sicut Hebræi loquuntur, à facie Domini traditi in tales miserias incidunt. Plerunq; tamen & contumaciam aduersus commonefactiones salutares, & magistratum legitimum, vitam etiam impuram, & voluptates atq; ingurgitationes beluinas, tales euentus sequuntur. Publicè autem notum est, quàm grauiter feramus barbaras digladiationes iuuentutis petulantis & ferocis, contra quas quàm sæpe & carceres vsurpamus, & relegationes publicas & priuatas: Quibus, qui non mouentur, neq; diuinis & humanis commonefactionibus alijs, ij deinceps carnificem saltẽ, vt plane loquamur, metuere discant, Et si nõ possumus sine ingenti dolore hæc proponere. Quæ verò calamitas & interfectum scholasticum &

& cædis autorem corripuit, ea ne cogitemus hos miseros duos, ex omni numero nostro, esse dignissimos: cùm de veriusq; vita ante hoc tempus non tantùm inculpatè, sed cum laude etiam acta, multorum testimonia audiamus, Sed cogitemus quod Christus cõcionatur, de ijs, quos ruina oppressérat Siloanæ turris, & quorum sanguinem Pilatus cum sacrificijs miscuerat, Nisi pœnitentiam egerimus futurum vt in talia vel tetriora etiam mala incidamus: Quod DEVS *benignè auertat, quem oramus per Christum, vt misericordia sua, quæ opplet orbem terrarum, nos vniuersos complectatur. De his igitur nunc concionentur nobis hi duo, ex quibus alter miserrimè mortuus est, alter vitam viuit morte grauiorem. Quod tamen persona Magistratus nostri flagitat N. N. N. qui hac nocte in via publica cædem perpetrauit, in cõmunitate scholastica nostra deinceps ferre non possumus neque debemus. Itaque priuilegia ei nostra, & omnem respectum nostrum renunciamus, neq; inter scholasticos Academiæ huius amplius eum habemus aut à nostratibus vllis haberi aut censeri volumus, sed ex communitate & re scholastica nostra eijcimus, atq; in perpetuum excludimus, & exclusum esse publicè significamus. Mandamus etiam seuerè, ne inqui-*

inquisitionem politici Magistratus quisquam impediat aut fallat. Qui fecerit, eum periurum in præsentia declaramus, & similem exclusionis pœnam, vbi facinoris huius conuictus fuerit, iam ei denunciamus, quisquis fuerit. P. P. XII. Calend. Februarij. Anno 1565.

RECTOR ACADEMIÆ VVITEBERGENSIS IOHANNES Georgius Comes Solmensis, &c.

QVOTIES orphanorum mœsticiam commiseratione moti, quemadmodum debemus, à Deo leniri petimus, toties iubet nos cogitare pietas & de communi orbitate Ecclesiæ, quam res ostendit in genere humano semper horrendis modis lacerari, cum tyrannorum hypocritarumq; sæuicia, tum petulantium ingeniorum perniciosa sophistica. Hodiernus autem dies, quo deductionis funebris supremum ac verè luctuosum officium præstari volumus viro & doctrina ac eruditione egregiè instructo, & nunquam non donec nobiscum vixit officioso, præcipuisq; à collegio Philosophico in hac Academia honoribus atque ornamentis affecto, M. MARTINO SIMONI Brandeburgensi, hesterna nocte rebus humanis exemto:

exemto, cuius orphanorum calamitate grauiter affici nos verè testamur. Hic igitur ipse dies reuocans nobis in memoriam Reuerendi beatæ recordationis D. D. MARTINI LVTHERI exuuiarum (quas & fuisse & rursus futuras esse Spiritus Sancti tabernaculum minimè dubitamus) humationem ac sepulturam, non sine tristi renouatione vulneris acerbissimi, quod nondum coaluisse penitus in piorum pectoribus constat, peculiariter admonet cœtus discentium de orbitate huius Academiæ nostræ, quam tot annos post diuinitus hinc abductos, inq; cœlestem scolam translatos charissimos ac optimè meritos præceptores, imò parentes nostros, ipsum scilicet, de quo loquimur, LVTHERVM, & sanctæ memoriæ D. PHILIPPVM MELANTHONEM, negari non potest fuisse & esse similimam orphanis præstanti ac fideli patre salutariq; gubernatore ante tempus infœliciter orbatis. Sed in hac ipsa cogitatione, sicut & nostra & aliorum piorum causa meritò ingemiscimus, angimur, dolemus, ita multò magis par est excuscitari nostros animos ad considerationem magnitudinis iræ Dei, quam & præsentis temporis multiplicium calamitatum sensus, & appropinquantium cladium conspectus, impendentiumq; adhuc

adhuc sæuiorum tempestatum metus testantur horribiliter exarsisse aduersus ingentia nostra peccata, sed præcipuè aduersus cæcitatem securitatem, stuporem ἀναλγησίαν & amentem profanitatem plurimorum, qui nec publica Ecclesiæ omniumq; piorum singulari mœstitie, nec illo, de quo diximus, conspectu sensuq; tam communium, quàm priuatarum miseriarum, nec propter ruinas imperiorum, morbos ἐπιδημίους, vastationesq; ex furiosis fatalium bellorum tumultibus secuturas instantium atrocissimorum & innumerabilium periculorum metu, verè afficiuntur, ac ita mouentur, vt deposita tandem abiectaq; morum feritate, vnà cùm cyclopico doctrinæ disciplinæq; salutaris contemptu, desinant ruere quo bestialis cupiditas peruersiq; animorum abripiunt impetus, ac vt moniti cum dulcissima voce ministerij Euangelici, tum terribilius tristissimarum pœnarũ exemplis flecti se patiantur ad seriò agendã pœnitentiam, veraq; animorum pietate & religiosarum precũ ad præpotentem ac misericordem Deum assiduitate, modestiaq;, et sancta morum gubernatione, virtutũq; necessariarum ac honestæ disciplinæ cultu studeant impetrare mitigationem & malorum præsentiũ & exitiorum atrocissimè minitantiũ atq; ceruicibus nostris imminentiũ. Quorum videntur esse tanq; præcursores ac πρόδρομοι quidam tot subiti tamq; frequentes interitus, adeoq; crebra, & hactenus per hanc hiberni semestris partẽ ferè continuata (sine vlla tamen contagij suspicione) cùm in agmine scholastico, tùm in ciuium huius oppidi communitate funera. De hac igitur tàm necessaria tantiq; momenti commonefactione sit iuuioribus in conspectu sententia Siracidæ, quæ vetat emendationem seu conuersionem ad Deum differri, quia subitò ventura sit ira, & quia nemo prospicere possit articulum temporis, quo moriturus est: Quod quidem temporis momentum, etsi vult nobis Deus esse ignotum, vt tantò magis studeamus esse parati ad hoc iter, quo in agnitione, inuocatione, fiduciaq; Mediatoris ad societatem æternæ vitæ et cum Deo lætitiæ discedendum est: tamen certum est pios, quò meditatione cœlestium promissionum & imploratione auxilij diuini assiduè sua pectora excitant ad veris gemitibus expetendam, continuisq; pœnitentiæ exercitijs sese præparant ad aspiciendam lucem illius secuturæ Academiæ, in qua claro conspectu diuinitatis beati sine fine fruentur, ne subita quidem ac improuisa morte ad perniciem abripi posse, cum tamen impijs, qui ante pœnitentiam opprimuntur, hæc afferat initium exitij sempiterni, iuxta Psalmi

uersum, Mors impiorum pessima, vt in Proverbijs legitur, in morte hominis impij perire spem. Audimus autem M. Martinum nostrum, quem per annos plures multò quàm vigesimum rectè didicisse docendoq; fideliter communicare potuisse alijs in hac Academia incorruptam Euangelij doctrinam multi testantur, in hoc postremo morbo signa fuæ pietatis illustria ostendisse, cum recitatione dulcissimarum scripturæ sacræ sententiarum, & sæpè repetitis ad filium Dei, victorem peccati, mortis & inferorum, æternæq; salutis donatorem, precationibus ita se confirmaret, vt appareret diuina consolatione cor ipsius salutariter erectum esse, nec excludendum esse ipsum ex eorum numero, de quibus dicitur: Beati mortui, qui in Domino moriuntur. Quare & ipsius M. Martini Simonis diminitus hinc euocati causa, & ad demonstrandum dolorem publicum de sobolis ipsius orbitate, subiectos iurisdictioni Academiæ nostræ hortamur, vt hodie frequentes adsint in deductione funeris hora XII. efferendi ex ædilibus mortui sitis ad aggerem in aditu vici qui à cupro nomen habet, & cum tempus nos commonefaciat de communi omnium piorum luctu ac dolore, quem voce ac scriptis Lutheri repurgatæ Ecclesiæ omnes ante annos XIX. coperunt acer-

acerbissimum ex huius reuerendi sui patris obitu, vt cogitantes de periculis priuatis & publicis in prosequendo funere singuli ardentibus votis petant à Filio Dei semper inter nos æternum Ecclesiam colligi, nosq; & in huius fugacis vitæ curriculo, et in agone mortis clementer ab ipso protegi salutariterq; gubernari, quemadmodum dixit, Nemo rapiet oues meas ex manibus meis. 22. Febr. Anno 1565.

RECTOR ACADEMIÆ VITEBERGENSIS IOHANNES Georgius Comes Solmensis, &c.

EXIMIVM θος coniugalis affectionis expressum est in votis piorum coniugum apud Latinum Poëtam, qui cõsentientibus animis hoc orant, ne vnus alterius mortem videat:

Et quoniam concordes egimus annos,
Auferat hora duos eadem, nec coniugis vnquã,
Busta meæ videam, neu sim tumulandus ab illa.

Sicut autem vna est de maximis miserijs huius vitæ, coniuges pios & inter se amantes morte diuelli: Ita in rebus humanis inter summa bona est, & maxima fœlicitas, in vero cultu DEI, *& honestæ vitæ consuetudine tales consenescere & in coniugio pio, vita (vt scriptura loquitur)*

exaturari. Huius fœlicitatis compos facta est ornatissima domus domini MELCHIORIS FENDII Medicinæ Doctoris, cuius pietas, virtus & doctrina ornamentum fuit Academiæ nostræ eximium, qui in coniugio ita consenuit, vt ad annum ætatis peruenerit fermè octogesimum: Cumq; eum ante menses duos communi luctu extulerimus, iam tertio vertente secuta est eum honestissima vxor, matrona optima, ANNA FENDIA, quæ cum marito suo vixit annos fermè quadraginta, & materfamilias fuit timens Dominum, quæ manum suam aperuit inopi, & palmas suas extendit pauperi, & considerauit semitas domus suæ, & panem otiosa non comedit, & fide, diligentia, labore, atque parsimonia sua κτῆμα ἐς ἀεὶ mariti adiuuit, & rem familiarem communem his rebus ita auxit & conseruauit, vt benedicente Domino ea fieret, quæ non tantum suis ad vitam honestam degendam satis esset, Sed vnde externis etiam benefieret, ordini in primis scholastico, erga quem hæc familia semper benefica fuit, & vt viua erga præsentes fuit, ita mortua ad posteritatem beneficentissima est. Clariss: enim vir D. FENDIVS noster testamento facto pecuniam constituit, de cuius fructibus in studijs literarum alatur idonco ingenio vnus, & eleemosynæ augeantur scholasticorum pauperum. Hæc pietas memoriam & celebritatem huic domui pariet, & posteros atq; propinquitatem huius superstitibus commendat, et cõmendabit deinceps omni tempore. Huius domus mater familias, nudiustertius in confessione religiosa sanctissimæ fidei nostræ mortua est, & sæpè repetiuit Simeonis Canticũ vnà cum multis salutaribus sententijs ex Psalmis, cum superstes fuisset marito menses duos & dies nõ multos. Sepelietur autem hodie hora XII. Itaq; scholasticos & cæteros nostros hortamur, vt officiosa deductione pij funeris debitam affectionem erga familiam benè de hac Academia & ordine scholastico meritam, declarent.

Proposita VII. Calend. Februarij
Anno 1565.

RECTOR ACADEMIÆ
VITEBERGENSIS IOHANNES
Georgius Comes Solmensis, &c.

MVLTA bona ingenia his non multis mensibus Magistratus nostri ex scholasticis Academicæ Communitatis huius, intra oppidum nobiscum & extra hoc alijs in locis

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-62-quod/start.htm?image=00000225

degentia, amissimus, quo & catarrhi ἐπιδημιοι φθοες, & febres hecticæ ac putridæ, & morbi alij quasi familiares quidam huic ordini absistere in pleno cursu studiorum suorum possent, ad quorum fructus ferendos ac suppeditandos Reipub: & Ecclesiæ Christi, vel iam maturuerunt, vel certam spem fecerant intelligentibus, quod paulò pòst ad frugem essent perventura in Ciuilibus & Ecclesiasticis muneribus laudabiliter gerendis. Horum numerum auget iam funus Iuuenis honesti & eruditi NICOLAI VVITTICHI CVRIENSIS ex Nariscis, qui tabifico morbo paulatim consumptus heri mortuus est, cum expectationem de se commouisset minimè vulgarem, & is esse videretur, qui & rectè summorum bonorum testimonium in studijs bonarum literarum atq; artium petiturus videretur, & bis iudicaretur minimè indignus. Talium hominum immatura morte quid periculi afferatur Reipub: considerandum, cum non in præsentia tantum calamitosa res sit rebus communibus, sed ad posteritatem etiam, & ad hanc quidem multò magis. Lues pestilentium & mortiferarum contagionum, quæ ad Rhenum maximè versus fontes huius, horribiliter grassatur, non tam morte ipsa formidabilis est & exitiosa Reipub: quàm

quod & senes quidem plerosq;, sed præcipuè constantis ætatis homines ἀνηρόντας auferre dicetur, quorum consilio & opera Reipub: in præsens & ad posteritatem maximè opus est. Iuuenes & iuuenes, & instructi à doctrina ad operandum natandumq; Ecclesiæ & Reipub: è medio tollentur, nã vulgaria damna dantur vtrique, & posteritatis pericula augescunt, quam absq; hoc nõ beatissimam quod relicturi simus, de nimis multis argumentis coniecturam facere licet. Sicut autem secundum Poëtæ versum in vita hominis:

Optima quæq; dies miseris mortalibus æui:
Prima fugit.

Ita in societate ciuili, quorũ maximus vsus est, aut de quibus spes est indubitata futuri vsus præclari, hi iam abripi hinc morte solent, vt ex ijs, qui relinquuntur, sint, secundũ Verbũ sapientis Græci, plures mali. Et hoc cùm fit, ante fores sunt mutationes tristes & calamitosæ. Oramus igitur Filiũ Dei, vt in maximis periculis horũ temporum, & Ecclesiam suam, cuius præcipua pars sunt piæ scholæ, & hospitia huius, quæ sunt honestæ Respub. benignè custodiat & conseruet, ad gloriosam ipsi veritatis propagationem, & communem salutem generis humani, quod se diligere dilectione summa & infi-

vita declarauit. Hortamur autem scholasticos, vt ad ceremonias funeris conueniant ante ædes honesti & honorati viri Scribæ huius ciuitatis publici in platea consulari, è quibus efferetur hodie hora 12. P. P. 6. Calend. Februarij, Anno 1565.

RECTOR ACADEMIÆ VVITEBERGENSIS IOHANNES Georgius Comes Solmensis, &c.

DONVM Dei in Ecclesia eximium sunt fœcunditas & liberi, vt genus humanum propagetur, ex quo æternum cœtum sibi colligat filius Dei: Cui rei & coniugium diuinitus institutum est, neq; alia res pijs coniugibus τῆς χαρᾶς ἐν κυρίῳ, id est, religiosi gaudij, causam à coniugio maiorem afferre potest, quàm quod in timore Domini educant eos, qui augeant numerum viuentium cum Deo & celebrantium eum in omni æternitate. Ad homines autem & columnæ familiarum sunt liberi, & hæredes gratissimi ijs, qui rem habent familiarem: Tenuioribus autem sæpè propter liberos victum Deus suppeditat benignius. Omnibus verò pijs (quod genus minimè est ἄσοφον) in quacunq; fortuna δῶρεμα sunt iucundis-

cundissimum, & spectaculum per se suauissimum, etiamsi commoda habet coniuncta multiplicia, ad quæ accedit vitæ æternæ de his expectatio, quo voluptas pietatis, quæ ex liberis percipi potest vniuersa completur & absoluitur. Et inseuit Deus in naturam φιλοσοφίαν, vt nexu amoris peculiaris & mirifici inter se colligentur liberi & parentes: Sicut est in versu Græci Theologi: qui hoc etiam modo in nobis exemplum diuinæ imaginis, ad quam conditi sumus, atq; eius caritatis, qua nos diligit, repræsentare voluit, & quod non sit Deus ἄσοφον. Cuius igitur domui hoc modo benedicitur, is habet gaudiũ, quod gaudeat in Domino, & ad homines etiam non mediocre, pro quo benignitati diuinæ gratias agat. Sicut autem in alijs rebus omnibus par est pietatem Christianam Deo gratias agere atq; confiteri cùm bona promit & largitur, Et cum ea repetit & quasi condit, rursus non est ferendum grauiter: Ita in hac etiam parte cum ex liberis, quibus auget familias nostras, omnes aut aliquot, paruulos aut grandes, ad se euocat, patienter acquiescendum voluntati ipsius, qui in morte tàm nostræ quàm nostrorum obedientiam debemus Deo patri nostro eam, quàm à nostris liberis nobis postulamus. Et cùm filius

DEI sese pro nobis morti tradiderit, nostras etiam & nostrorum res & vitam ipsi non grauatim reddere debemus, atq; liberos in primis non impatiente animo concedere ei, qui dedit, & esse gignuntur, & qui, quid nobis & nostris sit optimum & maximè salutare, solus nouit, neq; fraudem aduersus nos vsurpat. Caro tamen & sanguis cùm sine tristitia suos sepelire non possit, nimirum hoc videndum, vt λύπη sit ἐις θεὸν, quæ sola in Ecclesia locum habet & salutaris est, cum mundi tristitia exitiosa sit, quæ, vt Apostolus loquitur, κατεργάζεται θάνατον. Hæc ex doctrina Ecclesiæ repetenda putauimus in significatione funeris, quo hodie efferet infantulã filiã ELISABETHAM honestus & doctus vir PHILIPPVS ORTEL VVitebergensis, domini VITI VVINSHEMII medicinæ Doctoris eximij et Professoris publici viri clarissimi filius, Quæ res in magnum dolorem patrem conijcit, qui hunc primum experitur, Neq; minor est aui dolor. Itaq; hortamur scholasticos, vt funus veriusq; reipublicæ, frequentius deducant, Aui inprimis, cum ante oculos sint præstantissima viri merita erga hanc Academiam, & communia literarum studia, qui cum senio & laboribus conficiatur, ita tamen consenescit, vt non desinat benemereri

ri de studijs nostris, atq; etiam in hac senecta grauiores quàm vnquã antè rei literariæ causa labores in se recipere non dubitauit cum summa laude sua & scholæ ornamento. Conuenietis autem horæ quartæ ante ædes D. Viti patrie, quæ ad vallum sunt. P P. 4. Calend. Februarij Anno 1565.

RECTOR ACADEMIÆ VVITEBERGENSIS IOHANNES Georgius Comes Solmensis &c.

SÆPE multumq; nos in tantis vitæ huius tristissimis ærumnis, ac periculis cogitare decet, cùm alia testimonia voluntatis diuinæ erga nos, quæ scriptis Prophetarum & Apostolorum comprehensa sunt: tum verò & hoc, quod non scriptum sed natum: quod non didicimus, accepimus, legimus: Verùm ex natura ipsa arripuimus, hausimus, expressimus, ad quod nõ docti, sed facti, non instituti, sed imbuti sumus. Inseuit enim Deus pectoribus hominum στοργὰς, quibus & complectimur vere nec simulato amore iunctos nobis sanguine, & eorum nos desiderio affici, si nobis eripientur, serio ostendimus, vt nos de ingenti amore &

ardentissimo, quo Deus pater complectitur filium, commonefaciant, quem quidem æternus pater expressa voce de cœlo patefecit, inquiens: Hic est filius meus dilectus, in quo complacui. Deinde vult nos Deus, qui est dilectio ipsa, & de suo erga nos amore commonefieri, qui ἐκλεξίτως ἡμᾶς ἐν τῷ ἠγαπημένῳ & benevolentiam suam πολλὴ φιλανθρωπίαν multis illustribus argumentis, quorum vel maximum est, filij sui vnigeniti missio in carnem nostram, vt perspicuè declaratum. Vult etiam σοργὰς vinculum esse societatis humanæ, quo & inter sese copulantur homines & ad beneficentiæ, iustitiæ fortitudinis, patientiæ aliarumq; virtutum officia assuescunt. Etenim si hæc non est, nulla potest homini esse ad hominem naturæ adiunctio, qua sublata vitæ societas tollitur, vt præclarè inquit, M. Cicero Attici sui φιλοσοργίαν laudans & comprobans. Deniq; his ipsis igniculis palàm refutantur Stoica deliramenta, & in præstantibus & heroicis naturis σοργαὶ sint expressissimæ. Non dubitamus igitur in maximo luctu esse & mœrore optimum virum καὶ φιλοσοργώτατον Magistrum Sebastianum Matthei huius oppidi prætorem, qui filium VVolfgangum heri morbo extinctum amisit eum inter suos, de quo ille præcipuam spem

spem conceperat, Nam & ingenio valebat, & ad studia aptus erat, in quibus non contemnendam iam in illustri schola Grimmensi initia & fundamenta iecerat, vt et patris et præceptorũ suorũ spem, atq; expectationem fallere minimè videretur. Sed cum valetudine esset inde vsq; à pueritia non satis firma, & crebrius affligeretur morbis, quod futurum inspecta genesi D. præceptorem nostrum Philippum Melanthonem prædixisse audimus, non peruenit ad eam ætatis maturitatem, quæ frugem industriæ atq; indolis largiretur, sed in flore extinctus est. Ostendit enim longa experientia non esse μακροβίους aut assiduis morbis conflictari eos, qui sub congressum Solis ac Lunæ in hanc lucem vitamq; eduntur, sicut ex huius etiam adolescentis themate natalitio manifestum est, in quo Solem & Lunam in ♏ iunctos infaustus & hostilis Martis aspectus quadratus ex duodecima oppugnat. Etsi autem mœstus pater luctus ac desiderij sui causas habet grauissimas: tamen decet eum in consideratione voluntatis diuinæ & summorum bonorum, ad quæ capescenda filius ex hac misera vita & corpore morbis obnoxio, & quidem tristissimis temporibus, in agnitione tamen & seria inuocatione filij Dei, euocatus est, moderari luctum & dolorem.

Iacem, quo etsi pietatem ille suam & debitum filio amorem testatur, nihil tamen proficitur, vt in dulcissimis veteris Poëtæ versibus dicitur:

Si quid remedij lachrymæ afferrent malis,
Libenter semper fieret lugenti dolor:
Amara parandæ lachrymæ nobis forent.
Sed nil here iis hæc prosunt, res ipsæ nihil
Monentur istis, seue tu semper fleas
Seu nunquam, eandem pergere insistens viam.
Quid his inuamur ergo? Nil certè, at dolor
Vt ipsa fructus arbor, sic lacrymas habet.

Nos verò & nostri doloris societatem optimo viro D. Magistro Sebastiano, & propter communia studia & multa humanitatis officia, quæ nobis cum ipso intercedunt, denique familiam ipsam, vt antiquissimam huius oppidi ita honestissimam, declarare decet. Mandamus igitur auditoribus nostris, vt horâ XII. ante ædes ipsius ad funeris deductionem frequentes conueniant, ibique vitam suam, huiusque scholæ & Ecclesiæ salutem pijs precibus DEO *commendent. P. P. die vltima Februarij, qui finis anni apud Romanos olim fuit, Anno* 1565.

Rector

RECTOR ACADEMIÆ VITEBERGENSIS IOHANNES Georgius Comes Solmensis &c.

ET ciuem optimum & iustum gubernatorem in hac vrbe TILONEM DHEN, *carum ducibus Saxoniæ Electoribus & reuerendo viro Doctori Martino Luthero propter prudentiam, integritatem & fidem, multi norunt. Huius ex filio Francisco, qui ante annos non ita multos decessit, neptis* SIBYLLA *postrid. Calend: Februarij diem clausit extremum confecta longa tabe, cuius initium extitit à læsione cruris lapsu quassati, & deinde non rectè curati. Animam exhalauit eo ipso momento, quo Ecclesia publicè Canticum Simeonis precantis lætam ex hac vita migrationem conspecto puero* IESV *generis humani Saluatore, cecinit. Suas enim cum Ecclesia preces coniunxit, atq; inter hæs spiritum emisit, sed & toto morbi tempore assiduè Deum inuocauit. Fuit enim rectè instituta in doctrina Ecclesiæ. Eius funus hodie hora duodecima efferetur ex ædibus paternis, quæ sunt ad forum. Scholasticos, vt id deducant, hortamur, & cogitantes de magna imbecillitate generis humani precentur ardentibus votis à Deo mitigationem periculorum*

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-62-quod/start.htm?image=00000230

lorum publicorum, quæ haud dubiè denunciam eùm alia signa plurima, tùm verò ostenta cæli & φάσματα, quæ nocte sequente etiam vt crebrò annis hisce specie terribili in cœlo fulserunt.

Die 4. Februarij Anno 1565.

RECTOR ACADEMIÆ VVITEBERGENSIS IOHANnes Georgius Comes Solmensis &c.

ETSI *profana hominum multitudo intuens confusiones in genere humano, & promiscuos cuiuscunque ætatis obitus, quorum non vna est, sed infinita varietas, nec causæ eædem, furenter adseuerat, omnia casu orta & temerè ferri ac occidere, nec magis hominem quàm rosam ad perpetuitatem esse conditum: Tamen qui in domo Domini habitamus & sumus, vt Paulus inquit:* οἰκεῖοι τοῦ θεοῦ καὶ συμπολῖται τῶν ἁγίων, *nos hac firma & perpetua consolatione sustentemus, ac miserias nostras leniamus, quam filius* DEI *sonat inquiens: Capilli capitis vestri omnes numerati sunt.*

Item,

Item, Non est voluntas patris, vt pereat vnus de paruulis istis, Ipse est vita tua & longitudo dierum tuorum. In ipso sumus, viuimus & mouemur. Siue viuimus siue morimur, Domini sumus. Hæc insignia dicta ingens discrimen inter Philosophicam meditationem mortis & Christianam faciunt. Philosophi tantùm deplorant inconstantiam, fragilitatem rerum humanarum, mortem, & alias miserias sine causarum & remediorũ cognitione, Estq; vt Plato grauissimè dixit, tota Philosophia nihil aliud, quàm μελέτημα τοῦ θανάτου. *Et omnes sapientes extra Ecclesiam crebris sermonibus vsurparunt has querelas:* πάντα ἐαὶα εἰδ. *Sola Ecclesia & causas nouit & remedia humanorũ malorum. Non casu nascimur nec casu morimur, sed vtrumq; est Dei opus, alterũ quidem benedicentis, alterum verò iustè irascentis. Etsi enim Deus non est causa peccati: tamen cùm sit iustus, non vult seruare sine pœna naturam ab ipso auersam, Cumq; damnet culpam, sinit extingui naturam à se desertam, & vult pœnam propter iusticiam, Veruntamen, vt Deus propter peccatum omnes homines cuiuscunq; ætatis morte onerat: Ita vicissim pios insertos Ecclesiæ & confugientes ad filium mediatorem etiam in media morte sustentat*

&

& ornat tandem læticia victrice mortis vitaq; sempiterna. Has primas calamitatum causas non ex cisternis Philosophorum, sed ex fontibus Israël hauriamus, & terroribus mortis opponamus firmas consolationes, quas Deus non praestat per filium patefecit, Sed vult notas esse de quibus Propheta inquit: Ero mors tua ô Mors ne. Horum itaq; quæ nõ tantùm cicatricibus, sed etiam vulneribus nostris medentur, pia cogitatione se quoq; sustentet eruditione & virtute præstans vir FRIDERICVS DRACHSTED, *qui ipso Friderici die hesterno suauissimum filiolum eiusdem nominis, morbo diuturno ex febrili æstu consumptum amisit, huius quidem fragilis ac breuis vitæ ærumnis ereptum, sed cum filio Dei per Baptismum insertus fuerit, nunc eiusdem complexibus atq; osculis commendatum & traditum. Cùm verò corpus pueruli humo condendum sit ad horam 4. & nos erga consortes fidei nostræ & eorundem studiorum professione coniunctos hac in parte officiosos esse pietas iubeat, hortamur scholasticos nostros, vt ad funeris deductionem indicato tempore ante Iurisconsultorum Collegium frequentes conueniant, seq; luctu adfici ostendant cum patris viri honesti nobisq; multis nominibus commendati, tum aui etiam materni reue-*

Reuerendi & doctissimi viri D. GEORGII MAIORIS *sacrarum literarum pluribus iam annis, & fidelissimi & constantissimi præconis, quem quidem cum sit* φιλοσοργότατος, *generi sui luctu & orbitate in hac præsertim senecta & curis & laboribus assiduis grauiter adfici non dubitamus. Sed oramus filium* DEI, *vt ipsi & nobis omnibus ærumnas leniat, & doctrinæ suæ puritatem inter nos deinceps quoque conseruet ac tueatur. Pridie Nonas Martij Anno 1565.*

RECTOR ACADEMIÆ VVITEBERGENSIS IOHANNES Georgius Comes Solmensis, Dominus in Munceberg & Sonneuuald &c.

ET hæc mundi machina hominis causa condita est, & generi humano subiecta terra & quæ hac continentur, et pedibus huius subiecti dæmones fuere, Sed nostra culpa factum est, vt hi iam sint κοσμοκράτορες, ἐξουσίαι, καὶ ἀρχαὶ, *sicut Paulus eos nominat, qui per peccatum potestatem hanc fecimus in nos & nostra ijs, quos conculcare potuimus. Huius igitur culpæ cùm participes simus vniuersi, de communi mi-*

ni miseria & reatu nostro cogitemus in nostris & aliorum calamitatibus, quibus propter peccatum subiecta est natura humana, Quæ & communiter de conuersione ad Deum & vitæ sanctitate & inuocationis assiduitate nobis concionantur. In aliorum tamen miserijs & calamitatibus, imprimis cogitemus vocem CHRISTI *Lucæ 13,* ἐὰν μὴ μετανοῆτε, πάντες ὁμοίως ἀπολεῖσθε.

Quod iterum monemus in communi dolore & mœrore publico luctuosissimi funeris, quo efferetur hodie hora 9. Ioachimus Mirizianus Dresdensis, optimo loco natus iuuenis, & ingenio & moribus ijs, vt optimam de se spem fecerit omnibus, & inter eos, qui munificentia Illustrissimi principis Electoris &c. Domini nostri benignissimi, in studijs pietatis & literarum apud nos educantur, locum sit meritus. Hic in cursu concidit studiorum suorum eo casu qui notus est, Et nimis quidem: neq; nobis verbosiore commemoratione scindere libet dolorem nostrum. Hoc tantum oramus filium Dei, vt & consoletur atq; confirmet matronam primariam, fœminam optimam, matrem mortui, & propinquitatem honestissimam, Et idem filius Dei σωτὴρ *generis humani, vt benignè mitiget ærumnas nostras, & quia venit vt*

vt dissipet opera diaboli, reprimat ipse vniuersos conatus Satanæ, & arceat omnem vim huius à corporibus & animis nostris & conseruet atq; custodiat nos, & benedicat nobis, vt simus vasa misericordiæ, & seruiamus ei in veritate omnibus diebus vitæ nostræ. Conueniant autem Scholastici ad funeris deductionem in platea noua ante ædes optimi ac doctissimi viri M. Bartolemæi Schonborn Professoris publici. P. P. Anno Christi 1565.

RECTOR ACADEMIÆ VVITEBERGENSIS IOHANNES Georgius Comes Solmensis &c.

OCTAVA *Calendarum Martij ante dies duodecim annum complenit decimum nonum, quo eadem die hæc Ecclesia & Schola sepeliuit exuuias sui in repurgata doctrina magistri atq; interpretis* ἠρὶ πρὸς τὴν ἀλήθειαν καλλίστου ἡγεμόνος ἠρὶ καθηγητοῦ *viri reuerendi Doctoris* MARTINI LVTHERI *summo cum luctu piorum omnium vbiq; locorum, cuius interitu quantum Ecclesiæ præsidium sit ereptũ, ostendunt vulnera τοῦ σώματος τῆς ἐκκλησίας ἀτίμως ἢ ἀδέως ἐφθαρμένου*

quæ bellis inflicta, sed multò deinceps grauius ambicioſis & petulantibus leuium ingeniorum exaſperata, ita conſenſum omnẽ atq; concordiã diuulſerunt, vt ruina citius omnium rerum bonarum expectanda nobis, quàm reſtitutio Eccleſiæ in integrum ſperanda videatur. Eo vſq; autem progreſſa eſt ambitio, vt ne quidem inter ineptiſſimos ac pœnè profligatos homines tàm paruo animo ſit quiſquam, qui ſibi non perſuadeat Lutheri in ſe ſpiritum demigraſſe, qui non illius affectet & vſurpet autoritatem, qui non cenſuras vſurpare illius exemplo audeat. Sed extincta cum illo concordia eſt, die Concordiæ, nobis relicta ſunt diſſidia & conflictus, Qui cum Chriſto duce atq; cuſtode hucuſq; abfuerint ab hac noſtra Schola et Eccleſia, quam ſua voce Lutherus plantauit, Te fili Dei Domine noſter IESV CHRISTE toto pectore oramus, vt quemadmodum in extremo agone ardentiſſimo motu animi precatus es, vt æternus pater faciat nos vnum, ſicut tu & pater eſtis vnum, ita inter nos Eccleſiam tibi æternam colligas, & animos inter ſe noſtros æterno conſenſu de tua doctrina & inuocatione mutuæ dilectionis æterno fœdere copules, vt vno te etiam Spiritu, pectore & ore ſemper inuocet ac celebret poſteritas noſtra. Depellas ab hoc cœtu veſanos furioſæ

rioſæ ambitionis conatus, depelle impoſturas præſtigiatorum, & ne contagia diſſidiorum noceant gregi tuo, qui te rectè agnoſcit, & colit, prohibe.

Hæc vota ardentius repetamus in funere MARTINI LVTHERI, *filij Doctoris Lutheri, qui nudiustertius circiter horam ſeptimam cum ardentiſſima precatione animam* DEO *reddidit corpore exhauſto vlcere Epatis putredine abſumpti, corde verò aſthmate tandem ſuffocato. Multò antè ille animum inſtruxit ad futurum agonem ſubſidio ad ſecuturam deinceps migrationem ephodij neceſſariæ conſolationis, repetitis aſſiduè prolixis concionibus Chriſti, Apoſtolorum, & ſui patris. Fuit enim in eo ingenij vis & eloquentia tanta, vt patri etiam admirationem commouerit. In harum recitatione tandem velut interrupta voce conſiluit & obdormiuit.*

Funus ei faciet mœſta coniunx hodiè hora XII. Scholaſticos igitur hortamur, vt deductionem funeris frequentes comitentur & ornent, & hanc Scholam atq; Eccleſiam, ſimulq; alias omnes piè & rectè nobiſcum ſentientes precibus ſuis Deo commendent, vt nos ſimus & maneamus perpetuò ſemen illud ſanctum, quod in genere humano relicturus eſt Deus

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-62-quod/start.htm?image=00000234

pater filio conuocaturo viuos & mortuos ad iudicium ſonitu tubæ. Datæ 5. Martij Anno 1565.

RECTOR ET SENATVS ACADEMIÆ VVITEBERGENSIS.

COGNITA eſt vobis, Scholaſtici, æq; perſpecta multis modis affectio erga vos noſtra, & voluntas verè paterna: Nota eſt ſollicitudo, quam circumferimus in animis noſtris dies noctesq; maiorem, quàm exprimere verbis poſſumus. Denique nota eſt ſedulitas noſtra & fides in doctrinæ liberalis & aliorum officiorũ cõmunicatione, quæ ornent ac prouehant ſingulos. Hæc cùm apud nonnullos paruifieri, cùm ſeueriſſimas comminationes diuinas, cùm triſtia iudicij diuini exempla oculis obuia, cùm obteſtationes, & commonefactiones noſtras, deniq; cùm pericula corporum & animarum leuia duci, & ferociam creſcere videamus, cogit nos officij noſtri ratio remedia quærere, & experiri aſperiora, vt augeſcentibus malis obuiam eatur, priuſquã radices agant, ne indulgentia noſtra & impunitate confirmata licentia, quam iuuenilia ingenia citò et auidè arripiunt, etiam bonis

bonis noceat. Quò enim euaſura tandem eſt barbaries iſta Cyclopica & feritas, quam nonnulli affectant & vſurpant, quæ præſefert contemtum Dei, Legum, honeſtæ ſocietatis, omnium honeſtorum officiorum ciuilium? Quò tendunt graſſationes iſtæ nocturnæ, quæ latrociniorum ſpeciem habent, & centauricæ digladiationes, & immanes nonnullorum compotationes, quibus non corpora tantùm iugulant, Sed cum vino furentes ruunt ad conflictus mutuos, animas etiam in diſcrimen adducunt? Vt ſciant autem illi ipſi, qui talium nobis morum, in hoc honeſtiſſimo cœtu autores & Architecti ſunt, Academias non eſſe agmina Gigantum aut Cyclopum, nec Cyrces ſtabula: ſignificamus iam publicè, nos, Dei auxilio, qui ſine dubio nobis contra contumaces aderit, & præſidio Illuſtriſſimi Principis Ducis Saxoniæ Electoris &c. Domini noſtri clementiſſimi, effecturos, ne quam ſibi hactenus licentiam ſumſerunt aliqui, vel illi ipſi, vel alij deinceps illorum exemplo vſurpent & exerceant. Ne verò quiſquam ſe non præmonitum fuiſſe queri poſſit, etſi ignorantia legum ſuæ ciuitatis aut ſocietatis neminem excuſat, quæ decreta ſunt in contumaces, repetere publicè volumus.

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-62-quod/start.htm?image=00000235

PRIMVM itaq; ijs edicimus, qui nomina sua professi non sunt apud Rectorem, nos illos non tantùm excludere à societate corporis nostri, sed omnes quotquot deprehensi fuerint, indicta causa, sine inquisitione vlteriore cum infamia publicè proscriptiuros, & ex hac vrbe per Magistratum eiecturos esse. Præcipimus etiam nostræ politiæ ciuibus, id est, ijs qui ex agmine nostro alunt scholasticos, ne quos vel in domos suas recipiant, vel admittant ad mensas, quarum societas iure gentium sacrosancta est, nisi vel à Rectore testimonia attulerint, vel Præceptores suos aut alios fide dignos testes receptionis suæ adduxerint, & si quos tales secum habent, eos arceant à consortio & consuetudine mensæ. Idem vt Senatus oppidi suis ciuibus imperet, obtinebimus. Si qui verò ex his etiam non obtemperauerint edicto nostro, in eos simili seueritate animaduertemus. Non permittemus enim quantum in nobis est, vt honestissimum huius Academiæ nomen apud exteros improbitate & flagitijs paucorum, qui à nobis alieni sunt voluntatibus, ingenijs, studijs & moribus, polluatur, & deformetur. Et cùm nõ dubitemus hunc pulcherrimum cœtum verè esse templum Dei, in quo & habitat Deus, & assidui sunt custodes sancti Angeli, etiam non per-

permittemus, vt tenera in eo & infirma ætas, quæ reuera est domicilium Dei, & custodiatur à sanctis Angelis iuxta dictum Christi, vel malis exemplis, vel prauis opinionibus corrumpatur. Quod auertere & prohibere maiore cura possemus, si quos huc mittunt filios parentes, vel solos vel cum præceptoribus, alicui ex nostris, qui & docemus publicè, & gubernationis curam sustinemus, commendarint. Qua in re accusare nos parentum nonnullorum negligentiam, necesse est, à quibus iudicio priuato interdum filijs adiunguntur Præceptores, quibus ipsis Magistris ac censoribus opus esset.

SECVNDO, cùm prouocationes, dimicationes ex prouocatione, & armorum gestationes grauissimis de causis seuerissimo interdicto Illustrissimorum Principum, Ducum Saxoniæ Electorum, quæ annuatim repetuntur, prohibitæ sint, & prouocationibus annexa sit summa pœna, quæ est exclusio perpetua, Significamus nos, quicunq; de prouocationibus conuicti vel cum armis comprehensi fuerint, in illos sine vllo discrimine, sine mitigatione vlla rigidissimè sententiam legis exequuturos esse. Quanta barbaries est, in tranquilla vrbe, in honestissimo & sanctissimo cœtu florente luce veræ doctrinæ, optimarum artium studijs, omnium

virtutum exemplis, quibus reliquo cœtui præeunt ac prælucent tot Illustres & Inclyti Heroes nati ex familijs summis, in tali ergò cœtu vel fastu barbarico, velut inter Lapythas aut Centauros arma ostentare, vel etiam immanitate Cyclopica ad vim alijs inferendam stringere? Sed sceleratius est insidiosè aliquem adoriri & spoliare latronum more, quod cùm nuper accidisse Nobilibus & Generosis adolescentibus Polonis cognouerimus, testamur nos, nisi res ereptæ possessoribus redditæ fuerint, in autores exemplum edituros esse, quod terreat alios.

TERTIO, *te N. N. Nobilem Marchiacum reuocamus in Academiam hoc scripto publico, vt intra septimanas sex te apud Academiæ nostræ Rectorem sistas, ad dicendam causam de conflictu cum nobili N. N.*

QVARTO, *similiter reuocamus in Academiam intra idem tempus te N. N. N. ad dicendam causam de vulnere quod inflixisti N. N. N. Huic nostræ citationi vt pareatis religio Iurisiurandi, qua Academiæ obligati estis, vos cogit. Si non comparueritis, causa cognita, feretur de vobis sententia, quam, si Magistratuum pœnam effugeritis, Deus tamen absq; omni dubio in vos exequetur, quocunq; vos locorum proripueritis.*

Quinto,

QVINTO, *cùm appetat Ethnicum festum furiosorum hominum, quod Bachanalia vocant, Præcipimus vobis Scholasticis seuerè, vt cùm studiosi pietatis & bonarum artium atq; disciplinarum esse & perhiberi velitis, Bachantum mores & consuetudinem non vsurpetis. Prohibemus itaq; seuerissimè discursationes personatorum, præsertim armatorum nocturnas atq; diurnas. Nostris etiam, ne quos intromittant, edicimus. Et periculum in his discursationibus est multiplex, & turpitudo atq; deformitas indigna Scholastico ordine. Quare abesse eas procul à nostro cœtu volumus.*

IN SECVNDVM PLINII PRÆLECTIONEM.

QVI oculis atq; animo pulcherrimum hoc ac splendidissimum mundi Theatrum perlustrant, eos, nisi à sese velint dissentire, cum Rege & Propheta sapientissmo Dauide, erumpere in hæc verba necesse est: *Quàm magnifica sunt opera tua Domine, omnia in sapientia fecisti: Impleta est terra bonis tuis. Vt enim magnitudo corporum mundi ostendit Dei potentiam infinitam esse: Sic partium omnium concinnitas, pulchritudo, & ordo perpetuus ad hominum potissimum vtilitatem accommodatus,*

datus, monstrat opificis sapientiam & bonitatem. Quid maius atq; augustius hoc amplissimo cœli domicilio, quod tam longè lateq; patet, subijci oculis potest? Cuius tamẽ tanta est conuersionis celeritas, quantum ne cogitare quidem possumus. Sol ipse, qui Epicuro bipedalis videtur, de Mathematicorum certè sententia, vastissimi globi terreni molem, centies sexagies sexies excedit. Reliquæ autem stellæ omnes etsi Sole minores, terræ tamen magnitudinem (duobus inferioribus planetis & ☽ exceptis) aliquoties superant: ex qua proportione, cum terreni domicilij nostri amplitudinem mente concipimus, stellarum ipsarum vastitas, æstimari vtcunq; potest: nec dubitari, hæc omnipotentis cuiusdam & infinitæ essentiæ diuinæ opera esse. Ordo autem & πλεότης in omnibus naturæ partibus, aptissimè dispositis, pulcherrimeq; exornatis, sapientiam Architecti perspicuè demonstrat. Quò enim corpora mundi sunt puriora & nobiliora, magisq; simplicia & durabilia, eò ab his fecibus terrenis longius in sublime euecta sunt: Vt humiliora, centroq; vniuersi illa sunt propiora, quæ terræ naturam & sordes referunt. Solus inter hæc homo, cum & diuinæ rationis mentisq; particeps sit, & ex terræ puluere digito Dei formatum corpus circum-

circumferat, propter peccatum morti obnoxium: in terræ primum superficie tanquam vermiculus reptat, terra editis victitat & sustentatur, donec mortalis huius corporis exuuijs depositis, recepto diuina potentia & efficacia corpore immortali & anima, cœlo, primæq; suæ patriæ, ex qua Diaboli technis deturbatus erat, restituetur. Postremò, nisi in omnibus, quæ infinita potentia, ordineq; aptissimo & pulcherrimo fabricata sunt, etiam χρηστότης καὶ φιλανθρωπία σοφῆ δημιουργῆ καὶ τέκτονος conspiceretur: quid est, cur lætari de his magnoperè, cur suspicere & magnifacere hæc deberemus? Ea verò illustri sese argumento in eo ostendit, quod fines rerum omnium aptè distributi, & ad salutem generis humani destinati atque accommodati sunt. Exempla finium innumera monstrat physica doctrina, in Elementis, plantis, animantibus, partibus humani corporis, quarum singulæ ad singula officia destinatæ sunt. Astronomia verò, quæ leges motuum in stellis certissimas monstrat, & consensum superiorum atque inferiorum corporum demonstrat, nónne & ipsa bonitatem καὶ φιλοσοφίαν Dei perspicuè ostendit in gratissima dierum & noctium vicissitudine, in salutari illa rebus nascentibus et animantibus quatuor anni partium

partium permutatione? Ac verißimè inquit Cicero, Nec pietatem erga Deum, nec quantæ ei gratia debeatur, ſine explicatione naturæ intelligi poſſe. Nam, vt de ſtellis, elementis, animantibus, metallis & gemmis nunc non dicam, id quod operis eſſet infiniti: res certè ex terra naſcentes mirabili arte & conſilio ita ſunt diſtributæ, vt aliæ proſint ad nutritionem, aliæ ad medicationem. Id quod manifeſtè teſtatur, Conditorem eſſe amantem hominum, quia tàm multæ res præcipuè ad humanos vſus factæ ſunt. Etſi verò nec cogitatione mentis humanæ comprehendi, nec vlla eloquentia exponi amplitudo & varietas rerum, quas hic mundus continet, quæq; obiectum ſunt humani intellectus, poteſt: tamen vult nos Deus in hac vita initia ſuorum miraculorum & beneficiorum maximorum vtcunq; degustare ſtudioſè inueſtigare, & admiratione tantarum rerum obſtupeſcere, & cum Dauide exclamare: Quàm magnifica ſunt opera tua Domine? Benedicite Domini omnia opera eius &c. Vt igitur meo loco ſtudia diſcentium adiuuem, & iuniores inuitem ad naturæ piam, vitæq; vtilem conſiderationem aliquã, deinceps hora conſueta Plinij librum ſecundum enarrabo, qui & ipſe ἀπόδειξιν ἔχει μηδὲν εἶναι ἄτακτον, μηδὲ

μηδὲ ἀόριστον ἐν τοῖς οὖσιν, ἀλλὰ πάντα ἴχνη ἐκφέρειν τῆς τοῦ ποιήσαντος σοφίας, vt Baſilius inquit. Oro autem filium Dei ſapientiæ & doctrinarum fontem, vt ipſe nos doceat, regat, adiuuet ac tueatur. Sic irritus in Chriſto non labor vllus erit.

Barto: Schonborn.

RECTOR ACADEMIÆ VVITEBERGENSIS IOHANNES Georg: Comes Solmenſis &c.

ET publicis & priuatis rebus damnum datur immatura morte eorum, quorum ingenium & opera vtiliter inſeruire aliquando potuiſſet Eccleſiæ Chriſti, Reipublicæ & ſuis, In qua parte infelicitas noſtra ante oculos eſt, qui ſepeliuimus multos hoc ſemeſtri, quorum vita ante tempus frugis ſuæ præciſa fuit ſocietati humanæ. In præſentia verò cumulatur hic numerus funere honeſti iuuenis IOHANNIS OELSEN EMBECCENSIS. qui heri mortuus eſt contabeſcens ex febri hectica, quæ de putrida extitit, quam Catarrhus ei commouit, quaſi Epidemicus quidã, cum pleriq; ex ijs, quos hactenus ſepeliuimus, hoc mortui ſint. Nondum annus cõpletus eſt, ex quo hic Oelſenus in noſtram

noſtram ſcholam venit, cumq; ad operam Reipub: nauandam educaretur, ſtudia ciuilia optima cum ſpe & expectatione ingreſſus eſſe dicitur, atq; ita è medio curſu ad laudem & dignitatem, morte ſublatus eſt circa climacterem ætatis quintũ, qui eſt ſeptenarius tertius. Exitus pius fuit & ſalutaris: circumſtantes enim ad lectulum morientis pro ſe & publicis rebus preces facere voluit, & ipſe cum his ſimul orans ſeq; Deo commendans animo conſtante in ſanctitate religioſæ pietatis placidè deceſſit, & vt Hebræi loquuntur, expirauit, nam huius ſignificationis verbo de morte lemi & placida illa lingua vtitur. Etſi autem ſuo vnuſquiſq; dolore & damno maximè afficitur, & τὸ οἰκεῖον πρᾶγμα, Reipublicæ tamen & Eccleſiæ Chriſti cum ſubtrahuntur qui operam nauent, tandem ab vnoquoq; priuatim, ſicut alia mala publica, ita hoc etiam ſentiri neceſſe fuerit & nimis quidem, Nam ſecundum SOLONIS *verſus:*

δημόσιον κακὸν ἔρχεται οἴκαδ' ἑκάστῳ
αὐλαῖοι δὲ τ' ἔχειν οὐκ ἐθέλουσι θύρας.

Et:

Intrant in thalamos publica damna tuos.

Itaque oramus toto pectore miſericordem Deum, ne vaſtitatem fieri ſinat, ſed vt omnem

omnem vaſtitatem benignè auertat, & colligat ſibi inter nos Eccleſiam æternam, & conſeruet politias in maximis periculis horum temporum, quæ & præſentia ſunt, & cœlũ et terra vtriſq; multipliciter quaſi emiſſa voce denunciant.

Hortamur autem ſcholaſticos vt ad funeris deductionem conueniant hora 12. ante ædes honeſti ciuis Chiliani Hasloffs, quæ ſunt in vicinia ædium ſcholaſticarum Anno 1565.

DECANVS COLLEGII PHILOSOPHICI IN ACADEMIA VVitebergenſi M. Albertus Lemeiger Hamburgenſis S. D.

CVM Diuus Paulus miniſterium docendi nominatim recenſeat inter dona, quæ filius Dei ſedens ad dexterã æterni patris dat Eccleſiæ, nõ dubium eſt agmina docentium & diſcentium in pijs ſcholis per hunc verum Doctorem λόγου æterni patris conſtitui & ſeruari. Quare maiori diligentia tueri ſtudeamus ea, quæ ad conſeruationem cœtus publici pertinere videntur, in propagatione purioris doctrinæ honeſtarum artium, quibus tanquam alueolis ac faſcijs, cœleſtis doctrina continetur. Cùm autem exploratio ſtudiorum diligentiam in animis diſcenti-

scentium exuscitet, & ad curam conseruandi Philosophiæ studia, quibus Ecclesiæ & Respublicæ carere non possunt, inprimis faciant, necessario in scholis retinemus vsitata, & à maioribus sapienti consilio per manus tradita & accepta examina, in quibus profectus cognoscitur eorum, qui Ecclesiarum ac scholarum gubernationi præfici debent. Reipsa enim comperimus, & omnes fateri necesse est, hoc tempore quo fatali quadam ruina barbaries imminet, quæ studijs literarum interitum minatur, examinibus vsitatis aliquam eruditionis partem retineri ac conseruari, quæ tota concideret, nisi cursus studiorum intra certos limites coerceretur, & examinum ratione plurimi in officio necessarias artes discendi continentur. Exploratum autem hisce diebus priuatim ingenia & studia illorum, qui hoc tempore se publico testimonio gradus Magisterij ornari petunt. Cumq; intellexerimus plerosq; eruditione ac virtute præclarè instructos esse, admittimus eos de more Academiæ nostræ ad examen publicum. Quare inclytum Comitem ac Dominum Magnificum D. Rectorem, Illustrissimos Principes, & reliquos Comites ac Barones subiectissimè, clarissimos viros dominos Doctores & collegas nostros reuerenter & officiosè, cæteros Philo-

Philosophiæ Magistros amanter oramus, vt cras hora prima intersint eruditis colloquijs, & suas sententias nobiscum, & inter sese placidè conferant. Sciunt enim plurimum valere in studijs Cicerone teste συζήτησιν, quæ fit in his publicis congressibus, in quibus, vt eruditiores nobis suum officium præstent, vehementer meo et collegarum nomine rogo, cum Deo studium nostrum in recta doctrina tradita probari cerium sit. 14. Martij. Anno 1565.

RECTOR ACADEMIÆ VVITEBERGENSIS IOHANNES Georgius Comes Solmensis &c.

ITERVM consternata & contristata est hæc Ecclesia admodum miserabili casu, quo meritò afficitur non tantùm illorum vicem dolens, quos illud infortunium attigit, verum etiam omen metuens, cùm tales inusitati casus nõ sint ἄσημοι. Venit huc ex Morauia Dominica Inuocauit petendæ ordinationis causa quidam honestus vir, PETRVS IEGER, qui cùm in itinere omni suo viatico fuisset spoliatus, deflexit ad oppidum Misniæ Bischofswerda, vbi fratrem habet, cuius liberalitate tantum viatici accepit, vt posset huc proficisci. Adiuuit cum etiam simili liberalitate eius oppidi pastor

vir reuerendus Dominus Hieronymus Opicius, à quo per literas commendatus est filio M. Hieronymo Opicio, qui & propter literas patris & pastoris nostri petitionem hunc Petrum indigentem institutione ad se recepit in habitationem suam, quam habet cum alijs Illustrissimi Electoris Saxoniæ beneficiarijs in domo reuerendi domini Doctoris Martini Lutheri, vbi nudiustertius hic Petrus, cùm paulò antè de quodã capite doctrinæ Christianæ sermones habuisset pios & sanctos, ingressurus cubiculum, circa horam noctis nonam sine lychno, aberrans ianua inopinatò venit ad gradus proximos cubiculo, ex quorum summitate præceps delapsus ita adflixit cerebrum, vt mox & sermonis vsum amiserit, & accedentibus spasmis Epilepticis quartadecima hora post hunc tristem lapsum in valetudinario Academiæ, quo delatus fuit, hoc est, heri circa vndecimam expirauit. In hac re quàm multa sunt, quæ cogitantes, & non prorsus securos homines grauissimè, vt perturbent necesse est? Et hic ipse Petrus paulò antè hunc mortiferum casum suum ad familiares suos dixisse narratur, quasi præsagiens id quod accidit, se aduersarijs Ecclesiarum nostrarum magnum gaudium conciliaturum, si morte hîc interceptus, ad munus docendi non peruenirет.

ret. Sed iustus in refrigerio est, quicquid de ipso fiat, Et Dominus aderit Ecclesiæ suæ etiam senescenti, sicut in Esaia promittit, se vsq; ad senectam & canos ipsam gestaturum & protecturum esse. Hortamur autem scholasticos, vt hora XII. ad funeris deductionem ante valetudinarium scholæ nostræ conueniant. P. P. XVI. Calend. Aprilis.

DECANVS COLLEGII PHILOSOPHICI IN ACADEMIA VVitebergensi M. Albertus Lemeiger Hamburgensis S. D.

SVIDAS in vita Dionysij Areopagitæ recitat, quòd Apollophanes Rhetor eius συμφοιτητὴς obiecerit Dionysio ingratitudinem, eumq; parricidam nominarit, quod doctrina & artibus, quas ex Græcorum disciplina & institutione percepisset, vteretur ad Græcorum conceptas in religione ac pietate opiniones refutandas ac euertendas. Huic grauiter ac piè Dionysius respondit: Multò magis peccare, eum, qui vtatur artibus & doctrina Græcorum contra Deum. Hoc itaq; fine sciamus in scholis publicis Philosophiæ studia, & artium doctri-

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-62-quod/start.htm?image=00000242

nam tradi, ac ad posteritatem propagari, non vt religioni officiant, sed ornamento sint, ac præcipuas doctrinæ Christianæ partes perspicua explicatione declarent, atq; illustrent. Ideoque ingenij & doctrinæ princeps Plato, artes Philosophicas & ex veris demonstrationibus extructas, diuinæ gloriæ non repugnare, sed seruire asserit, cùm disputat gratam de Deo formam in artibus sparsam esse significans manifesta testimonia ac demonstrationes ex artibus sumi, quæ mentibus humanis de Deo dubitationem eximunt, easq; ad certitudinem assertionis adducunt, vt & Deum esse, & prouidentiã fateri cogantur. Nec maiora præconia de Philosophiæ studijs recitari possunt, quàm quod veritas sine literis & eruditione in religione & alijs doctrinis inuestigari ac retineri nequeat. Nemo enim quantumuis animo suo eruditionis excellentis opinionẽ concipiat, sine linguarum atq; artiũ dicendi scientia, cõmodè religionis dogmata tractabit. Multæ disputationes in doctrina Ecclesiæ offeruntur, de viribus hominum post deprauatam naturam ac corruptam relictis, de λόγῳ filio Dei, de Legis & Euangelij discrimine, de peccato, quæ commodè declarari non possunt sine cognitione doctrinæ Physices, quæ diuersas animæ potentias ac vires

res discernit. Hoc igitur consilio mouemur, ne literaria exercitia intermittantur, nec dubitamus, quin pietate exculti, & naturæ bonitate præditi, sint probaturi hanc nostrã sedulitatem, qua operas præstamus, quæ ad conseruationẽ artiũ & Philosophiæ requiruntur, ad quam examina & graduũ collatio pertinet. Significamus autẽ nos proximo die Martis, quæ est 20. Martij honorificum doctrinæ et honestorũ morũ testimoniũ, cuius renunciatio publica esse solet, de communibus Collegij nostri suffragijs, tribuere decreuisse his honestis & doctis viris, quorum nomina asscripta sunt. Cùm autem renunciationem in aliqua frequentia fieri oporteat, propter communem inuocationem & coniunctas ad Deum preces totius Academiæ, oramus Doctores, Magistros & auditores, vt die Martis hora octaua in Collegij auditorio maiore conueniant, ac frequentia sua ostendant se de Philosophiæ studijs, quibus singuli cuiuscunq; sunt professionis indigent, honorificè sentire. Tribuant etiam id officium honori horum, qui nunc gradu Magisterij Philosophici ornabuntur, quia in hoc numero multi sunt, quos sperамus, cùm præclarè eruditi sint, Ecclesiæ & Reipub. magno ornamento futuros. Die decimo octauo Martij.

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-62-quod/start.htm?image=00000243

DECANVS COLLEGII MEDICORVM VITVS VVINsemius senior Philosophiæ & artis Medicæ Doctor.

ETSI magna, & multiplex ingeniorum humanorum, & iudiciorum diuersitas est, & alia alijs placent, alia alios delectant, & inuitant, vt verè dictum sit à Satyrico:

Mille hominum species, & rerum discolor vsus,
Velle suum cuiq; est, nec voto viuitur vno.

Tamen liberalia & rectè instituta ingenia omnibus ætatibus artẽ medicam amarunt, & quouis honore dignam iudicarunt, Siue hoc fecerunt pietate adducti, quod eam diuinitus in sacra scriptura tantopere commendari viderunt, seu dulcedine doctrinæ de rerum natura illecti, qua quidem post sacratissimum verbum diuinum in hac vita nulla maior delectatio esse potest, Sicut in Psalmo dicitur: Magna sunt opera Domini, qui inquirit ea, delectationem capit ex eis. Seu præsentis vitæ necessitate perpulsi homines, hanc artem magnifaciendam esse duxerunt, Quia viderunt corpora nostra in hac naturæ imbecillitate, ea carere non posse, viderunt multos ante diem miserrimè perire, qui si tempestiuè hac ope vsi fuissent, Deo auxiliante,

priſtinæ incolumitati reſtitui, et adhuc diu ſuperſtites eſſe poterant. Talia exempla in hominibus ſanis amorem & admirationem huius artis incendebant, Et habiti ſunt non tantùm ab omni liberali doctrina, ſed propemodum ab omni humano ſenſu alieni, qui eam contemnerent, Et ingenia veritatis, atque verè ſcientiæ cupida plerunq; ad hoc genus ſtudiorum ſe contulerunt, nota enim ſunt hæc Virgiliana:

Scire poteſtates herbarum vſumq; medendi
Maluit, & mutas agitare inglorius artes.

Hæc eò recenſui, vt adoleſcentibus oſtenderem, quanto in honore ars medica apud omnium ætatum homines ſanos & liberalibus ingenijs præditos fuerit, vt & ipſi eam amare ac magnifacere diſcant. Etſi ipſa experientia & quotidiana morientium exempla id eos ſatis docere poterant. Nam qui hanc artem & eius beneficia Cyclopico furore contemnunt, atq; valetudinem ſuam heluationibus alijſq; modis oppugnant, atque etiam expugnant, eos videmus miſerabiliter præmatura morte interire, & ſera pœnitentia temeritatem ſuam deplorare, His idem accidit, quod Athenienſibus, qui, vt Demades inquit, de pace non niſi pullati & aliqua inſigni clade accepta, conſultare ſolebant. Nos autem, qui in optimarum artium ſtu-

dijs versamur rectius sapere docet, neq; ita furentiũ instar incolumitatẽ ac salutem corporum nostrorũ proijcere. Fiet autẽ ad diẽ Martis proximã in sacello arci adiuncto publicè renunciatio testimonij à nostro Collegio, & gradus atq; insignia Doctoris in arte Medica conferentur viro doctißimo & honestißimo M. PETRO CNEMIANDRO LAVBENSI. *Hortamur itaq; clariss: viros dominos Doctores, Magistros, & cæteros omnium ordinum scholasticos, qui in hac Academia propter studia doctrinæ versantur, vt gratitudinem suam & obseruantiam erga hanc humano generi tantopere salutarem artem ostendant, & præsentia sua hanc solennitatem ornent. Quibus omnibus & singulis vicißim nostram obseruantiam & officia quantacunq; à nobis præstari possunt, deferimus ac policemur. Datæ 8. Calend. Aprilis Anno 1565.*

STVDIOSIS MEDICINÆ S. D.

ABSOLVI *libros Galeni de Crisibus & primum* Δεξαπενλικῆς *ad Glauconem. Deinceps loco doctrinæ de Crisibus, quam cum febrium curationibus coniungere certo consilio volui,*

volui, enarrabo libros de differentijs & causis morborum & Symptomatum, vt seruiam studijs illorum, qui recens ad artem Medicam accesserunt. Prouectiorum causa adijciam explicationem secundi ad Glauconem de Tumorum curatione. Disputabo autem initio quædam de tumorum differentijs & causis, Multiplex his & futuro medico perneccssaria doctrina inest, nisi Ideam morborum omnium ac discrimina in animo atq; in conspectu habuerit, & si causas ignorarit, quid medicabitur & quomodo medicationes instituet? Id significare auditoribus meis volui, vt cras vsitata hora rursus ad prælectiones hactenus à me valetudinis causa intermissas conueniant.

Caspar Peucerus D.

RECTOR ACADEMIÆ VVITEBERGENSIS IOHANNES Georg: Comes Solmensis &c.

IOHANNEM FIGVLVM *Noribergensem, & virum optimum, & diligentem ac felicem Iuris interpretem, & fidelem atq; assiduum in doctrina Iuris scholasticis præceptorem, etiam in extrema senecta fuisse notum est omnibus.*

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-62-quod/start.htm?image=00000245

bus. Sed hæc de eo præcipuè grata mente prædicant discipuli omnes, qui magno numero in summorum Principum aulis sapienter rebus communibus consulendo in scholis legum doctrinam enarrando præclarè de genere humano merentur. Hi doctrinæ, prudentiæ ciuilis, dignitatis, & excellentiæ, ad quam peruenerunt, partem non minimam se Figulo debere profitentur, cuius opera, consilio, & voce se prima fundamenta in scientia Iuris firmiter, & iusta ac conueniente methodo, magno suo cum emolumento iecisse gloriantur, & docendi rationem ac formam, qua ille vsus propter facilitatem ac perspicuitatem, & quia adolescentes non tàm ad prolixos interpretum commentariorum aceruos, quàm ad vim atq; proprietatem textus ipsius ac legum considerandam assuefecit, valdè laudant & commendant. Venit in hanc Academiam statim post mota de religione certamina, cùm Lutherus Tetzelij impudentiam repressisset disputatione publica, Ab eo tempore ita cum legibus doctrinam Ecclesiæ coniunxit, vt Luthero & auditorem præbuerit assiduum, & familiaris domi, comes in itineribus foris creber & gratus admodum fuerit, præsertim annis prioribus, priusquàm scholam priuatam aperuit. Deinceps enim se totum legum

gum doctrinæ studiosis ita dedidit atq; addixit, vt in his excolendis, exercendisq; tempus omne, & operam, ætatemq; deniq; omnem consumpserit. Valentino Trocendorffio suam in Silesia scholam pluribus & lectoribus, & maiore doctrinarum varietate ante annos viginti instruente de consilio Philippi Melanthonis Goltbergam ex Academia profectus est, ad tradenda iuuentuti iuris initia. Ad has operas tùm Philippus Figulum iudicabat virum omnium maximè idoneum esse, qui se sciret captui ingeniorum attemperare. Schola illa incendio dissipata, redijt huc veluti in patriam, & quod reliquum fuit ætatis priuatim, vt prius docendo exegit, lætatus de hac felicitate, quod ad interruptas discentium operas reuerti, atq; in his consenescere sibi & mori contigisset. Nec de assiduitate docendi, legendiq; pedem iam alterum in sepulchro habens remisit quicquam ad extremos dies vsq;, quibus quieuit potius, quàm decubuit sine vllo vllius doloris vel molestiæ sensu. Is heri circiter horam noctis octauam vitam finijt non morbo, sed senili virium defectu exolutus. Funus ei fiet hodiè hora quarta, quod scholasticos, vt fidei, sedulitatis, et meritorum eius memores deductione frequenti cohonestent, hortamur. Datæ die mensis Martij 29. Anno 1565.

Epitha-

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-62-quod/start.htm?image=00000246

1565

EPITAPHIVM
EIVSDEM.

HOC tumulo FIGVLI sunt condita membra IOHANNIS,
Cui primas cunas Noris amœna dedit.
Hic legum, & iuris fundamina prima profeſſus
Formandis iuuenum cœtibus aptus erat.
Acceptum huic referunt, qui formant gnauiter
Cõſilijs, vrbes, legibus, arte ſcholas. (aulas,
Nam facili, & iuſta eſt vſus ratione docendi,
Nec traxit vanas per vaga dicta moras.
At legum ſtudijs ſacrata volumina iunxit
Vſus amicitia magne Luthere tua.
Præluxitq; fides virtutibus, & pia rexit
Corda λόγ☞ viuens aßimilata ſibi.
Omne æuum in ſtudijs triuit, ſummoq; parenti
Caſta, ſed in Chriſti nomine vota dedit.
Nunc corpus tellure iacet, ſed non iacet vna
Credula mens, viui luce repleta DEI.

Iohan: Maior Ioach: Doctor
& poëta Laureatus.

RECTOR ACADEMIÆ VVITEBERGENSIS IOHANNES Georgius Comes Solmenſis &c.

Cum

1565

CVM Moſes conſcripſiſſet quinq; libros ſuos continentes hiſtoriam conditi mundi & annorum huius bis mille quingentorum ſeptuaginta, in qua ſunt et promiſſiones factæ de Meſſia & Decalogus ſeu decem Leges diuinæ, vnà cum cæteris legibus, quæ populo Iudaico peculiariter à DEO latæ ſunt, tàm ad cultum diuinum, quàm ad ciuilem vitæ conſuetudinẽ pertinentes. Hos igitur omnis pietatis & veræ atq; ampliſſimæ ſapientiæ libros ſuos cùm conſcripſiſſet, tradidit eos Sacerdotibus & ſenioribus, qui magiſtratus gerebant in eo populo, & mandauit his, vt ſeptimo quoquo anno recitari publicè curarent: Sic enim interpretantur legis mentionem, quæ ſit Deut. 31. vbi & hanc recitationem diebus feſtis tabernaculorum fieri iubet, quibus celebrarunt memoriam protectionis diuinæ in deſerto, per dies ſeptem continuos à die 15. Menſis Thiſri vſq; ad diem huius 21. qui maxima ex parte reſpondet Romano Septembri. Scribunt autem Hebræi ſolennem recitationem illam per quàm magnificè factam & cum ſpecie & dignitate religionis eximia. Itaq; Iudicum & Regum temporibus ipſos tàm Iudices, quàm Reges Legem exſuggeſto editiore recitaſſe. Reges quidem non vniuerſam, ſed præcipua quædam ex Deuteronomio, vt appareat

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-62-quod/start.htm?image=00000247

reat hos ad cætera aliorum opera vſos. Locum autem recitationis fuiſſe atrium populi in templo maximum, quæ in Actis porticus Salomonis, & alibi Baſilica, & cum epitheto grandis Baſilica appellatur, in quo & Chriſtus poſtea concionatus eſt, & vendentes & ementes indidem expulit. Rege verò recitaturo Leuitæ dicuntur populum per vrbem Hieroſolymitanã clangore tubarũ ad audiendas leges conuocaſſe, vt omnia cum apparatu magnificentiſſimo fierent, et maieſtatis eſſent pleniſſima. De his commonefaciendos putauimus ſcholaſticos, quos hoc tempore ad recitationem noſtrarum legum conuocamus, quam inſtituimus ad horam hodierni diei pomeridianam duodecimam. Etſi autem in ſcholaſticis legibus multa ſunt, quæ peculiariter ad hæc loca & tempora & doctrinæ ſtudia pertinent, quicquid tamen de virtute & honeſtate præcipitur, atq; omnino præcipi poteſt, ex Decalogo vt emanet oportet, qui Archetypus eſt eius imaginis, ad quam conditi ſumus, & regula æterna faciendorũ & fugiendorum, in quo & capita ipſa & ordo horum & breuitas atq; comprehenſio vniuerſa diuinam ſapientiã demonſtrant, Itaq; cum hoc quod pugnat, Lex non eſt, neq; pro Lege habendum. Pleriſq; verò ex ſcholaſticis legibus noſtris Decalogus explicatur, & ſtudia doctrinæ Eccleſiæ Chriſti ſeruiunt, cuius præcipua pars ſunt piæ ſcholæ, quarum miniſterio & religionis veritas & ciuilis ſocietas conſeruatur. Quæ cùm ita ſe habeant, & propter ſalutem noſtram, & reſpicientes ad exempla piæ & ſapientis antiquitatis ſtudiosè audiamus, legamus, meditemur, quæ pietate & doctrina nos inſtruere poſſunt, neq; vllam in hac parte operam ſuperuacaneam exiſtimemus, neq; inculcationum nos pigeat aut pœniteat, & feſtinijs repugnemus. Ex hoc genere cùm ſint leges eæ, quas more Academiæ hodie recitari curabimus, Mandamus vniuerſis, qui ſubiecti ſunt ditioni ſcholaſticæ, vt ad eam recitationem hodie indicato tempore in noto & deſtinato ad hos cœtus loco conueniant. P. P. XVII. Calend. Maij, Anno 1565.

CAPTIVITAS CHRISTI.

STATE viri, nunc veſtra locum, nunc veſtra meretur
Dictis oſtentata diu conſtantia laudem,
Et regem vobis veſtrum defendite vinclis
Quà globus ille virũm denſiſſimus vrget in hor
Tuq; prior, tu ſiſte, quid ô te nomine tantũ (to:

Fers rupĕ immotã pedibuſq; ſimilimus auræ es?
At memini dudum ante alios fortiſſimus vnus
Dũ tonat aloquio, et pariter comes ire per om-
Exoptat caſus, populatũq; aure miniſtrũ (nes
Enſe ferit, nunc ille animo deiectus & horrens
Vnius ad vocem famulæ ſe turbidus aufert
Ex oculis, montiſq; exeſi conditus antro
Reſpectat tacitè, et lacrymis rigat ora profuſis.
Et quiſquã humanis vltrà ſpem ponat in armis?
Fortuna mutante vices, mutantur amici.
Ergo vbi deſerto media iam in nocte magi-
Arripuère fugã ſocij: ruit omnis in vnũ (ſtro
Turba furens, vinclisq; manus poſt terga reuim-
ctas
Impediunt, & vim vinclis etiã inſuper addunt,
Ceu quondã ingenti fremitu ſe fundere circum
Deprenſo latrone ſolet vis concita vulgi.
Armati circumſiſtunt, arctiſq; fatigant
Ad latera agmimibus, nec reſpirare poteſtas.
O miſera, & nõ viſa prius ſpectacula rerum:
Sicne Deo natum vinclis includier arctis,
Spectatumq; trahi paſsim per compita, & vrbĕ,
Tàm benè peruerſa ſemper de gente merentem,
Hancq; adeò ardentĕ, et cumulantĕ ſemper ho-
Quam Peluſiaci ſoluit de carcere regis? (nore,
Vinculaq; ille gerit, qui venerat arcta leuare
Vincla Erebi nobis libertatemq; referre.

Quòd

Quòd ſi labe reus peregrina, vincula palmis
Dura tulit, nobis quid ſontibus ergo futurũ eſt?
Quandoquidem nos admiſsis ſuffiximus illum
In trabibus, nos admiſsis inflximus ipſi
Vulnera, et horrentĕ tulimus capiti inde coro-
Os illud roſeũ quo ceu Sol cuncta ſerenat, (nã
Quo Flamã Patris, atq; ſuã tranſpirat, & vltrò
Conſilia eloquitur nobis quoq; oſcula libat,
Os illud, duri violârunt verbera pugni.
Brachia nempè quibus tepidis nos cõgregat alis
Diuulſa à neruis extendimus, & calidum cor,
Quo nos inſertos geſtat, ceu fœtus in aluo
Inuolucris tegitur, penetrantis acumine ferri
Rupimus, & latebras vteri tentauimus haſta.
Nos etiã pedibus, ſtygiũ quibus atterit Anguĕ,
Queîs noſtros hoſtes premit, atq; in puluere ver-
Proſubigens, ſaluaq; extentos calcat arena, (ſat
Coniunctim clauis terebrauimus in trabe celſa.
Sed Genitor natũ detrudi in vincula paſſus,
Scilicet vt mundum ſtygia de compede ſoluat,
Inq; lacu, qui ſqualet mers haud cõſcius vndæ,
Deuinctas proauorũ animas, emittat in auras.
Quòd ſi fortè Dei permiſſu vincula quondam
Crudelis furor inijceret, nil turpiter auſis:
Nos etiã haud duris animis vel vincla vel ipſã
Suſtinuiſſe necem iuuet, vt ſua gloria Chriſto
Salua ſtet ante homines, et noſtro ſanguine fuſo

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-62-quod/start.htm?image=00000249

Doctrinæ sit facta fides, rebusq; sacratis:
Qualis Tharsiacus iactat sua vincula vates,
Quæq; cruentato tulerat vibice flagella.
Sed soluunt Christi nos vincula: vincla piorũ
Sunt testes tantùm quia solùm liberet illc.
Nodosi funes rasorum, aliæq; catenæ
Nil nisi sunt ficti cultus, atq; impia sacra,
Impia sacra suo Christum spoliantia honore.
Ergò vbi distracti comites, et vincula Christo
Inicêre viri: tunc Hannæ ad limina ducunt,
Qui tum fortè nouo ritu, digestaq; contrà
Iura Mosis, summas anno curabat in illo
Sacrorum partes: cui dum placuisse laborat
Ipse gener Caiphas, soceri transmittit in ædes
Constrictum sanctos nodis ingentibus artus.
Illic conuenêre Patres, quos sacra tiara
Obuelat frontem, quiq; Vrbi iura ministrant,
Quiq; reuelabant occulta volumina Mosis:
Vt cùm purpurei conspectus honore galeri
Ordo patrum magno è Latio, Romaq; profectus
Cogit concilia, & condit decreta Salutis.
Nec gens vlla Dei natum truculentius odit,
Vimq; facit rebusq; sacris & sacra professis,
Quàm sibi quæ titulos ex sacris arrogat aris,
Docta Dei cultus simulare, & fingere vultum.
Sed quamuis crebris adeò conuentibus actis
Concilium cogat, ferrum insuper addat, et igné

Pontifi-

Pontificũ rabies: Tamen hoc solamen habemus,
Te loca concilij, te magna palatia, & alta
Atria conuentus primùm te Christe sacrasse,
Cùm rabidũ stares ante agmen, & impius in te
Multa, Patremq; tuũ iaceret malè dicta Sena-
Tu placida verò perferres mente, nec vlla (tus,
Signa dabas iusti quanquam, rectiq; furoris,
Cœlesti vltori mala compensanda relinquens.
Iamq; ferè terris animantia fessa per omnes
Sepositis curis reparabant membra sopore:
Ipse in concilio sera sub nocte iubetur
Quid doceat, fari, & comitũ quæ turba suorum.
At tunc dura dedit Christus responsa roganti
Pontifici, iniustumq; modum taxauit agendi:
Nõ locus hic poscit doctrinæ inquirere causam,
Ecquis adest qui me in crimen vocat? aut vbi
testes?
Aut quibus indicijs peragor reus? obijcite ergo,
Si qua mea est, culpã, nec tu iam quære doceri,
Non docui sine teste, nec vlli incognitus iui
Prætereà, aut vestris subduxi vultibus ora.
Antè omnẽ infusum populũ, perq; atria templi,
Atq; in Bethabaræ conuentibus, ora docendo
Soluimus, & qui sim, populis sum voce profes-
Hos pete doctrinæ testes, & dicta reposce, (Jus,
Ex illis si quid cupis elice, desine captum
Tentare, atq; aliquã quærendo extundere cul-

pam,

Non mos iſte fori eſt, nec partes iudicis illæ.
Dic age ſi læſi quenquam, et qui criminis index,
Me me aſſum, ſi quid feci, ſi criminis vllus
Conuinctũ dabit, & pœnã meruiſſe probabit.
Hæc ita Pontifici: ſed non & dicta viciſſim
Herodi dabat, aut verbis dignatur amicis.
Sed dum obteſtantur, dictiſq; ferociter vrgent
Vt qui ſit memoret, num dio ſanguine cretus,
Quidue ferat, quæ ſit porrò fiducia capto:
Tandem ſe confeſſus erat, tectisq; Pilati
Dicta iterans, numẽ manifeſta ẽ voce profeſſus.
Diſcimus exemplo, quòd iniqui ab iudicis ore,
Qui non legitimo deciderit ordine litem
Affectu cæcus, lucriue incenſus amore,
Fas, cauſſam ſub iudicium conferre potentum,
Virtutemq;, fidemq; Ducum conquirere, nulla
Relligio vetuit, nec iura ſacrata repugnant.
Ergo vbi concilium Latialis cogere præſul
Audet, & in ſacris litem decidere rebus:
Si quis obire locum, & dicto parere recuſat,
Nõ culpanda facit: namq; idem eſt actor et idẽ
Arbiter, & Verbi pariter contemtor, & oſor,
Nec rectà aggreditur cauſſã, ſed fretus opaca
Inſidijs noctis, regumq; potentibus armis
Rem gerit, & ferro gaudet, non vincere verbo.
Diffidens cauſæ, lucem auerſatur, & odit.
Cùm ſic argueret Caipham, pariterq; ſiniſtrũ

Concilij morem, (quia partes iudicis vnà,
Arctoriſq; gerunt) nec non iubet ordine teſtes
Dictorum audiri, dederat quæ plurima vulgo:
Ecce improuiſò vultum dicentis, & ora
Fœdabat pugno media inter verba ſatelles,
Et vocẽ hanc rumpit: Te ne hæc tàm feruida dicta
Pontifici? & tales decuit te opponere voces?
Heî ſcelus immitis dextræ, roſea illa labella
Quæ violat plagis, per quæ rapit oſcula, et Au-
Ipſe ſuæ flamã noſtra in præcordia ſpirat, (ræ
Per quæ dulce ſonat pactũ, atq; ediſſerit vltrò
Qui ſit amor noſtri, Patris & quæ certa volun-
Per quæ deinde facit pro noſtra vota ſalute, tas
Per quæ Tartareos validè flans deſtruit hoſtes.
Sors eadem Michã ſuſceperat, atq; eadẽ ſors
Tharſiaca de gente ſatum, quibus ora, genaſq;
Tundebat ſcelerata manus plagamq; ferebat.
Sed tu Chriſte tuis plagis quas ore tuliſti,
Ceu precio redimis Legis de verbere, & ipſo
A Genio plagam quondam, ſtragemq; ferente
Fœtibus Ægypti primis, ſi noſtra cruore
Corda tuo ſignata rubent, munitaq; perſtant.
Quippe tuis plagis non eſt præſentius vllum
Auxilium noſtris plagis, quas ſæpè Tyranni
Confeßis tua ſacra parant infligere dextris,
Sed ne fortè tacens, violenta probare putetur

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-62-quod/start.htm?image=00000251

Aſputo abſtraheret fœdantum turpiter ora,
Sed faciē aduerſam ad crebros exponeret ictus,
Ac ſi dura ſilex ſtaret, præruptáue cautes:
Omnia quæ ob noſtram tulit inſons ille ſalutem
In ſeſe vertens pœnam quam attraximus ipſi.
Ergo ne teneras violemus verbere malas
Fœdantes turpi illuuie, ſpurcáue ſaliua:
Sed cupidè affixi roſeis ſancta oſcula labris,
Non tamen ac Iudas falſi ſimulator amoris,
Vera nempè fide, & vero libemus amore
Oſcula: Sic cœli ſaluos in regna reponet,
Et ſuperûm aſpectu dabit, & ſermone potiri
Viua recompenſans æternæ gaudia vitæ.

Iohannes Maior Ioach.
Anno 1565.

RECTOR ACADEMIÆ VVITEBERGENSIS IOHANNES Georgius Comes Solmenſis &c.

ECCLESIA Dei ante Chriſtum, qui fuit populus Iudaicus, ſoboles Abrahami, cui primùm facta eſt promiſſio de Meſſia, qui ex ſemine ipſius naſceretur, hic igitur populus ante Chriſti in carnem aduentum hoc anni tempore & memoriam conſeruationis primogenitorum

Auſa hominũ, iniuſtaſq; minas ſtabilire ferẽdo:
Ecce alibi ſuperans nunquã ad ſua fata rebelles
Agnos, & ſi quid degit patientius agnis,
Qui dictis, factiſq; docet ferre aſpera quæq;,
Nunc autem ingreditur dictis grauioribus illi
Qui violare manu contra fas omne, piumq;,
Non veritus, vinctum nodis, ac reſte ligatum,
Dum cauſſa indicta eſt, nec adhuc de crimine conſtat.
Si quid ego aſperius quàm fas erat ore locu-
En age conuincas iuſta ratione, quis index (tus,
Criminis, aut teſtes vbi ſũt? hîc ſiſtimur, inquit,
Iudicio: ſin recta loquor, quid me improbe per-
gis
Immeritũ pulſare manu, & vim ferre ligato?
Talibus inceſſit violentos iudicis actus,
Lictoriſq; feri plagam, & conuicia linguæ
Nocte quibus tota riſu eſt exceptus amaro,
Donec purpureum iubar extulit Oceano Sol,
Qui mox ad Domini inferias expalluit ore,
Et ſcelus horrendum exoſus ſe auertit, & vm-
Delituit, triſtiq; caput ferrugine texit, (bris
Omnia quæ nobis fatorum arcana canebat
Ille Deo plenus vates quem eduxerat Amos.
Nãq; fore, vt plagis corpus daret obuius vltrò,
Os, roſeaſq; genas pugnis, faciemq; decoram
Haud ignominijs ſubduceret, aut ſua retro

Aſputo

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-62-quod/start.htm?image=00000252

ab angelo percutiente, & glorioſiſſimam eductionem ex domo ſeruitutis Ægyptiacæ per ſinum Arabicum maris rubri celebrauit mactatione & epulo agni, cuius ſanguis in poſtibus tinctis auertit angelum, vt præteriret ſine plaga, quam inferret familiæ, & hic igitur angeli & alter populi per mare tranſitus nomen fecit diei, vt Hebræo verbo Paſcha diceretur. Sed Eccleſia Chriſtiana ſuccedens populo Iudaico & filijs regni, qui Chriſtum repulerunt, celebrat iam memoriam veri agni, qui die paſchatos huius veteris, vel poſtridiana etiam aut circiter (neq; enim momenta temporum exquiri poſſunt) immolatus eſt, & cruciatibus ſanguine & morte ſua auertit à nobis mortem æternam, placata hoc modo ira Patris cœleſtis aduerſus peccatũ. Hic eſt IESVS CHRISTVS *filius Dei, Deus verus & verus Homo, qui traditus fuit propter peccata noſtra, et die à crucifixione tertio excitatus morte è diuinitus, in vitam reuerſus eſt, Deus enim excitauit eum à mortuis, & gloriam ei dedit, cùm ſuperare mortem & peccatum, cuius illa ſtipendium eſt, diuinum opus ſit, non virtutis humanæ. Idem autem ſignificatur, quando à Deo & per gloriã excitatũ Patris, aut propria virtute in vitã reuerſum Chriſtũ dicimus, cùm hic ſimul ſit filius æterni*

æterni Patris, & vt Symbolum Nicænum loquitur, Patri ὁμοούσιος et ſplendor gloriæ Patris, atq; ideo, ſicut ipſe de ſe profitetur, & ponere poſſit & recipere animam ſuam. Sed huius in vitam reuerſionis efficacia & fructus eſt, vt Apoſtolus docet, iuſticia noſtra, Nam hoc vno verbo continentur, quæ de his rebus dici poſſunt & debent vniuerſa. Non eſt ſatis, Chriſtum fieri κατάχαρ, & recipere in ſeſe pœnas peccati, quæ incubuerunt generi humano, atq; ita ſatisfacere iuſticiæ Dei, & explere iram Patris, perferendo in humana natura omnia, quæ peccato debentur, ſed vinci etiam atq; ſuperari vniuerſa oportuit, quæ Chriſtum hominem propter alienam culpam euerterunt, atq; extare bona victoriæ huius, quæ cum credentibus communicarentur. Vt ſicut aliena culpa afflictus eſt, ita ſuo & proprio beneficio beet alios. Et hæc igitur victoria declaratur reſurrectione in vitã Chriſti hominis poſt perpeſſos cruciatus, et mortem obitam, & per hanc facultas ea Chriſto conciliatur, vt ſit iam qui intercedat pro nobis, & largiatur nobis atq; diſtribuat omnia quæ morte ſua peperit, ſicut ſcriptũ eſt, fortium diſtribuet ſpolia, atq; ita iuſtos nos faciat vt ſalutẽ det, et in vitã cum ipſo reſurgamus, Nam vt rurſus Prophetæ verbis vtamur,

iuſti-

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-62-quod/start.htm?image=00000253

viuificabit nos post duos dies, in die tertia ſuſcitabit nos, & viuemus in conſpectu eius. Item per reſurrectionem ipſius ſperamus poſſeſſionem vitæ æternæ, Et hæc eſt voluntas Patris, vt reſuſcitet Chriſtus in ſe credentes. Hæc eſt iuſticia noſtra, qua meritum ſuum nobiſcum communicat Filius Dei, atq; ita alieni meriti & muneris tota. Quod verò hoc anno Chriſti vertente M. D. LXV. Paſcha celebramus, noui fœderis & Chriſtianum Paſcha eſt milleſimum, quingenteſimum, trigeſimum primum, Paſchatis veteris antitypus. Vetus & Iudaica Eccleſia typum huius Paſchatis celebrauit per annos mille, quingentos, quadraginta & vnum. Quis ſcit, an Deus antitypum velit vltra typi ſpacium producere? & Leuitici atq; Chriſtiani miniſterij tempora ei an exæquare libeat? Quòd ſi fortè ei non placeat antitypum quàm typum celebrari diutius, neq; in hoc falluntur coniecturæ humanæ, quàm pauci anni abſunt à fine mundi? qui tamen abſq; hoc & alijs de argumentis multò abeſt propius, quàm vulgo creditur. De quibus omnibus propitij Dei benignitate maxima, à doctrina publica ſcholæ noſtræ & miniſterio Eccleſiaſtico quotidiè occaſiones diſcendi offeruntur luculentæ. Quo remittentes ſcholaſticos, in præſentia noſtra

ſtra agamus, quos τὸ οἰκεῖον πιέζει, id eſt, cura conſeruandæ diſciplinæ ſcholaſticæ & regendi mores eorum, qui ſubiecti ſunt iuriſdictioni noſtræ. In maximis igitur periculis horum temporum, & inſtante ruina mundi, hortamur ſingulos & vniuerſos ad pietatis & doctrinæ ſtudia, dilectionem & concordiam, pacem & tranquillitatem, ſobrietatem, & omnia, quæ ſunt σέμνα καὶ προσφιλῆ, id eſt, honeſtatem & virtutem vniuerſam, idq; propter eum, qui traditus eſt propter peccata noſtra, & reſuſcitatus eſt propter iuſticiam noſtram, & φλαυθρωπίαν huius ingentem. Ante annos mille & fermè ducentos temporibus Baſilij, Neocæſarææ in Cappadocia, vbi hic Archiepiſcopus fuit, veſpere feriarum Paſchalium ſaltationes in loco publico habitæ fuerunt, atq; (quod de ſeueritate diſciplinæ Eccleſiaſticæ, quæ illis temporibus & in Baſilij Diœceſi fuit, æſtimare licet) incogitantia potius quàm petulantia populi commiſſa res fuit, Et hoc tamen quàm grauiter tulerit ſanctiſſimus vir, Homelia eius demonſtrat, quam hac occaſione contra ebrietatem illis diebus habuit & ſcripſit, lectione atq; conſideratione omnium digniſſimam: Hic verò quid noſtris hominibus concionaretur? apud quos tetriora alia conſpiceret. Sed videat ſibi vnuſ-

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-62-quod/start.htm?image=00000254

vnusquisque, ij tantum cum Christo resurgunt, qui cum ipso moriuntur, & inserti ipsi fructus iustitiæ proferunt, cohercentes, atq; vt Apostolus loquitur, ὑποπιάζοντες καὶ δουλαγωγοῦντες carnem suam, & hi Pascha salutare celebrant. Cæteri contumaces, petulantes, ebriosi, turbatores, laxantes frena cupiditatibus, & ruentes in peccata contra conscientiam, non Pascha celebrant, sed Pæscha exercent, id est, defectionem & ἀποστασίαν à pietate vera & salute sua, atq; autore huius Iesu Christo, quo nihil dici aut cogitari potest grauius atq; tristius. Mandamus autem vniuersis ditioni scholasticæ subiectis, vt more recepto in hac Ecclesia munus suum ad altare offerant, atq; hoc modo erga ministerium Ecclesiasticum reuerentiam, & erga Magistratum legitimum obedientiam suam publicè declarent. P. P. die Paschatos Christiani.

SEQVENS HOC CARMEN transpositum est, debuit supra fuisse positum in charta Aa, & Paschale ibi carmen huc transferri.

RECTOR ACADEMIÆ VITEBERGENSIS IOHANNES Georgius Comes Solmensis &c.

Cum

CVM vetus Isacides cunctos vocat ordine natos,
Hæc animi condit vota suprema sui.
Ergò tot incassum fusi perière labores,
Et tot pro patria, cum patriaq; iacent?
Tempore parta salus, sed tempore transijt illa
Mox vbi victores interière viri.
Quid coma Simsonis, quid Aronis profuit ara,
Quid Gideon, & quid legifer ipse Moses?
Non venit auxilio Simson, Arónue, Mosesue,
Et quia nemo venit, tu mihi Christe veni.
A te vera salus surget, quæ fine carebit,
Quam Mars non potuit, mors tua reddet
Ergò salutiferũ demittas æthere Natũ (opem.
Summe Pater nostræ sumere carnis opus.
Is genus Isacidûm vinclis absoluet Auerni,
Et dabit ærumnis, criminibusq; modum.
Dixerat, & fidei plenus sua lumina clausit,
Natali gaudens maxime Christe tuo.
Qualis saluifico pascens sua lumina vultu
Christe tuo, Simeon vltima fata subit.
Ergò dies aderat Patribus persæpè vocatus,
Qua Gnatum supera misit ab arce Deus.
Ille sub intactæ descendit Virginis aluum,
Ceu ros in molli vellere natus erat.
Namq; vbi Iudæam Midias euertere gentem
Optat, & huic Gideon obuia signa parat:

Signa

Signa prius cœlo poscit, quò discere posset
Euentum pugnæ præsidiumq; Dei.
Nec mora, per noctem tellus cùm tota maneret
Arida: tùm vitreo vellere rore madent.
Mox vice mutata, riguo cùm rore maderet
Omne solum noctu: vellera sicca manent.
Omine quo firmans animum mouet ocyus arma,
Et monstrat bellum qua velit arte geri.
Vna tubam gestet, fragilem manus altera testã,
Sed tegat inclusam concaua testa facem.
Hinc inflare tubas iubet, & confringere testas,
Cùm primùm pugnæ copia facta foret.
Vtq; vident hostes, subitò collisa latentem
Testa facem spargit, sed tuba rauca sonos.
Diffugiunt hostes sonitu, & splendore repulsi,
Et sine vi victa est maxima turba virûm.
Omen in exemplo est: vincit sine viribus hostes
Christus, vbi Verbi dat tuba læta sonos.
In cruce sed cùm fractus erat velut arida testa,
Hìc tum maiestas abdita luce micat.
Nemo hostes poterat superare, referre salutem,
Solus Christe tua tu nece victor eras.
In cruce marcebas, cùm te Patris ira coquebat,
Terra vbi tota tuo sanguine sparsa madet.
Et cùm tota iterum tellus fuit arida facta,
Solus cœlesti rore beatus eras.

Sic

Sic fragili in testa summas Ecclesia gazas
Corpore mortali prædita, ferre solet.
Hanc vbi crux frangit, tùm lux prius abdita tandem
Emicat, & summo fit manifesta die.
Arida labe sua est, sed Christi rore rigatur,
Quẽ, ceu Concha patens, mense, fideq; capit.
Scilicet hinc nascens tritas iuuat Vnio mentes,
Cùm dicit mœstis gaudia viua λόγος
Ergò Ministerio dignum præstetis honorem,
Quod ceu rore pio credula corda rigat.
Nam qui Christe tuæ consors cupit esse salutis,
Hauriat hinc sitiens nectar & ambrosiam.
Nil his pro meritis nisi laudum præmia poscit,
Et factas pura mente, fideq; preces.
Vt tamen et restent terris qui sacra ministrent:
Æquum est doctores ære iuuare pios.
Ergò quisq; sacrã deponens munera ad Aram,
Se Christi cunis munera ferre putet.
Sed vitæ nouitate nouus tibi prodeat annus,
Sitq; mali finis, principiumq; boni.
Neue quiescentẽ sanctorũ in pectore Christum,
Qua retinet cunas suauiter ilie suas,
Noctiuagæ turbate stryges: Si pellitis illum,
Hei mihi quàm fuerit sæua timenda lues?
Quàm multa Autumno non certus vbi æstuat
In syluis passim lapsa cadunt folia: (aër

Millia multa virûm sic trudit corpora ad Orcũ,
Naturæ & penitus tollere vincla solet.
Deseruêre patres natì, natosq́; parentes,
Et fugientì animæ nullus amicus adest.
Exanimes noctu sine luce, & honore feruntur:
Pœna hæc contemta pro pietate venit.
Vtq́; acido Baccho dissolvitur Vnio: fractì
Sic vestra perennt improbitate pij.
Horum igitur vitã manibus deposcere vestris
Vult Deus, & pœnis esse probare Deum.
Dum datur ergò sequi monita optima quisq́; se-
quatur,
Differtur, nunquàm tollitur ira Dei.
In festo Natalis Domini nostri & Sal-
uatoris Iesu Christi, Filij Dei & Ma-
riæ virginis, Anno 1565.

RECTOR ACADEMIÆ
VVITEBERGENSIS IOHANNES
Georgius Comes Solmensis &c.

OPTONATVR historia resurrectionis Domini nostri Iesu Christi, quam Ecclesia pijs omnibus meditandam nunc proponit, vt sit firmissimum cuilibet credenti testimonium suæ resurrectionis ac salutis, Huius igitur pia & salutaris consideratio, & omnibus ignitis telis diabolicarum tentationum, & quibuscunq́; spec-

speculationibus eorum, qui extra Ecclesiam, verbi diuinitus patefacti luce ac certitudine destituti, maximis versantur in errorum dubitationumq́; fluctibus, opponatur. Philosophiam princeps & Sol Philosophorum Plato, vt à Cicerone nominatur, inquit esse commentationem mortis, sed hæc ipsa sententia commentatrix seu meditatrix humanarum ærumnarum, dubitans, circumspectans, hæsitans, huc atq́; illuc sese versans atq́; torquens, nec in vlla parte sibi satis constans, tanquàm ratis in immenso mari gubernatore destituta vi tempestatum & agitatione quasi fluctuũ ita concutitur et obripitur, vtnunq̃ videatur portũ in quo sit acquietura prospicere, ne dum tenere & assequi posse. Sed aliud ferè nihil præstet, quàm quod vitam deplorando indignissimisq́; lamentationum querelis non paulò miseriorem efficit: Ecclesiæ verò credenti quòd Iesus sit Christus filius æternus æterni Dei, & quòd credentes habeant in nomine huius redemptoris vitam, sicut Iohannes Apostolus loquitur, huius ergò, secundum Paulinam consolationem vita et lætitia abscondita est cum Christo in Deo, propterea quod statuit τὸν ἀρχηγὸν τῆς ζωῆς non mansisse in morte, sed vt victorem mortis & inferorum potenter reuixisse, glorioſissimumq́;

triumphũ egisse de hostibus partim prorsus delctis, partim ita repressis & prostratis, vt paulò pòst funditus ac exitialiter perituri sint in tota æternitate, cum ingenti gloria ornabitur tota mole peccati & omnibus pœnis huius liberatum agmen electorum, quando videlicet, vt additur à Paulo, Christus apparuerit vita nostra, vt nos appareamus cum ipso in gloria. Interea beatos pronunciat scriptura morientes in Domino, quòd ad hos certò pertineat vitæ cœlestis atq; beatæ gloriosa & sempiterna hæreditas. Verùm vt semina humo condita nec proferunt sese rursus in lucẽ, nec fruges gignunt, nisi putrefacta prius atq; corrupta: Sic nec reuiuiscent nec glorificabuntur piorum corpora antequam morte resoluta & absumta, terræq; mandata seu humata & sepulta fuerint, Vt interea mollissimè fæliciterq; quiescant in spe lætissimæ resurrectionis, secuturæq; salutis seu beatitudinis sempiternæ. Quarum maximarum rerum dulcissimarumq; consolationum pia salutariq; cogitatione audimus erexisse, præparasse, & instruxisse se quasi viatico ad placidam fælicemq; migrationem ex hac mortali vita in cœlestem cum Christo resuscitato & gloriosè regnante, consuetudinem, honestum & eruditum doctrinæ studiosum adolescentem, IACOBVM MARtinum

TINVM Cotbusianum, qui cùm sub initium Mensis huius in febriculam incidisset, eaq; deinceps catharro ad pectus decumbente aucta atque confirmata vires corporis vniuersas absumsisset, heri placidè in agnitione atq; inuocatione assidua & ardenti Mediatoris nostri, ac triumphantis de morte victoris atq; Domini IESV CHRISTI, & vt scriptura loquitur, in Domino expirauit, cùm in aditu mortis subinde repetiuisset dictum Iohannis Apostoli, Sanguis IESV CHRISTI emundat nos ab omni peccato. Cum itaq; de talium salute, quos cum in Domino moriantur scriptura beatos pronunciat, minimè dubitandum sit, decet nos erga honestissimorũ studiorũ socios piè defunctos studiosè præstare ac declarare, quæ pro nostra parte singuli possumus humanitatis Christianæq; dilectionis officia, ac officiosa funerum deductione, cùm de pietate nostra erga Deum, tùm de certa spe immortalitatis ac vitæ æternæ, tùm de cura pijs precibus nos & posteritatem nostram DEO commendandi testimonium edere. Quæ vt fiant à pluribus quasi certatim, funerum ceremoniæ & institutæ sunt & conseruantur. Ideoq; scholasticos hortamur, vt hodiè hora XII. ante ædes Francisci Scribæ post ageris eam partem, quæ vicinior est plateæ quam

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-62-quod/start.htm?image=00000258

nouam nominant, sitas, vnde funus efferetur, conueniant, ibiq; & sese singuli, & Ecclesiam filij Dei & Academiam nostram ardentibus Deo votis commendent. Propositum postridie Georgij Martyris Anno 1565.

RECTOR ACADEMIÆ VVITEBERGENSIS IOHANNES Georgius Comes Solmensis &c.

AD diem perendinum, qui est Calend. Maij, more maiorum comitia habebuntur scholastica Rectori nouo creando, cuiusmodi hæc Schola congregat iam Dei beneficio centies vicies quater, per annos nimirum à fundatione sua sexaginta duos, qui complebuntur hoc semestri vertente, vt quæ sub autumnum, fauente Christo, comitia talia celebrabuntur climacterem constitutæ rei Scholasticæ incipiant decimum quintum, id est, annum huius sexagesimi tertium, in quo ambo climacterici numeri, septenarius & nouenarius, concurrunt (nam de nouies septem sexaginta tria confiunt) vt hac de causa hic climacter præ cæteris notari atque obseruari soleat: cum quidem ad mutationem rerum omnium magnam vim habere vniuersi clima-

cteres putentur, Et longi temporis experientia docet, euentus in hos incidere tàm hominum in vita, quam rerumpublicarum durationc, & vtrorumq; statu & fortunis memorabiles. Quibuscunq; de causis id fiat, cùm temerè fieri barbarum sit dicere, haud scio an & profanum. Vt tamen contra communem & manifestam experientiam minus momenti habere credatur illa numerorum obseruatio: (de qua et nos minimè superstitiosè sentimus & sentiri voluerus) nimis tamen multæ causæ sunt aliæ, quæ spem bonã de vero cultu studiorũ pietatis & huic seruientium literarum debilitent. Furore & leuitate referta sunt omnia, & vulgo neq; virtus neq; fides colitur, neq; veritas quæritur. Itaq; ad quamcunq; partem Reipub. oculos conuertamus, mala cumulari cernimus, vt in summo discrimine versetur vniuersa. Germaniæ status ante oculos est: Huic vicina regna aliquanto calamitosiora sunt: Turcica classis imminet Hispaniæ & Italiæ tanta, vt ad sexaginta millia hominũ aduebere dicatur, & viginti millia remigum, qui sunt bellatores etiã ipsi. Inter hæc igitur spei an metus plus esse possit, vnusquisq; experitur qui præsentem statũ considerat. Hæc verò & precum studium & officij curam in nobis excitent. Sicut enim ille apud

Homerum dicit: Optimum augurium esse pugnare pro patria: ita suo loco vnumquenq; fideliter obire atq; exequi ea ad quæ diuinitus vocatur rectißimum est, quicquid fiat aut impendeat. Atq; agamus Deo gratias toto pectore, quòd in his terris & schola nostra hactenus conseruat lucem doctrinæ suæ, & necessaria Ecclesiæ & Reipub: studia, & quòd Principem nobis largitur intelligentem & amantem studiorum nostrorum, & erga hanc Academiam ita affectum, itaq; beneficum, vt tanquam alter parens huius haberi possit. Et oremus Filium DEI *Dominum nostrum Iesum Christum, vt hæc bona & Ecclesiæ suæ & Reipub. benignè conseruet etiam deinceps, & mitiget ærumnas, & protegat atq; defendat paruulum & imbecillem cœtum Ecclesiæ suæ, imprimis scholas pias, quæ præcipua pars sunt Ecclesiæ: Neq; deficere patiatur, qui vtiliter præsint studijs & disciplinæ. Hæc & similia cùm precemur & precari debeamus in conuentibus nostris, mandamus vniuersis ditioni scholasticæ subiectis, vt ad indicatum die comitiorum nostrorũ horã VI. in æde arcis conueniant, & pro se quisq; rem scholasticam & gubernationem huius Deo commendet, & renunciationem Rectoris noui placidè expectet. P. P. 3. Calend. Maij.*

Rector

RECTOR ACADEMIÆ VVITEBERGENSIS IOHANNES Georgius Comes Solmensis &c.

CELEBRANS viros doctos & religiosos Siracides, promittit talibus memoriam nominis sempiternam, & fore scribit, vt sapientia ipsorum in ore sit populorum multorum, & laudes publicè celebrentur. Hi sunt, qui inquirunt omnem sapientiam veterum, & in declaratione arcanorum occupantur, & obscura explicant, quorum opera spectatur à principibus & ducibus, qui vsu rerum præstant, Qui vacant pietati erga Deum sine mora, & religiosam inuocationem exercent, & suis & aliorum delictis veniam orant apud altißimum, Tales viri completi diuinitus Spiritu sapientiæ, tanquam imbres emittunt doctrinæ sapientis & piæ, vt sint humanarum & diuinarum rerum interpretes, & Dominus laboribus ipsorum benedicit. Ex hoc igitur genere qui est, de eo sapiens Hebræus scribit: ἀινέσουσι τὴν σοφίαν αὐτοῦ πολλοὶ, καὶ ἕως τοῦ αἰῶνος οὐκ ἐξαλειφθήσεται. Ἀποσήσεται τὸ μνημόσυνον αὐτοῦ, καὶ τὸ ὄνομα αὐτοῦ ζήσεται εἰς γενεὰς γενεῶν, τὴν σοφίαν αὐτοῦ διηγήσεται ἔθνη,

καὶ τὸν ἔπαινον αὐτοῦ ἐξαγγελεῖ ἐκκλησία. *Verè autem virum talem fuisse D. Philippum Melanthonem, cuius pietas, sapientia, doctrina, virtus, inter nostri seculi homines eminuerit, & libri eius testes sunt luculenti, & docere possunt omnes quibus publicè & priuatim notus fuit, qui non huius nostræ atq; ita vnius scholæ tantùm, sed omnium vbiq; pietatis virtutisq; & bonarum artium studiosorum Præceptor summus fuit. Itaq; huius etiam nomen venerabile est bonis & pijs omnibus, & ab his sanctissimè colitur vbiq; terrarum memoria ipsius, & vt spes est indubitata, coletur etiam deinceps, quamdiu religio vera, & doctrina in terris erit aliqua. Et complebitur in hoc etiam, quod Siracides talibus viris promittit, cùm quidem diuinitus hæc quasi merces in terris constituatur de Ecclesia Christi & societate hominum benè meritis, vt nomen horum celebretur. Quid enim percipiunt mortui pro laboribus & meritis, quàm sepulturæ honorem, & memoriam gloriosam, & desiderium sui? quæ est apud doctos scriptorum & nominis immortalitas terrena quædam.*

Et his igitur & certis de causis alijs, tàm veterum in Ecclesia, καὶ τῶν ἔξω *sapientum, quàm nostrorum hominum exempla & doctri-*

1565

doctrinam, atq; pietatem deniq; ipsam sequens Academia nostra, anniuersaria oratione huius viri beneficia atq; merita erga se & Rempub. celebrat, ad gratam memoriam hoc etiam modo præstandam mortuo, & superstitum mutiplicē instructionē, Præsertim cùm præ cæteris locis & hominibus hæc schola sapientiæ & virtutis ipsius fructus perceperit vberrimos. Huic facto nostro cum ad pios & bonos patrocinio non sit opus, sed laudem potius apud tales vniuersos & luculentam quidem reperiat, Improborum sermonibus, qui pietati huic nostræ obtrectant, & maliciosissimis interpretationibus rem infamare conantur, moueri non debemus, Et ostendunt illi ipsi, sobolem se esse barbaram, superbam, ingratam, inuidam, & quibus nisi quod ipsi faciant nihil placeat. Sicut autem ἔξαρχος *nobis extitit anniuersariæ memoriæ talis vnus ex præstantissimis nostri temporis Poëtis, & veterum laudi proximus D. Iohannes Maior V. CL. Ita non defatigantur sanctissimæ Musæ ipsius in hac opera pietatis erga Doctorem Ecclesiæ Christi & Præceptorem carissimum, atq; nunc quintùm ei Parentalia apparant cultissimorum carminum suorum. Est autem in operibus Musarum &* ἐγκωμιαστικὸν *genus carminis, quod celebrat* κλέος ἀνδρῶν, *&*

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-62-quod/start.htm?image=00000261

& θρηνητικὸν, quæ Poëta noster ita vsurpare solet, vt misceat his simul & pœanicum (quo genere complexi videntur, quidquid ad religionem pertinet) & σωφρονιστικὸν. Sed cum hactenus ea die, qua ex hac vita euocatus fuit, anniuersaria celebratio nostra D. Philippi Melanthonis haberi cõsueuerit, hoc anno impedita res fuit, et in diem ab hodierno quartũ reiecta.

Etsi autem sua sponte omnes libenter & cupidè ad optimi Poëtæ optimos Versus audiendos conuenturos esse existimamus, vt tempus recitationis futuræ indicari satis sit, Tamen hortamur etiam vniuersos nostros, vt ad diem quartum huius mensis, H. IX. in Schola maxima orationi anniuersariæ interesse velint, & frequentia sua rem cohonestare, vt pietatem atque reuerentiam suam erga beneficos & salutares Ecclesiæ & Reipub. viros, tàm viuos quàm mortuos, hoc etiam modo declarent. P P. Calend. Maij.

EPIGRAMMA DE LVCRETIA.

SItibi fortè fuit Lucretia gratus adulter
Immeritò ex merita præmia morte petis.
Sin potius casto vis est illata pudori
Quis furor est hostis crimine velle mori?

Frustra

Frustra igitur laudem captas Lucretia, namq́;
Vel furiosa ruis vel scelerata cadis.

T. B.

IDEM GRÆCE.

Εἰ πέ μοι ὦ χαρίεσσα γύναι ποτε κολλατίνου
τί κτάνες αὐτὴ σεῦ χειρί σε καὶ ξίφεϊ.
Εἰ γὰρ ἔην θυμῷ μοιχὸς φίλος, ἐκ θανάτοιο
οὐκ ἀδίκου ἀδίκως εὐδοκιμεῖν ἐθέλεις.
Εἰ δ' αὖ σοι βίην προσενέγκατο, ἦ μανίη ἐστι
ἐχθροῦ τεθνάμεναι πῆμα δι' ἀντίβιον.
Ὦ ῥα μάτην ζητεῖς κλέος ἐν θνητοῖσιν, ἐπειδή
ἢ ἀδίκημ' ἐστὶν σεῦ μόρος ἢ μανίη.

Simon Stein.

IDEM ALIO MODO CONVERSVM MVTATO carminis genere.

Εἰ σοί φίλος τάχ' ἔσκε
Λουκρητίη ὁ μοιχός
Ἐκ τοῦ μόρου δικαίου
ζητεῖς κακῶς ἔπαινον
Εἰ δ' ἔμπαλιν σε βίη
Ἀναγκάσασχ' ἁμαρτεῖν
τίς δή ποτ' ἐστὶ λύσσα

δι'

δι' αἰτίην τοι ἐχθρῶ
πότμῳ θανεῖν ἀεικεῖ,
μάτην ἀρ' οὖν κλέος σοι
ζητεῖς ἐνὶ βροτοῖσιν
μόρος γὰρ ἐστὶν ἤτοι
ἀδίκημα ἠὲ λύσσα.

RESPONSIO LVCRETIÆ.

οὔτ' ἀλιτραίνουσαν φάιη μέτις οὔτε φρένεσσι
μαινόμενην. αἰδοῦς κτεῖνε με δυσυχίη
οὔτε γὰρ ὀφθῆναι ἄλλαις ὑπέμεινα γάναιξιν
ζῶντας ὁμοῦ μούνη ἄνδρας ἔχουσα δύο.

RECTOR ET CONSILIVM PVBLICVM ACADEMIÆ VVitebergensis.

LEGEM de non facienda cæde sæpè repetiuit Deus disertis verbis, cum atrocissimis comminationibus: qualis illa est in Genesi, qui fuderit humanum sanguinem, fundetur sanguis illius per hominem: & tanta seueritate tuetur & exequitur, vt ne bestijs quidem parcat, si homines læserint, serpentes si hominem sauciarunt, constat à terra non recipi, ideò exclusi ab vsitatis latebris, ceu in vago exilio, eò vsque obrepunt & vagantur supra terram, donec interficiantur. Addidit & signa cadaueribus, vt coagulatus in cadauere sanguis, ad

ad contactum homicidæ ceu reuiuiscens atque exæstuans, vel feruore vel eruptione indicet autorē cædis, si ignoretur. Nuper in vicina vrbe Torga nouo & nunquam antea animaduerso signo cadauer quoddā homicidam prodidit, Cùm enim is manum admouisset, non è vulnere scaturijt sanguis, sed cadauer manifesto labiorū motu ac strepitu iterū atq; iterū repetito sic demonstrauit autorem cædis, tanquam cum eo expostularet de iniustè illata violentia. Hæc signa nec causas physicas habent, nec casu eueniunt, sed diuinitus circundata sunt naturæ hominum, quos & condidit & propter Filium in gratiam recepit, atq; restituit Deus, vt essent templa totius diuinitatis in hac & futura vita. Scelus summū esse censetur, si quis templa & aras hominū manu factas deuastet aut violet: Quanto atrocius scelus est, destruere aut mutilare, aut polluere viua Dei templa, quæ ad Dei imaginē condita, et deinde preciosissimo sanguine filij Dei redempta sunt vt quæ peccato corrupta fuit imago Dei Spiritus sancti ope restituta, Archetypo rursus conformaretur, Nec signa tantùm cadaueribus addidit Deus, sed cordibus homicidarum impressit furias cædium vltrices, quæ illos quiescere nunquam sinunt, & vbiq; trepidare, omnia metuere cogunt inter assiduos

aßiduos ac perpetuos cõſcientiæ cruciatus, quod cùm intellexiſſet ſapiens antiquitas apud gentes humaniores, ne quidẽ fortuitas cædes impunitas reliquit. Nã veteribus Græcis legibus is etiam, qui fortuitã cædẽ fecerat, arcebatur à communibus ſacris et conſuetudine hominũ, ac exulare cogebatur circumferens ſigna reatus, quæ pollutum ipſum eſſe & propterea fugiendum monebant, nec admittebatur rurſus ad conſortia & commercia ſacrorum & ciuilium officiorum, niſi poſt deſtinati temporis exilia certo ritu expiatus eſſet. Non ſimus ergò in Eccleſia indulgentiores in homicidas aut violentos graſſatores, quàm fuerunt Ethnici. Quare cùm N. N. N. inflixerit vulgus letale N. N. N. etſi vulneratus Dei beneficio ſeruatus eſt: tamen N. N. propter iniuſtam & graſſatricem violentiam noctu vſurpatam, & quod tali violentiæ contumaciã addidit ac periurium, cùm publicè reuocatus in Academiam ac legitimè citatus ad dicendam cauſam non comparuit, præfinito tempore, ac ne poſtea quidem, tribus iam ſeptimanis à die illo, qui fuerat huic cognitioni deſtinatus, elapſis, contumacis abſentiæ ſuæ ſpretæq; iuriſiurandi religionis vllam rationem, ſi modo ſcelerati furoris vlla poteſt reddi ratio, nobis indicari curauit. Propter has igitur

igitur cauſas excludimus eum in perpetuum à corpore Academiæ, & pronunciamus eum infamem. Magiſtratus verò illorũ locorum vbi verſabitur obteſtamur, ne tale κάθαγμα iniuſtè pollutum ſanguine humano tolerent, niſi ſatisfecerit & læſo, & Magiſtratui vbi peccauit: ne pœnarum, quæ illam propter immotam iuſtitiæ diuinæ regulam vrgent, coarctant, ac perſequuntur, plures alij in eodem cœtu participes reddantur.

Addimus & hoc. Cùm ex leuiſſimis cauſis diſſidia extiterint apud nos inter homines nobiles duarum gentium, quæ in odia excreuerunt penè capitalia, nos pro autoritate ab Illuſtriß: Principe Electore Domino noſtro clementiß: nobis attributa, & pro ratione officij noſtri, proq; paterna cura, quam ſingulis huius Academiæ membris debemus, fideliter monemus ac paternè hortamur illos iurisdictioni noſtræ ſubiectos & in familijs claris atq; nobilibus natos iuuenes, vt aliquando cogitare ac perpendere incipiant, quæ ipſorum ordinem nataliumq; ſplendorem deceant ac ornent, ſcilicet, non vt ipſi barbaricè tumultuentur ſed vt Cyclopicè ac ſeditioſè tumultuantes legitimè reprimant, & intelligant, exerceant atq; defendant pietatem & iuſticiam, colantq; ac tue-

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-62-quod/start.htm?image=00000264

antur vnà nobiſcum pacem & tranquillitatem publicam, deniq; reuerenter ac modeſtè legibus ac Magiſtratui publico pareant. Quæ cùm pleroſq; non degenerantes à maiorum ſuorum virtute atq; præſtantia facturos eſſe confidamus, cæteris contumacibus & inſanabilibus hoc publico ſcripto ſignificamus, niſi quieuerint, nos auxilio Illuſtriſſ: Principis Electoris alia, & quidem tumultuatoribus illis minimè grata remedia tentaturos eſſe. Calend. Maij.
Anno 1565.

Rectora-

RECTORATVS GENEROSI ET NOBILIS D. D. SIGISMVNDI LVDOVICI Auſtriæ Baronis à Polhaim ac Domini in VVartenburg &c. à Calendis Maij vſq; ad 5. Calend: Nouembris Anno 1565.

RECTOR ET CONSILIVM PVBLICVM ACADEMIÆ VVitebergenſis.

MAGISTRATVS ſcholaſticus & Magiſtratus eſt, & præ omnibus aliis paternus quidam Magiſtratus, vt quod contra hunc committitur, duplicem impietatem complectatur. Etſi autem Magiſtratui obedientia debetur propter conſcientiam: tamen impietatis etiam & contumaciæ eius, quæ contra parentes exercetur, vltrix eſt dira Erinnys, ſecundum veteris Poëtæ verſum. Plenæ ſunt exemplorum hiſtoriæ, & communis vita nimis multa quotidiè ſuppeditat, in quibus & quod hac nocte de N. N. N. factum eſt, conſiderandum publicè proponimus. Qui ante hoc tempus &

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-62-quod/start.htm?image=00000265

alia contumaciter & per contemptum Magistratus scholastici & fecit & locutus est, & à Consistorio Ecclesiastico Illustrissimi Principis nostri aliquoties citatus ad dicendã causam, cùm in oppido esset, sistere se iudicio omisit. Propter quam contumaciam cum petente nominato Consistorio pro concessa ei ab Illustrissimo Principe Electore hac in parte potestate, Rectoris nomine in carcerem ire iuberetur, sine vlla prouocatione hoc non fecit, vt reipsa Magistratum nostrum se non agnoscere ostenderit. Quod igitur hoc modo ipse se communitate nostra excluderet, consilium Academiæ nomen huius N. ad eos, qui Illustrissimi Principis loco in hac vrbe præsident, & ad oppidanum Magistratum detulit, quem pro suo non posset agnoscere, neq; inter Scholasticos censere. Et hoc ipso alienæ potestati eum subiecit. Quare cum hac nocte in custodiam venerit Illustriss: Principis, & in hac iam teneatur, propter spem redditurum eum ad sanitatẽ, & certa de causa alia, in præsentia scholasticis significamus, quòd de hoc N. à Magistratu, qui eum in vincula coniecit, factum sit, nobis permittentibus factum esse, Et quanquam, quousq; à nobis processum sit, facile ab omnibus intelligitur, ita tamen animati sumus, vt quantum fieri potest, publica exclusione nondum

dum enim infamare velimus, si fortè resipiscens culpam agnoscat, & eo modo, quo par est, consilio nostro satisfaciat, ne exemplo eius quisquam deinceps quicquam tale, spe impunitatis, audeat. Quicunq; verò vel huius causa, vel alio quocunq; modò, nunc aut deinceps, quicquam contra quietem publicam molietur, cuiuscunq; loci aut ordinis fuerit, eius conatus vt ope atq; autoritate Illustrissimi Principis Electoris reprimantur, opera dabitur, cum nostra paterna imperia contemni iam pridem sentiamus, Ne contumacia aduersus Magistratum legitimum & intoleranda petulantia atq; impuritas diutius feratur, aut impunita maneat. hoc omnes scire & sibi vnumquemq; cauere volumus. P. P. 5. Idus Maij.

RECTOR ACADEMIÆ VVITEBERGENSIS SIGISmundus Ludouicus Baro Austriæ à Polhaim &c.

HERI sub noctem ex huius vitæ tenebris & miserijs traductus est in æternam lucem & quietem iuuenis excellens ingenio & doctrina SEBASTIANVS RVRERVS Onoltzbachensis, cum morbo diuturno ac tabe

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-62-quod/start.htm?image=00000266

esset consumptus, & ipse se ad hanc migrationẽ multò antè assiduo pietatis studio et ardenti invocatione Dei præparasset. Ita enim expirauit, vt accensam esse in eo per Spiritum sanctum veram doctrinæ cœlestis lucem, veram fidem et lætitiam in Deo acquiescentem, quæ initium est vitæ æternæ, omnes astantes animaduerterent. Nec cupiebat ille aliud quicquam, quàm ex hoc hospitio quamprimum migrare in cœlestem & veram patriam, in qua conspectu ac consuetudine filij Dei & Sanctorum omnium frueretur. Etsi autem gratulanda est hæc fœlicitas Sebastiano, qui miseris huius vitæ ereptus, in hac ætate patriam repetit, ad quam nos quoq; assiduis gemitibus aspiramus: tamen Ecclesiæ casa dolemus plurimum, quæ tali viro orbata est, cuius ingenium atq; industria magno vsui rebus afflictis esse poterat. Vixerat in hac Academia annos nouem sumptibus Illustrissimi Principis Georgij Friderici, Marchionis Brandeburgensis &c. qui magna ac Principe digna liberalitate studia doctrinarum fouet, & exemplo patris sui Illustrissimi Principis Domini Georgij, verus est Ecclesiæ nutritius. Huius ergò liberalitate ac munificentia excitatus, totum illud tempus, quod sibi ad studia literarum & doctrinæ cœlestis cognitionem concedi, magna cum

cum voluptate et grati animi significatione sæpè prædicabat, ita collocarat, vt si vitam ei longiorem Deus concessisset, egregiæ suæ liberalitatis præmia ac fructus Princeps illustrissimus, & tota Ecclesia Francica ab eo recepta fuisset. Erat enim in eo eruditio excellens, & pietas cum morum honestate ac grauitate coniuncta, & quod norunt multi, ardebat studio iuuandi pios Ecclesiæ labores. Ac nos quidem magna in spe eramus, fore vt aliquando in locum patris sui viri optimi Georgij Rureri suffectus, Ecclesiam, quam ille primus in illis regionibus sparsa Euangelij voce magno suo cum periculo & vitæ discrimine, sub mitium repurgatæ cœlestis doctrinæ plantauerat, deinceps sana doctrina rigaret & pasceret, atq; ita Principi & patriæ suæ εὐαγγελίῳ abunde persolueret, sed quia aliter Deo visum est, nos quidem & reliquos omnes quibus carus fuit, dolorem ac luctum moderari, ac simul huius iuuenis immatura morte, ad considerationem humanæ infirmitatis, atque æternæ vitæ desiderium excitari decet, atq; inter has cogitationes & vota simul rogandus est Deus, ne studia doctrinæ cœlestis & aliarum bonarum artium, sublatis passim præstantibus ingenijs, extingui sinat. Quod facient hodie scholastici in funere,

ad quod deducendum, vt hora quarta, ad ædes hospitis ipsius è regione ædiũ viri clarissimi D. Iohannis Schneideuuein frequentes cõueniant, omnes hortamur. Die 19. Maij, Anno 1565.

IOACHIMVS A BEVST

I. V. DOCTOR ET PROFESSOR in Academia VVitebergensi Lecturis S.

IVSTINIANVS Imperator eo in loco quo refert Ius antiquum, quod fuerat per annos mille & quingentos penè confusum, à se in ordinem redactum esse, inter alia commemorat à Veteribus Iureconsultis duo millia librorum conscripta & plus quàm trecies centena millia versuum effusa fuisse. Quæ res haud dubie multorum illustria ingenia, partim varietate & perplexitate rerum, partim diffidentia ab hoc studio deterruit & auertit. Ne autem in tam immenso pelago lector sine portu perpetuo nauigaret Opt: Princeps in tanta legum multitudine totum Romanorum Ius, quod quasi in profundo mari submersum, & sine ordine confusum iacebat, recollegit, & in quinquaginta pandectarum libros, qui hodie extant, digessit. Ex quibus maiores nostri non abstrusas & inusita-

tas, sed in foro vtiles materias deligendas & auditoribus in Scholis proponendas esse grauiter censuerunt. Quo consilio & ego adductus, hactenus solennem Titul. DE REB. CRED. SI CERT. PET. in hac Academia publicè explicaui, in quo multa cognitione dignissima ab interpretib. legum annotata, & à nobis, vt spero, mediocriter enarrata sunt. Nunc Christo fauente in manus sumemus explicandam insignẽ materiam IVRIS IVRANDI: Cuius in vtroq; foro tàm Ciuili quàm Ecclesiastico vsus est maximus, quod norunt hi qui vel mediocriter saltem in controuersijs dijudicandis versati sunt. Nec moror hic peruersa iudicia fanaticorum hominum, qui omnino iurandum non esse contendunt: Iuramenti enim vsum non tantùm humano, sed & Iure diuino concessum esse manifestius est quàm vt à quoquam in dubium reuocari debeat, quod & dictæ Scripturæ testantur: Per nomen eius iurabis. Item omnis controuersiæ finis est Iusiurandum. Sane sapiens vetustas ad astringendam fidem nullum vinculum arctius esse Iureiurando voluit. Vnde Romani CENSORES de nulla re diligentius quàm de Iureiurando, teste Cicerone, iudicabant. Constat ergo Iurisiurandi religionem qua vel ex conuentione ipsorum litiga-

tigatorum, vel ex autoritate Iudicis controuersiæ deciduntur, legum & politici ordinis neruum esse præcipuum. Sicut autem posteritas eorum qui in religione iurisiurandi diuini nominis reuerentiam tuentur felicior erit, iuxta versum:

Ἀνδρὸς ἐυόρκου γενεὴ μετόπισθεν ἀμείνων.

hoc est, vt nos quidem reddidimus:
Posteritas hominis rectè iurantis ouabit.

Sic periurij pœna non tantùm ipsos tenet authores, sed & in omnem ipsorum posteritatem redundare solet. De Philippo rege Macedoniæ Pausanias prodidit, posteritatem eius ideò penitus interijsse, quòd ipse pactorum fidem non seruarit, & religionem Iurisiurandi contempserit. Et quanquam in hac vita Deus interdum pœnam differat, tamen moram tandem supplicij grauitate compensat, vt in Tibulli versibus dicitur:

Ah miser & si quis primo periuria celat,
Sera tamen tacitis pœna venit pedibus.

χαλεπὸν γὰρ λαβεῖν θεὸν ἄνδρα ἐπίορκον.

secundum Polybium.

Nota est tristis & miserabilis clades ad Varnam: quæ Anno 1444. illata est Christianis, cum Ladislaus instinctu Eugenij Pontificis,

rupto fœdere bellum mouisset Amurathi Turco. Memimimus & nostra ætate iudicij diuini memorabile exemplum accidisse. In Cattorum ditione inuenta fuit manus dextra periuri cuiusdam, ea per annos octo & viginti in sepulchro iacens, cùm totum reliquum corpus consumptum & in puluerem redactum fuisset, sola dextra, qua peierarat, putrescere non potuerat, sed incorrupta manserat, & fuerant digiti formati in modum iurantis, qui cùm aliter inflecterentur, in illam formam statim redierant, adhæserant & tendines & nerui, quibus pollex & proximi duo digiti extenduntur integri, cæteris consumptis, ea manus à Cattorum principe huc ad Reuerendæ memoriæ doctorem LVTHERVM *& reliquos doctrinæ de Deo in hac Academia Professores transmissa fuit. Quæres, tanquam prodigij plena, haud dubiè sine horrore spectari non potuit. Compertum & hoc est, peierantibus aliquando erectos digitos interiurandum obriguisse, vt refutato diuinitus mendacio patefieret veritas. Non igitur Iuramenta temerè, sed magna cum sanctimonia deferri & suscipi debent. Habet enim (vt alibi inquit Imperator) Iurisiurandi contempta religio* DEVM *vltorem. Quare Scholasticos ad cognoscendam hanc Iuris*

Iuris partem inuitare debebat, non illud tantùm quod vsum ea habet & vtilitatem in iudicijs maximam, verumetiam quod offert & ob oculos ponit exempla insignia iræ & iudicij diuini, & commonefacit nos vt horum contemplatione discamus metuere vindictam Dei, & vitæ rationem instituere conformem præceptis diuinis. Quò autem magis insignis & necessaria hæc est materia, eò maius studium & assiduitatem ad eam explicandam Deo iuuante afferemus, idq; vt faciamus maiore contentione, non tantùm officij nostri ratio monet, sed exigit etiam & flagitat munificentia Illustrissimi Principis AVGVSTI, *Ducis Saxoniæ Electoris &c. Domini nostri clementissimi, qui cùm intelligat quantam minitentur ruinam optimarum artium ac doctrinarum studia hoc infœlici seculo nostro, maiore cura prouidet ac præstat vt Scholæ conseruentur & floreant. Et vt acrius & maiore frequentia atq; assiduitate prælectionum, studia doctrinæ legum vrgeantur, nuper ampliora præmia docentibus constituit, cumulans priores accessiones præclaro nouo auctario, Qua munificentia, quia cum Veterib: Regib: certat, quorum pleroſq; ingenij excellentia & virtutum amplitudine sinceræ religionis amore & cura superat, agnoscamus regi*

1565

regi eum atq; gubernari diuinitus, & salutem pientissimi Principis votis ardentibus Deo commendemus. Auspicabor autem statim post mercatum Lipsicum ad diem Iouis, quæ erit 24. Maij, Hora tertia Pomeridiana in loco consueto. Anno 1565.

THEOLOGIÆ STVDIOSIS.

VSITATVM *ac prudenter constitutum est, vt hoc tempore, tùm in Ecclesijs, tùm in scholis enarretur Psalmus Sexagesimus Octauus Dauidis: Exurgat Deus & dissipentur inimici eius &c. qui inter cæteros & rerum pondere, & verborum ac figurarum luminibus antecellit, & locos doctrinæ præcipuos ac cognitu necessarios complectitur, videlicet: De perpetua defensione & conseruatione Ecclesiæ, De missione & aduentu filij Dei & eius beneficijs. De æterno eius regno & sacerdotio. De lege in monte Sinai, cum horribili specie promulgata & de eius effectu. De larga & fœcundissima Euangelij pluuia, per Spiritum sanctum in Apostolos atq; adeo totam Ecclesiam omnium temporum multis ærumnis laborantem, & quasi afflictionum æstu exiccatã effusa.*

De

De bellis & victorijs regis Christi, & de gloriosa eius resurrectione. De missione Apostolorum in totum terrarum orbem, ac regni Christi propagatione. De ascensione Christi ad cœlos, & eius magnifico triumpho. De cruce Ecclesiæ & eius liberatione. De excidio Ierosolymæ. De triumphali pompa Christi & Apostolorum, ac totius Ecclesiæ, quam affirmat perpetuò mansuram, vt vt fera arundinis Diabolus fremat, vt vt tauri hostes Euangelij, Reges & principes in miseram Ecclesiam sæuiant, habituram tamen defensionem & hospitium ac fœlices successus, sicut in fine inquit: Mirabilis Deus in sanctis suis, ipse est Deus Israel, dabit virtutem & fortitudinem plebi, benedictus Deus. Huius igitur Psalmi vberrimã doctrinã & consolationes dulcissimas continentis, enarrationem, cras hora tertia in auditorio Professorum artis Medicæ, Deo iuuante ordiemur.

Georgius Maior D.

IN PRÆLECTIONEM GRAMMATICES HEbrææ Munsteri.

VERE ac sapienter dictum est à Plutarcho: τοὺς μὴ μανθάνοντας ὀρθῶς ἀκούειν ὀνομάτων κακῶς χρῆσθαι καὶ τοῖς πράγμασιν.

μασιν. Fieri enim non potest, quin sæpè multumq; à veritate discedatur & res multipliciter inuoluantur ac deprauentur, cùm sermonis proprietas negligitur. Idq; superioris sæculi barbaries docet manifestè. Quàm multa enim sunt deprauata in omnib. artibus, quæ nunc non sine maximo labore ab hominibus doctis repurgantur & restituuntur, atq; vt reliqua omittam, in doctrina Ecclesiæ quantum fuit errorũ & deprauationum, quæ non aliunde ferè, quàm ex inscitia linguæ Ebrææ & Græcæ sunt orta? Doctrina iustificationis cùm esset plana et perspicua, & Apostoli Pauli scriptis ita illustrata, vt homini pio & sano dubium de ea relinqui nõ posset, homines indocti et prophani cùm quid vocabulum Iustificationis significaret Ebrais, nescirent, eò audaciæ atq; impietatis prolapsi sunt, vt in doctrina illa, Iustificationem non aliter quàm de infusione nouarũ qualitatũ, qua homo iustus esset apud Deũ, interpretarentur, atq; ita fundamentũ totius doctrinæ Christianæ euerterent, in versione verò sacrorũ Bibliorũ, quantũ est obscuritatis, quantũ hallucinationum? quas interdum peperit linguæ Ebrææ inscitia, interdum quædã (vt sic dicã) somnolentia in discernendis literis cognatis, & dictionibus ac sententijs ritè vel coniungendis vel distinguendis.

Inter-

Interdum etiam cùm rectè reddita essent vocabula Ebræa, inscitia Monachorũ alia vocabula aliena à sententia scriptorum Biblicorum irrepserunt, quæ postea retenta atq; vsu confirmata inepras pepererunt interpretationes, vt Iudæis Christiani nominis hostibus, magnam calumniandi doctrinã nostram præbuerint occasionem. Apud Salomonẽ in prouerbijs legitur, Pondus & statera iudicia Domini sunt, & opera eius omnes lapides sacculi, Id quidam scioli ignarus Ebrææ linguæ mutandum esse iudicauit, ne oratio, vt ille existimabat, videretur absurda, si omnes lapides in vnum sæculum colligi dicerentur, itaq; pro voce sæculi substituit sæculi. Talia exempla legenti in sacris literis occurrunt penè infinita, quæ dum legimus excitari nos primùm ad considerationẽ magnitudinis beneficij diuini, quod nobis in restitutione doctrinæ cœlestis & aliarũ artiũ contigit, et ad debitam gratitudinẽ Deo præstandã, deinde & ad studiũ tuendæ & conseruandæ atq; ad posteros transmittendæ veritatis iterũ patefactæ decebat. Cùm autẽ doctrinæ cœlestis puritas sine linguæ Ebrææ et Græcæ cognitione conseruari nõ possit, studia harũ quantũ fieri omnino potest, in scholis conseruare studemus, & auditores ad has discendas ac magnifaciendas sæpè inuitamus.

mus. Vt igitur his qui Theologiæ studio animum hoc tempore adiecerunt, aditum ad inspiciendos & consulendos fontes Ebræos præbeamus, rursus, Deo iuuante, repetemus præcepta Grammaticæ Ebrææ, quæ collecta sunt à Sebastiano Munstero, in opere, quod sic nominat, consumato. Huic repetitioni biduum tribuemus, & die Iouis hora secunda eam prælectionem auspicabimur, in interpretatione verò Psalmorum pergam die Martis.

Henricus Mollerus Hamburgensis.

IN SEXTI LIBRI HOMERI PRÆLECTIONEM.

Hoc biduo non sum prælecturus, quia ex auditoribus pleriq; adhuc propter tardam solutionem in mercatu absunt, sed ad diem Iouis proximum, Deo clementer iuuante, auspicabimur interpretationem sexti libri Odysseæ Homeri, qui liber præcedentes vincit splendore & suauitate. Nam de Homero verissimè cecinit Horatius:

Non fumũ ex fulgore, sed ex fumo dare lucem
Cogitat.

Fecit enim Homerus quod omnes summi

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-62-quod/start.htm?image=00000272

artifices solent, qui non statim prima fronte magnificè promittunt, neq; vires suas sicut mali pugiles in primo congressu temerè effundunt, sed reseruant in recessu quæ meliora & illustriora sunt, vt, sicut idem dicit, Speciosa deinc mirandaq; promant, Ita quo longius aliquis in lectione Homeri procedit, eò plura occurrunt, quibus delectetur, quæq; miretur. Nam antiquissimi scriptores planè Sileni sunt Alcibiadis, qui primo aspectu, propter simplicitatem et vetustatem tenues & exiles apparent, in recessu verò quiddam diuinum & sacrosanctum reconditum habent, vt quod de virtute dixit Hesiodus ἡμίσυ παντὸς τὸ πρῶτον, *idem de omnibus id genus scriptoribus, præcipuè verò de Homero rectissimè dici possit. Gratulemur igitur nobis, quod ea, quæ videbantur horridiora iam superauimus: Nunc paulatim lætior & amænior campus aperietur. In hoc libro sexto habebimus illam dulcissimam & speciosissimam orationem Vlyssis ad virginem regiam Nausicaam, Quo ex loco Maro noster, suum illum illustrem locum extruxit. O regina nouam cui condere Iupiter vrbem Iustitiaq; dedit populos frenare superbos, & quæ sequuntur &c. Ergo amemus Homerum patrem & perennem fontem omnis humanioris & suauioris do-*

ctrinæ & fruamur hac fœlicitate longè maxima, Atq; æterno Deo, Patri Domini nostri Iesu Christi, iugiter gratias agamus, qui infinita & inexhausta bonitate hæc sua dona nobis per tot secula ab interitu & ruina vindicauit, & ad nostram vsq; ætatem, atq; hanc extremam & decrepitam mundi senectam conseruauit. Hoc enim euidentissimum est testimonium paternæ ipsius erga nos pietatis & amoris. Ipsi vni gloria sit & honor in Christo & per Christum in omnem æternitatem, Amen 13. Calend. Iunij.

Vitus VVinsemius senior.

RECTOR ACADEMIÆ VVITEBERGENSIS SIGISMVNdus Ludouicus Baro à Polhaim.

REDIT *tempus, quo decreto consilij publici Academiæ huius, circummittendi sunt, qui eleemosynas colligant valetudinario scholasticorum, quod nos etiam, sicut par est, his diebus & fieri curabimus, & ita curare cupimus, vt opera nauetur, & quàm maximè fructuosa fiat collectio pauperibus nostris, quibus vel iam hac opus est, aut erit deinceps. Hoc verò totum in vestra pietate, benignitate atq; humanitate positum est, qui in communitate hac scho-*

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-62-quod/start.htm?image=00000273

lastica viuitis, Atq; sæpè iam propositæ sunt ex doctrina Christiana commonefactiones de dilectione & beneficentia, quam debemus inter nos vniuersis nobis, inprimis ijs, qui occulto iudicio Dei vel nullis vel tenuioribus sunt facultatibus, & cum morbis & alijs huius vitæ miserijs conflictantes, opera & ope nostra maximè indigent, quam dilectio præcipuam quandam quasi materiam habet in qua se exerceat, Et hac etiam de causa aliqui in Ecclesia diuites sunt, ne desint per quos indigentibus succurratur. Sic enim nunc vita est, vt in calamitibus illustria sint caritatis officia, & in his fermè tantùm conspiciantur. Sicut autem Magistratui debetur obedientia propter conscientiam: ita propter mandatam dilectionem elargiamur egentibus, & scriptum est χάριν ἐντολῆς ἀντιλαβοῦ πένητος. *Sed his & similibus commonefactionibus nos in præsentia preces etiam nostras addimus, & petimus à vobis pauperum nostrorum nomine, ne defatigemini in contribuendo, quæ ad curam horũ impendantur, Atq; de non necessarijs sumptibus, qui his moribus & temporibus fieri solent, vt recidatis aliquid vndè victitent egeni, sicut est in carmine poëtæ Ecclesiastici cuiusdam. Celebratur communitas nostra, & hoc oppidum, nomine ele-*

ne eleemosynarum, quæ ab externis apud nos colliguntur, quanto igitur magis erga nostros par est nos esse liberales & beneficos? Atq; nuper vnus ex veteribus alumnis scholæ huius, vir honoratus & locuples, ex Gambriuijs vsq; pensionem annuam fundauit valetudinario nostro commemorabilem, vt nos, qui in re præsente sumus, exiguum pro suis vnumquenq; facultatibus ad pauperes & ægrotos nostros subleuandos contribuere grauari, turpissimum sit ad Deum, & homines nostros, & externos. Et propter hæc igitur vniuersa, quæ monemus, et in cõsideratione incerti status in rebus humanis, & vicissitudinum mirificarum, hortamur omnes, vt quos ad eleemosynam colligendam mittemus, ita sicut in pietate Christiana fieri par est, accipiant & dimittant, quod et facturos omnes bonos & intelligentes dubiũ esse potest nemini, ideoq; in spe optima præstiturum vnumquenq; quod pietas & officium postulat, & facere sinit res & copia, hanc significationem publicam nostram claudamus veteris Theologi verbis: δότε χεῖρα πιεζομένοις ἵνα καὶ αὐτοὶ τῆς ἐκ θεοῦ τύχητε χρήζοντες ὡς ἄνθρωποι. *P. P.*

9. Calend Iunij Anno

1565.

IN CODICIS PRÆLECTIONEM.

NON dubito me apud omnes candide iudicantes, quibus non ignotũ est peregre me abfuisse mandato eorum, quorum autoritatem summa cum reuerentia venerari nos decet, satis excusatum esse, quod aliquandiu operas prælectionum intermiserim. Nunc ad eas, Dei beneficio, redimus iterum: Meminimus autem, quod antehac susceperimus enarrationem progressus Iudiciarij, & norunt nostri auditores quòd aliquousq; in eo tractatu progressi iam simus, & quòd præcipuè difficilis & intricatæ partis de Iurisdictione mediocrem enarrationem pro nostra tenuitate illis proposuerimus. Constituimus autem non desistere ab hoc nostro instituto & à prælectione praxis forensis: Sed auditoribus nostris significare nos oportet, postquam nobis absentibus mutatio incidit in nostro Collegio, autoritate publica impositum nobis nunc esse, vt Rescriptorum Principum, & Codicis Iustiniani explicationem publicè præponamus, Itaq; enarrationem processus posthac domi nostræ priuatim pro nostra commoditate absoluemus, & horas publicas Codicis prælectioni tribuemus. Delegimus autem

autem iam repetendam insignem & celebrem L. 2. C. de rescindenda venditione, quod materiam vtilissimam & cuius perpetuus est in foro ciuili vsus, interpretes nostri isto loco tractant, atque auspicabimur, iuuante, Deo die Martis proxima hora Nona in Auditorio Iurisconsultorum. Dominica Exaudi Anno 1565.

Vitus VVinsemius filius
Iuris Doctor.

ARITHMETICA.

NOTVM est, veteri instituto huius Scholæ, permutari inter se, in ordinaria & publica doctrina, operas explicationis initiorum Astronomiæ, de Sphæra mundi, circulisq; cœlestibus, & Logistices: Ita cùm Sphæricam doctrinam iam absoluerimus, ad Logisticen redeundum. Sed notum etiam hoc est, in doctrina publica harum operum horas ita esse ab antiquo distributas, vt qua hora Sphærica & Logistice docentur, quiescant reliquæ omnes publicæ operæ, & veteri decreto, ea hora nihil præterea publicè & ordinariè prælegatur, ne vlla vllius professionis opera alia iuuentus à tàm necessarijs ad omnem eruditionem, & vitam vniuersam studijs, auocetur, & quod hæc

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-62-quod/start.htm?image=00000275

ab omnibus discenda sint, quicquid enim de Philosophiæ studijs fiat, turpissimum est, eum qui se scholasticum liberalis doctrinæ profitetur, cœlum ita aspicere vt vnaquæq; bestia hoc aspicit, & imperitum esse terræ quam calcat, atq; computandi dexteritate nostrum ordinem vmci à cauponibus & institoribus. Neq; verò de vtilitate, antiquitate, atq; dignitate vtriusq; studij in præsentia disserere libet, & hoc alibi fit rectius, Hoc tantùm, eos qui minus considerant, monendum putauimus: diligentiam scholæ huius in Astronomicis studijs vrgendis, non parum profuisse vniuersæ Germaniæ ad hæc studia in hac & instauranda & conseruanda atq; propaganda. Quanta cùm diligentia à multis iam annis, tàm à docentibus, quàm à discentibus, lectus est non eruditissimus libellus de Sphera Sacrobuscanus? Postea hæc eruditius, & ex veterum doctrina tractari cœpêre, & Ptolemaica in scholam reuocata, populariter exposita sunt. Nunc hæ Scholæ penè desertæ, & plures magistri sunt harum artium, quam discipuli, quod hominum an temporum culpa fiat, odiosum est quærere. Si qui tamen priuatis operis suis à publica doctrina Scholasticos auocant, ij & rei Scholasticæ non parum nocent, & per se faciunt insolenter & inhu-

inhumaniter. Ego verò etsi mediocritatem meam agnosco, fieri tamen hoc etiam potest, vt cur aliqui hanc contemnant, causas non habeant. Pro fide igitur & diligentia, quam debeo Academiæ & Scholasticis, nunc deinceps docebo Logisticen communem de libello Gemmæ Frisij, & hoc finito, addam Astronomicam. Incipiam autem cras Frisij librum hora & loco quibus consueuimus.

Matthæus Blochinger VVitebergensis.

DOCTRINÆ ETHICES STVDIOSIS.

INSEVIT Deus σοφίας in humana pectora, vt moneant, quòd ipse sit talis. Vult enim in nobis suarũ virtutum esse similitudinẽ, vt ipsius domicilia fiamus. Ac quò melior est natura vniuscuiusq;, eò σοφίαι in eo sunt expressiores, & ardentiores. Ideò grata est pietas amare parentes & natos, vt hoc domestico amore admoniti, sciamus etiam æternum patrem summe diligere filium suum, & propter eum dilectum, nos quoq; paterna σοφίᾳ diligi ac recipi. Igitur me quoq; hi sensus & motus beneuolentiæ naturalis erga meos ab Academia aliquandiu abduxerunt ad pia officia, quæ præ-

ſtanda fuerunt pijs parentibus. Ad diem lunæ autem, Deo dante, confirmata poſt reditum valetudine, ad vſitatas lectionũ operas redibo, quas, vt iuuet & gubernet Deus, iterum toto pectore eum oro. Ac perficiam aliquo modo, Chriſto iuuante, ne auditores beneuolos, vel moræ, quam affert mihi valetudo imbecillior, vel temporis, quod tribuent lectioni Ethicæ, pœniteat. Diſcentes etiam in Academia hortor, vt doctrinam Ethicam de fine hominis, & de virtutibus, non ſolùm ſtudioſè cognoſcant: verum etiam ipſo opere, vita & moribus piè exprimant, moti & ſua & publica ſalute, quæ profectò retineri non poteſt ſine cognitione, & ſtudio ac cultura virtutis. Nec de vllis alijs temporibus magis, quàm de his poſtremis dictum eſt: Orate vt poſſitis effugere ventura mala. Securitas enim nimis magna, contemptus maximorum periculorum, negligentia virtutis, & prætermiſſio inuocationis, attrahent haud dubiè grauiores pœnas. Ideò nos cogitatione voluntatis Dei, & conſideratione periculorum noſtrorum, ad ardentem inuocationem, & ad ſtudia atq; exercitia virtutis, piè excitemus. Benè valete.

Iohannes Ferinarius
Profeſſor.

In Arith-

IN ARISTOTELIS AD NICOMACHVM LIBRORUM prælectionem.

NECESSARIÆ ſunt imprimis præceptiones aſſiduæ de vita & moribus in ſcholis publicis, neque ſine his vllæ eſſe poſſunt Philoſophiæ exercitationes, Itaq; in publica doctrina hoc ab antiquo conſtitutum eſt, vt ſit aliquis, cuius opera quaſi ars quædam vitæ, quam ἠθικὴν nominamus, tradatur. Ad hanc rem, ſicut aliæ Academiæ, ita noſtra etiã Ariſtotelis libris vtitur ijs, quos de moribus ſcripſit ad Nicomachum filium, etſi aliqui Nicomachum ipſum autorem horum faciunt, in quibus libris multa aliter, & plæraq; fuſius explicantur, quàm in ijs, quæ magna ethica inſcribuntur. Atq; in hac parte Ariſtotelem magiſtrum ſequi rectiſſimum fuerit, qui vt in Phyſicis, ſic in Ethicis etiam ſuperare priorum commentationes conatus eſt, & in his quædam correxit, quædam explicando locupletauit. Socraticas quidem diſputationes non obſcure oſtendit emendatione indigere, Platonica autem etſi maiore quaſi dignitate prædita ſunt, Ariſtotelica tamen & argutiora & explicatiora ſunt, minuſq; euagantur & quod in diſciplina ſcholaſtica maximè

ximè præstandum est, viam atq; rationem artis seruant. Mea verò opera cùm hactenus occupetur in Physicis docendis, in præsentia ei hæc altera adiungitur, vt indicatos libros Ethicorum Nicomachiorum publicè prælegam, cùm Socrates vt moralibus vacare posset, Physica studia penitus omiserit. Sed refragari has operas mandantiũ voluntati non debui. Itaq; deinceps, vt fieri hactenus consueuit, singularũ hebdomadũ die tertia, id est, Mercurij diebus horã pomeridianam tertiam huic explicationi dabo. Ad diem tamen Mercurij proximum hanc horam nostram anticipando transferemus in matutinam nonam, quod pomeridianis horis loca doctrinæ huius, alijs operis occupari oporteat, & tum præfabimur quædam de hoc genere studiorum, & ad moralem Philosophiam pertinentibus rebus, Itaq; breuiores sumus in præsentia.

Esromus Rudingerus Pabepergensis.

RECTOR ACADEMIÆ VVITEBERGENSIS SIGISmundus Ludouicus Baro à Polhaim & VVartenburg &c.

Ita

Ita vult agnosci & coli Deus in genere humano sicut se patefecit, non aliter: deq; voluntate sua ita vult iudicari ac statui, sicut eam verbo suo expressit & declarauit. Quare ad confirmandam fidem nihil perinde est accommodatum atq; efficax, quàm sæpè & multum repetere animisq; intueri editas cœlitus illustribus testimonijs ac nouis mirandisq; operibus diuinis comprobatas patefactiones, harum notare tempora & inter se illas conferre atq; comparare, quas certo consilio nõ momentis temporum tantùm, sed vsibus etiam ac fine Deus congruere voluit, vt his velut monimentis in oculos incurrentibus commonefacta Ecclesia certa esset omni tempore de misericordia diuina, de cura sui atq; protectione, de præsentis vitæ & æternis bonis. Hoc consilio Ecclesia instituit distinctos dies festos respondentes rebus ipsis, vt cum ceu articulos & momenta singularum patefactionum numeramus ac distinguimus, simul recordemur & promissionum diuinarum & beneficiorum, quæ filius Dei immensa misericordia generi humano peperit & communicauit, vt promissum multò antè fuit: & his gratis fruamur, Deum autorem celebremus, beneficia percepta rectè collocemus & referamus ad gloriam Dei illustrandam, ad excitandam & alendam

dam

dam in nobis fidem & inuocationem, ad imitandos alios. Tradunt magno consensu iisdem anni temporibus promulgatam esse primam promissionem in Paradiso de venturo Messia, & deinceps renouatam atq; commendatam posteritati non voce diuina tantùm, sed admirandis defensionibus ac liberationibus populi Israelitici, vt eductione ex Ægypto, & ritibus agni Paschalis repetendis annuatim, vt horum celebratione erigerentur in certam spem & expectationem Messiæ: Consumatam etiam eandem esse tradunt Filij Dei Domini nostri Iesu Christi morte & resurrectione eodem tempore. Nec dubitemus alia plura illustria patefactionum testimonia habuisse primam & puriorem Ecclesiam sanctorum patrum ante captiuitatem Babylonicam, quæ deinceps & temporum iniuria, & negligentia populi ac sacerdotum amissa, vel malicia eorundem depranata aut abolita interierunt.

Sic congruunt temporibus repetitio legis facta in monte Sinai post eductum populum ex Ægypto, & conspicua missio Spiritus sancti post Christum subuectum in cœlum: Sed anni intercesserunt inter vtramq; mille quingenti quadraginta duo.

Cùm

Cùm ergò & veteres patefactiones, quæ CHRISTI aduentum antecesserunt adesignerunt, & nouas, quæ CHRISTVM exhibuerunt atque ostenderunt præsentem, adspicimus, referamus eas ad veros vsus, & longè aliter quàm Ethnicorum historias accipiamus: Distincta beneficia filij Dei ardenti motu pectorum recolamus, ac fide nobis applicemus: Cur missus in carnem: cur omnibus humanæ fragilitatis condicionibus, sed absque peccato: cur execrationibus legis diuinæ subiectus: cur passus, mortuus & resuscitatus sit filius DEI: cur sublatus sit in cœlum, & collocatus ad dexteram DEI, vt regnet æquali potentia cum DEO: cur miserit Spiritum, cogitemus, & horum operum filij DEI fructum tribui nobis firmissima fide petamus. De ascensu ad cœlos filij DEI Psalmus inquit: Ascendit in altum, captiuam duxit captiuitatem, dona dedit hominibus: quæ interpretatur Apostolus: αὐτὸς ἔδωκε τοὺς μὲν Ἀποστόλους, τοὺς δὲ προφήτας, τοὺς δ' εὐαγγελιστὰς, τοὺς δὲ ποιμένας καὶ διδασκάλους πρὸς τὸν καταρτισμὸν τῶν ἁγίων εἰς ἔργον διακονίας, εἰς οἰκοδομὴν τοῦ σώματος Χριστοῦ. Et ipse de suo ascensu Christus ait: Expedit vt vadam ad patrem, quia

quia si non vadam, paracletus non veniet ad vos: Et de fine cur mittat Spiritum, ait: Cum autem venerit paracletus, quem ego mittam vobis à Patre, is ducet vos in omnem veritatem.

In hoc ergò Pentecostes festo, commonefacti patefactione effusi in Apostolos Spiritus sancti visibili specie, cogitemus missionem Spiritus sancti donum esse filij Dei regnantis ad dexteram Patris, assiduè interpellantis pro nobis, & seruantis atq; gubernantis Ecclesiam, Sicut dicitur: Acto: 2. Ἐπαγγελίαν τοῦ πνεύματος ἔλαβε παρὰ τοῦ πατρός: *& coniunctum esse hoc donum cum reliquis beneficijs, cum gratuita acceptatione ad vitam æternam & remissione peccatorum atq; imputatione iusticiæ: effundi autem per verbum: Ergo lectione, auditione, pia meditatione verbi opus esse: & dari non repugnantibus hostiliter & contumaciter, aut furenter ruentibus in scelera, sed vt scriptura loquitur,* τοῖς πεθαρχοῦσι καὶ τοῖς αὐτοῦσι: *Deniq; dari in hunc finem, vt postquàm Deo reconciliati & in gratiam ex misericordia propter meritum & intercessionem filij recepti sumus, exuamus, ope Spiritus, sordes naturæ pollutæ, & induamus nouos ac Deo placentes motus, quos ille & indit & circumdat*

nobis, neuosq; & stimulos viciosæ naturæ reprimamus & extirpemus: Si secundam carnem vixeritis, moriemini, si facta carnis Spiritu mortificaueritis, viuetis: inquit Paulus. Qui enim Spiritu Dei ducuntur, hi sunt filij Dei. Ergò qui perseuerant in delictis contra conscientiam, sunt domicilia Diaboli. Execremini ergò & procul fugiatis furores Antinomorum contendentium, nec fidem nec Spiritum sanctum excuti delictis contra conscientiam, & negantium necessarium esse studium obediendi Deo, & hominẽ transformantium in truncum, quasi & sine omni luctu conuertatur ad Deum, & sine vllo conatu edat fructus dignos pœnitentia. Hos ergò furores detestemini, & conciones, comminationes, cohortationes, obtestationes Pauli toties & tanta emphasi verborum repetitas sequamini. Cauete, inquit Paulus, ne dolore adficiatis Spiritum sanctum: μὴ λυπεῖτε τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον τοῦ θεοῦ, ἐν ᾧ ἐσφραγίσθητε εἰς ἡμέραν ἀπολυτρώσεως. πᾶσα πικρία καὶ θυμὸς καὶ ὀργὴ καὶ κραυγὴ καὶ βλασφημία ἀρθήτω ἀφ' ὑμῶν σὺν πάσῃ κακίᾳ. γίνεσθε δὲ εἰς ἀλλήλους χρηστοί, εὔσπλαγχνοι, χαριζόμενοι ἑαυτοῖς, καθὼς καὶ ὁ θεὸς ἐν χριστῷ ἐχαρίσατο ὑμῖν. *Hoc dicto & similibus alijs, & munite animos ve-*

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-62-quod/start.htm?image=00000280

ſtros aduerſus deliria Antinomorum, pernicioſa vitæ ac contumelioſa in Deum, & flectite eoſdem ad pietatem, ad inuocationem, ad moderationem in omni vita. Cùm autem Spiritus ſanctus in miniſterio Euangelij ſit efficax, & per hoc communicetur nobis, & habitet in pectoribus noſtris, debetur & reuerentia miniſterio, & gratitudo ijs qui præſunt: Quam etſi alijs officijs omni tempore pij Scholaſtici declarare debent, tamen vt nunc etiam eam oſtendant, publica & vſitata munerum ad aram oblatione, præcipimus.

RECTOR ACADEMIÆ VVITERBERGENSIS SIGISMUNDUS LUDOVICUS LIBER BARO À POLHEIM & VVARTENBURG.

Hæc eſt illa dies, qua magni conditor orbis
Inſuetos auſus, & non imitabile factum
Bis ſolitam contrà ſortem, rerumq; tenorem
Perficiens, certo populis dedit omine ſigna,
Quæ tunc conuincant animos, ſubigantq; fateri
Eſſe Deum, qui res hominum curetq;, regatq;,
Doctrinæq; genus, miris quod prodidit auſis,
Ortum de cœlo trahere, immotumq; manere,
Vltoremq; Deum iuſtas conſurgere in iras,
Sicubi neglectum, vel ſi faſtidia paſſum eſt.

Primò

Primò equidẽ magna cum tempeſtate coörta
Inciſam tabulis adamante, & marmore factis
Propoſuit Legem, claraq; eſt voce profeſſus,
Cùm mons de cœlo tactus tremere vndiq; viſus,
Saxaq;, flammarũq; globos effundere ad auras,
Et mixtæ in fumo paſsim volitare fauillæ,
Cùm ſilet omne metu vulgus, pedibuſq; ſaluti
Conſulit, atq; alium exoptat, votiſq; requirit
Qui veniat medio, cui vox ſibi blandior, & cui
Mellis in ore ſapor, nec amara, atq; aſpera verba,
Nempè Dei natũ, blando cui gratia in ore fluxa,
Dulce ſonat pactum veniæ, gratæq; ſalutis.
Nã licet eſt animis noſtris in origine prima
Inſita notities Legis, lux addita menti:
Hanc genitor tamẽ ingenti clamore per auras
Ingeminans, iterum diuino eſt ore locutus,
Ne tantis animi in tenebris obliuia nobis
Surrepant huius, cæcoq; è pectore manet:
Vtq; homines exactum habeant, quod mente refulgens
Notities Legis concreta in origine prima
Sit radius lucis diuina è mente reſultans:
Præterea à antè homines vt maius pondus haberet,
Cũ ſcirent ſupera prolatã ex arce Tonantis
Voce noua terris ſonuiſſe, & iura dediſſe
Tàm celebri pompa, tàm maieſtate ſeuera,
Tot ſignis cœlo miſſis, tot grandibus auſis

Ventorum in ſlabris, & tempeſtatibus atris.
Debinc vice poſtrema, cùm iam promiſſa priora,
Atq; vmbras Legis, factis explere volebat
Iura nouæ Legis Deus in præcordia ſcribens,
Vnde Patrem norint, cari qui nomine nati
Gratuitò veniam reddat, certamq; ſalutem:
Tum ſubito complens penetralia fulgure lucis,
Irradiansq; ſuper flamantis imagine linguæ,
Ventorumq; ſonis, manifeſto numine viſus,
Spiritus effundi ſacer atq; in pectora mitti
Agminis ingentis quod cœlica verba ſonabat,
Quodq; animis fidis ea cœlica verba bibebat.
Lex prior horrendo in ſonitu flāmaq; voran-
Facta reuelabat noſtra, in crimenq; vocabat, (te
Corda terens ferri incuſſu, quatienſq; tremore,
Et letho damnans homines, hominumq; labores,
Æterniſq; Erebi flamis, & carcere claudens.
Altera Lex blando in ſonitu flāmaq; fouen-
Prona fauore ſuo tutelā præſtat, & aſtat (te
Partibus à noſtris, Chriſtiq; cruore lituram
Inducit factis, penituſq; adoperta recondit,
Corda nouans iterū, & vitæ ſpiracula ſufflans,
Inq; fide Chriſti ſcelerum de lege reſoluens.
Nā quacunq; Dei ſe Spiritus exerit intus,
Hìc noua libertas immunia corda tuetur,
Ne diras Legis patiantur, & aſpera vota.

Ille

Ille nouum pactum gratæ per verba Salutis,
Per quæ robur agit, viresq; in pectore præſtat,
Detulit è cœlo ſecum, & noua fœdera ſanxit,
Exoluitq; iugo Legis, quæ munere ſæuo
Perfungens, triſti damnabat pectora letho.
Hic rurſum expedijt vinclis, vitamq; viciſſim
Inſerit, & ſancta dat libertate potiri,
Officijq; in ſorte ſui te Chriſte, tuasq;
Exhibet ille mihi partas pro ſanguine gazas,
Cōuincitq; animū, & trepidantia pectora firmat
Iam mihi iam cœli rurſum aſpirare fauorem,
Præſentemq; Deum rurſum accepiſſe benignū
In miſeros animum, atq; iras miſiſſe priores.
Ergò agite & grates tanto pro munere agamus,
Et ſuperum ingentem dictis celebremus amorē
Tot ſignis hominum generi, donisq; probatum.
Nam genitor noſtros cùm primùm effingeret
Eſſe ſuæ voluit ſimulacrū Mentis in illis. (artus
Ergò boni radios proprij quibus eminet auctor,
Fudit in hos, fecitq; pari cum ſorte tenere.
Namq; creaturam dia ratione potentem
Ipſe ſibi ſedem delegit ab omnibus vnam,
Atq; opere exacto ſola requieuit in illa (eſt,
Annō ergo homines genitorē arſiſſe putandū
Si mentis ſimulacra ſuæ, bona ſumma, creator
Impreſſit, dederatq; ipſis communiter vti?

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-62-quod/start.htm?image=00000282

Illi vbi iã decus hoc Stygio illudente colubro
Excußère animo, & priſcum amisère vigorem,
Iamq; æſtus ſentire Dei, & ſub mole perire
Inciperent ſontes animæ, fatiſq; repulſæ:
Confeſtim medio venit, et Nati emicat ardor,
Quòd lapſis hominum ſeſe interponere rebus,
Et conatus erat Patris procumbere ad ora
Expoſcens pacem, noſtræq; in imagine carnis
Supplicia in ſe vnũ recipit, iam iamq; labentẽ,
Iamq; fatiſcentem ſuſtentans numine maſſam
Culpæ mole leuat, Ditiſq; immania facta
Victor ouans premit, atq; haurit mortem ipſe
triumpho. (ſo

Sic precibus, factiſq; ſacris iã in ſanguine fu-
Cùm placatus erat Pater, et grauis ira reſedit:
Tunc immenſus amor laxis ſe effundit habenis
Ætherei Flatus, quianam præcordia noſtra
Occupat, & vinclũ, nexusq; & copula amoris
Inſinuans ſeſe, & noſtro ſe pectore miſcens
Aſſociat noſtræ cœleſtia numina maſſæ,
Dat vitam, dat opes cœli, corq; erigit auris
Lætitiam irrorans, & iam mens lumine Flatus
Ipſius ora Dei cernit, mentemq; reposſam.
Intus agit calor ætherius, feruentq; ſub ipſo
Pectore diuini motus, & protinus ipſis
Halitibus puris vitali è fonte refuſis
Inſinuat ſeſe ſacer Halitus, & ſua miſcet
Flamina,

Flamina, & ad normã Legis pia pectora et ipsũ
Totum hominẽ flectit, rectoq; ita tramite ducit.
Nil homini dare maius habet diuina poteſtas,
Quã quòd ſe penitus noſtra in præcordia fundit,
Diſtractoſq; olim, nunc nos ſibi numine iungit.
Sed licet haud vlli cõceſſum hoc tempore vi-
Tam magna anguſto cõplecti pectore dona: (tæ
Prima rudimenta, et primas haud ſegniter oras
Fas tetigiſſe tamen, docilemq; inflectere mentẽ
Ad ſacras artes hac in caligine vitæ,
Donec contigerit mortali corpore functis
Ore ſacro Chriſti pendere, & diſcere cauſas.
Intereà auſpicio vitam meliore regamus
Pertæſi culpæ veteris, morumq; priorum,
Nec ſecura adeò geſtemus pectora pœnæ.
Diſce tuas miſer ærumnas, & reſpice tandem
Qualibus in tenebris degas: Via prima ſalutis
Noſſe ſuos morbos. Quin tot circumſpice caſus
Magnanimum heroum, qui non pia facta ſecuti
In ſcelera, in pœnas fatali turbine aguntur
Caſſi ope diuina, & ſacri rectoris egentes.
Quã ruit, et quanto implicuit ſe crimine Saulus,
Ieſſideſq; potens, Salomontq; potentior illo,
Securi dum fortè Dei, pœnæq; vagantur?
Sed nos ſollicitos aliena pericula reddant,
Ne ſanctum nocuo pellamus pectore Flatum.
Hoc ſine nil recti mens concipit, actaq; in auras

Irrita eunt, pereunt hominũ ſtudia, atq; labores,
Is ſi operi deſit: Quia nam fauor omnis ab ipſo
Depluit in terras, ſuntq; ipſius omnia plena
Muneribus: felix, cui cepto aſsiſtit eodem.
Tunc autẽ ille animis noſtris ſe immittit ab
Tũc vires agit, et dat vinci neſcia corda, (alto,
Cùm tecum repetis diuina oracula verbi,
Promiſsisq; Dei firmis adſenſibus hæres,
Et pulcram exerces generoſo in pectore luctam.
Sic veniam ſceleri præſtat Spirabile numen,
Tutaturq; tuas partes iuſtum antè tribunal
Ne cauſſa cadere, aut pugnæ ſuccũbere poſsis.
Qui negat ergò fidẽ ſacris adhibere miniſtris,
Cùm veniæ vocem gratis, ſed ſanguine partam
Chriſte tuo, dulci ore ſonant, et crimine ſoluunt:
Is ſcelus in ſacrum gaudet committere Flatum,
Et pedibus munus premere, & ſurda excutere
aure
Sanguinis hei precio lucrata, receptaq; dona.
Nam vox illa ſonans gratæ præcepta ſalutis,
Flatus officium eſt, is munere fungitur illo.
His igitur ſcelerum manet irreſolubile vinclũ,
Æternoq; caduni confixi vulnere mortis.
Ergò Miniſterij vocem reuerenter habete,
Qua ſine nec ſacri contingent munera Flatus,
Nec veniã accipiet quiſquam, nec dona ſalutis
Tàm caro precio, tàm ſancto ſanguine parta.

Vt

Vt tamen & gratæ mentis monumenta ſuperſint,
Et ſuus extet honos, & gratia digna miniſtris,
Qui res diuinas, & ſacra negocia curant:
Vtq; propagetur munus cœleſte docendi,
Nec deſit victus ratio his qui ſacra miniſtrant:
Pro re quiſq; ſua deponat munus ad ARAM.
His vitæ officijs, & nullo crimine morum
Quiſq; probet ſedem eſſe ſacri ſua pectora Flatus.

RECTOR ACADEMIÆ VVITEBERGENSIS SIGISMUNDUS

Ludouicus Baro Auſtriæ à Polhaim &c.

QUOTANNIS *repetuntur à nobis commonefactiones & edicta de vitandis natationibus in Albi: Sed his adeò parum proficitur, vt in multis creſcat audacia et temeritas, & contemptus legum atq; autoritatis publicæ, hac in parte magis ferè quàm in alijs conſpiciatur. Audimus enim magno numero ſtudioſos nulla habita, vel edicti noſtri, vel periculi ſui ratione, ſe præcipitare in flumen. Et nuper quidam adoleſcens, qui exiſtimabat ſe artis natandi peritum eſſe, in tantum venit diſcrimen,*

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-62-quod/start.htm?image=00000284

vt nisi diuinitus ab aliquo accurrente fuisset retractus & seruatus, actum de eius vita fuisset. Non cogitant adolescentes se non tantùm de præsenti vita, sed multò magis de æterna animæ suæ salute periclitari, si temeritate sua sibi tale periculum accersant. Nactus enim occasionem hanc Diabolus, non tantùm pias cogitationes omnes in illa subita consternatione, & fiduciam in Deum facilè excutit: sed alias plenas desperationum offundit, quibus irretitos secum in æternum exitium pertrahat, idq; ex hoc ipso adolescente audiuerunt nonnulli & narrarunt nobis alij, qui ex similibus periculis aliquando sunt erepti. Horum periculorum cogitatio, si quos non mouet, eos non mirum est, vel mandati diuini seueritate, vel Magistratus edicti, vel parentum suorum sollicitudine & cura non moueri, vt à natationibus, periculorum plenis, abstineant. Solet enim ferè proprij periculi cogitatio efficacius mouere animos, quàm vllæ res aliæ. Sed est ea huius seculi barbaries, & is stupor mentes hominum occupauit, vt non tantùm nulla sit legum vel parentum reuerentia & metus. Sed nec propriæ incolumitatis & vitæ, quam tamen naturaliter omnes amamus, ratio habeatur vlla. Ruunt enim adolescentes in pericula sine metu, & quo magis

magis quisq; est φιλοκίνδυνος, eò maiorem apud sui similes meretur laudem. Sed profecto ludunt illi ludos infaustos & tristes, siue natando, siue pugnando, siue bellationibus aut alijs rebus sibi pericula accersant. Primùm enim offendunt Deum, qui corpora nostra, non tantùm quod mira arte facta sint, sed multò magis quod templa ac domicilia esse Spiritus sancti debeant, magna cura & diligentia vult seruari & custodiri, & huius sui operis destructionem odit & punit grauissimè, cùm in alijs, tùm in his maximè, qui suorum corporum sunt αὐθέντα. Peccant & in Magistratum, cui post Deum tanquàm ministro eius, salus & incolumitas singulorum imprimis est curæ. Parentibus afferunt dolores ipsa morte tristiores, & quosdam legimus allato de morte liberorum nuncio, subita consternatione esse extinctos, sibi deniq; causa sunt exitij, & Diaboli insidijs temeritate sua fenestram aperiunt, per quam ille illapsus animos ita occupat, vt sensum veræ consolationis & in Deum fiduciæ, facilè excutiat, & destitutos consolatione secum in æternum exitium abripiat. Hæc tanta mala & tanta scelera in vno facto, quod per se leue esse videtur, & à prauis extenuari solet, concurrunt, quorum cogitationes coherceri certè iuueniles impe-

impetus nostrorum debebant. Et nos quidem quod facere possumus & debemus, seuere omnes natationes, vel in Albi vel stagnis prohibemus, ac vniuersos & singulos nostræ iurisdictioni subiectos hortamur, vt cogitent quàm graue futurum sit illis, aliquando sustinere conscientiam admissorum tot scelerum, à quorum vel cogitatione, vel commemoratione animus noster abhorret, nec moueantur furiosis illorum clamoribus, qui vt peccata omnia extenuent, & legis diuinæ & Magistratus scholastici autoritatem labefactare student. Sentient illi aliquando exagitati stimulis conscientiarum suarum, quid sit quod in Psalmo 82. dicitur, Deus stat in Synagoga Dei, & in medio Deorum iudicat. P.P. 16. Calend. Sextilis, Anno 1565.

GEOMETRIÆ STVDIOSIS.

ABSOLVI his diebus priores duos Euclidis libros, qui docent non solùm constructionem præcipuarum figurarum rectilinearum, Triangulorum scilicet & parallelogrammorum, & quæ sint eorundem proprietates & accidentia: Verumetiam explicant naturam &

& potentiam lineæ rectæ, quæ consistit in eiusdem diuisione seu sectione. Atq; in his rebus explicandis eam adhibui fidem & diligentiam, monstratis fontibus & ordine demonstrationum singularum, & ostensis earundem vtilitatibus quantũ fieri potuit, vt sciam auditoribus hanc operam gratam fuisse. Nunc Deo iuuante simili diligentia ad alios Euclidis libros accedam, & cras tertium librum auspicabor, in quo Euclides figuræ inter planas perfectißimæ, circuli scilicet proprietates & accidentia propria exponit: Hæc sunt, qua ratione & ad quos angulos, cùm lineæ rectæ in circulis tùm circuli ipsi seipsos mutuò secent, Qua circuli se mutuò cùm interius tùm exterius contingant, quæ rectæ lineæ, vel à puncto intra vel extra circulum sumpto, ductæ ad circuli circumferentiam, vel in circulo vtrinq; suos terminos ad circuli circumferentiam applicantes, sint maximæ, minimæ & æquales. Quæ sit proprietas, linearum circulum contingentium, & eundem secantium. Quæ sit ratio cùm angulorum circulis inscriptorum ad se inuicem, & ad circulorum circumferentias, quibus insistunt, tùm arcuum angulis oppositorum: quæ sit ratio linearum in circulo seipsas secantium, & earum quæ à puncto extra circulum sumpto circulo incidentes

dentes eum cùm secant, tùm contingunt & alia huiusmodi, sine quorum cognitione, nec doctrina circulorum cœlestium, nec sinuum aut subtensarũ, nec Theodosij libri de Sphæra, nec Ptolomæi scripta cognosci aut intelligi possunt. Itaq; auditores hortor vt vel propter hanc vtilitatem, si alijs quæ plurimæ sunt, non mouentur doctrinam Geometricam magnifaciant, & frequentius & studiosius discant, Nec ducant, se probè perfunctos suo munere, si vnum aut alterum Euclidis librum, vix primis, vt dicitur, labris attigerint, sicut multi hoc tempore ex nostris Scholasticis faciunt, tantum vt fuco quodam Magisterij titulum adsequantur. Sed integram ἐπιπεδομετρίαν, quàm sex prioribus libris Euclides absoluit, cognoscant, & de immensa vtilitate doctrinæ Geometricæ iudicare rectius poterunt. Hoc si qui ex ijs scholasticis, qui aliquandiu in nostra schola fuerint commorati non, fecerint, neq; doctrinam Theoriarum cognouerint, illos in posterum ad petitionem gradus Magisterij non admittemus. Seruabimus enim Platonis regulam, ἀγεωμέτρητος οὐδεὶς εἰσίτω. 8. Calend. *Iulij, Anno* 1565.

Sebastianus Theodoricus VVinshemius.

Alia

ALIA.

LIBRI septimi Odyssææ Homeri interpretationem, Deo iuuante, proximo die Iouis auspicabimur, Quem librum non minus quàm cæteros, Auditoribus vtilem ac iucundum fore spero. Omnino enim testatur ac fatetur Authorem suum, nempe Homerum magistrum & fontem omnis liberalis doctrinæ, Et sicut Terentius de sua Comœdia dixit: alias cognostis eius, queso hanc quoq; cognoscite: idem ego non minus verè de hoc Homeri libro dicere possum, Oro autem æternum Deum Patrem Domini nostri Iesu Christi, vt hanc Scholam contra multiplices insidias Satanæ tueatur, et mihi docenti iã decrepito seni clementer adsit ac vires suppeditet ad has operas meas faciendas, et studijs discentium Spiritu sancto suo clementer adspiret, vt tàm à docentibus nobis quàm discentibus ea fiant, quæ grata sunt æterno Patri & Christo Redemptori nostro, Amen. 8. *Calend. Iulij Anno* 1565.

Vitus VVinsemius senior D.

RECTOR ACADEMIÆ VVITEBERGENSIS SIGISmundus Ludouicus Baro Austriæ à Polheim &c.

Cum

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-62-quod/start.htm?image=00000287

CVM amisisset filium Iacobus Isacides, & deflet eum luctu acerbo, & se filio superstitem viuere posse negat, vel vt latinus Poëta loquitur, vitam non magis esse vitalem sibi: & Beniamino detento in Ægypto miserabiliter queritur de orbitate sua, cùm sciret se habere adhuc filios vndecim, & nepotes quinquaginta quinq́. Etsi autem sanctissimum & sapientissimum virum alia etiam in talibus euentis conturbarunt: Sunt tamen hi affectus erga liberos in natura à Deo multis de causis insiti, qui sunt δριμεῖς καυτῆρες καὶ κέντρα φύσεως, Vt à Gregorio Nysseno appellantur, & amorem erga nos archetypi eius, ad cuius imaginem conditi sumus, demonstrant. Sunt autem in præsenti statu naturæ humanæ sicut cæteri affectus, ita hic etiam quasi materia quædam virtutis, de qua tum virtus fit, si ratione moderante mediocritas præstatur. Sed in pijs sanctus Spiritus efficax est, qui gubernat & motus cordis, & actiones nostras, vt omnia sint consentanea verbo Dei, & ne ab Archetypo recedat imago nostra: De quibus vt cogitaremus commonefecit nos calamitas optimi & doctissimi viri Matthæi Blochingeri mathematum Professoris in hac Academia publici, cui hac nocte infans filiolus mortuus est Ernestus,

stus soboles huius decima, quem hodie hora quarta sepeliet, cùm ante hunc sepeliuerit septenos liberos, vt hunc filium octauo loco efferat. Tot funera vidit vir optimus, cuiusmodi calamitas quantopere afficiat hominem nõ ἄστοργον vnicuiq́ cogitandum relinquimus, præsertim cùm ex humanis miserijs etiam sapientes pronuncient esse inter præcipuas humare liberos, & φιλοστοργία etiã τὰ τολμηρὰ δουλὰ ποιεῖ. Mandamus igitur, vt indicato tempore ad funeris deductionem nostri vniuersi ante ædes M. Blochingeri officiosè conueniant, & hoc etiam modo honestiss: parentum grauissimum dolorem consolentur, & in maximis periculis Reipub: se & suos vnusquisq́ Deo commendet. P. P. 5. Calend. Quintilis 1565.

RECTOR ACADEMIÆ VVITEBERGENSIS SIGISmundus Ludouicus Baro Austriæ à Polhaim &c.

SÆPE renouatur nobis dolor, cùm videmus adolescentes fœlici ingenio præditos, & iam aliquo vsq́ in bonarum artium ac linguarum studijs progressos, immatura morte præuentos nobis eripi. Nam & Ecclesia amittit non

*seminaria tantùm, sed Doctores, quos paulò pòst in hac discentium & paucitate & ignauia magno cum dolore videtur desideratura, & Reipub. antehac satis concussa ac lacera orbatur necessarijs præsidijs. Amisimus autem hoc anno complures præstantes ingenio & doctrina adolescentes, ex quorum numero iudicamus etiam fuisse Georgium Stockelium Austriacum, qui longa & ardente febre consumptus heri placidè ex hac vita discessit. Huius mortem non eò tantùm dolemus, quòd cùm patriam nobiscum haberet communem, iure quodam nobis lugendus videtur (*αὐτοφυὴς γὰρ ἔλεε τὸ φίλτρον ἡ κοινὴ πατρίς*) verumetiam quòd audimus, magnam fuisse in eo ingenij dexteritatem, atque in discendo eam adhibuisse diligentiam & assiduitatem, vt si vitam ei longiorem Deus concessisset, magnus eius vsus, vel in instituenda iuuentute, vel quod omnium operum præcipuum & summum est, in Ecclesia docenda, esse potuisset, Ac inprimis commendatur eius pietas, quam & antea toto vitæ suæ tempore, & præcipuè in hoc morbo suo assidua Dei inuocatione & desiderio vitæ cœlestis, ostendit. Mortuus est enim inter assidua vota & preces ardentissimas, & sæpè affirmauit, se pertæsum huius vitæ nihil aliud expe-*

tere aut desiderare, quàm ex hoc tristi carcere liberatum migrare in illam cœlestem patriam, quam sibi sanguine filij Dei partam esse sciebat, & in qua coràm visurus esset ea omnia, de quibus hîc elementa quædam, tanquàm in ænigmate & speculo cognoscere cœperat. Funus ei fiet hodie hora quarta. Quare studiosos hortamur, vt circa id tempus, frequentes conueniant ad ædes typographi Viti Cruceri, è quarum regione funus efferetur, inq; eius deductione singuli sese & Ecclesiam Deo commendent. P. P. 4. Calend. Quintiles, quo die mortuus esse scribitur Alexander Magnus ante annos 1888.

RECTOR ET CONSILIVM PVBLICVM ACADEmiæ Vitebergensis.

POSTQVAM ab integritate status in natura nostra eius cum qua conditi sumus delapsum est genus nostrum, non potest hæc vita carere opera Magistratus, qui sit κοσμὸς ἀρετῆς καὶ ἀνταγωνιστὴς κακίας *aduersus potentiam Diabolorum, & imbecillitatem atq; prauitatem naturæ lapsæ, Itaq; Deus hunc ordinem constituit, cuius persona esset in terris diuina quædã, Et qui se huic subtrahunt, violant*

ſocietatem humanam & diuinæ conſtitutioni repugnant, ſicut ſcriptum eſt, quod inde vſque à condito mundo nemo impunè fecit aut tentauit vnquam, & Deus mirabiliter conſeruat deos ſuos, ſicut in Pſalmo Magiſtratus appellatur. Sed ſcholaſtici Magiſtratus paternum imperium habent, vt duplici nomine huic ſubijciantur diſcipuli, primùm, vt Magiſtratui, deinde, tanquàm parentibus. Itaque & in ſtatutis noſtris Lex expreſſa eſt, & ſingulis ſemeſtribus commonefactiones proponuntur, & nuper ſeuerè edximus, vt qui hîc viuunt inter Scholaſticos noſtros, nomina ſua apud Rectorem profiteantur &c. His verò omnibus ita nihil proficitur hactenus, vt penè quotidiè deprehendantur, qui inter noſtros obuerſentur, & fruantur priuilegijs ſcholaſticis, cùm non dederint fidem Academiæ, partim ſuperbiſſimo contemptu Magiſtratus noſtri, partim eo conſilio, vt ſicut ſperant, impunè tumultuari poſſint, & ne pœnis ſcholaſticis afficiantur deprehenſi in facinoribus. Quare neceſſitas affertur conſilio publico, vt propter pericula horum temporum Illuſtriſſimo Principi noſtro, Patrono ſtudiorum pietatis & literarum maximo, cuiuſq; benignitas erga hanc Academiam ſingularis eſt, & æterna memoria celebranda, Huic igitur benigniſſi-

benigniſſimo Principi patri patriæ, & rei ſcholaſticæ noſtræ, & rebus communibus vniuerſis, vt hac in parte diligenter atque fideliter caueat. His de cauſis ſcire omnes volumus, Quicunque deinceps ſceleratæ fraude hac, nobis & alijs impoſuerint, ſi ad Rectorem nomina horum in facinore delata fuerint, quod ita tamen cum turpitudine ipſorum, & nomina & facinora publicè ſimus propoſituri, vt notum fiat & teſtatum omnibus, quod tales, qui ipſi ſeſe honeſtiſſima communitate noſtra excluſerunt, hac ſint indigni, neque in hanc facilè vllo tempore à nobis recipientur. Idq; adeò nunc exequi incipimus. Atque deferimus publicè nomen N. N. N. qui nuper ſtricto gladio conatus violentiæ in via publica, & ſcholaſticis & priuatis ædibus aduerſus inermes, ſine vlla cauſa vſurpauit penè furioſos, & niſi retentus fuiſſet, aliquot innocentes & beneficos erga autorem homines confeciſſet, Et hac igitur de cauſa, & propter vitam diſſolutam & turpem huius, de qua comperimus, ſi eſſet vnus ex ſcholaſticis noſtris, eum relegaremus. Nunc autem, cùm non ſit, in præſentia hoc omnes ſcire volumus, ſicut in cœtum noſtrum nunquam receptus eſt, ita hunc eo indignum à nobis haberi atq; pronunciari, & vſu & priuilegijs rei ſcholaſticæ noſtræ ei in-

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-62-quod/start.htm?image=00000290

cerdici, & oppidano Magistratui eum permitti, cuius opera aduersus vim & insaniam huius tumultuatoris vtamur. Quicunq; etiam ex ijs, qui ditioni scholasticæ subiecti sunt, deinceps conuicti fuerint, quòd non professos apud Rectorem nomina sua, vel in disciplina, vel contubernio, vel ædibus & conuictu suo, esse scientes permiserint, aut nõ satis in cauendo & quærendo diligentes fuerint, in hos igitur & ipsos consilium publicum quoquo tempore ita animaduertet, vt res & causa postulare videbitur: Agemus & cum Magistratu oppidano, ne ciues impunitos esse patiatur, qui tales recipiunt, & ne sine certo Magistratu apud se quenquam degere patiantur. P. P. 4. Nonas Quintiles, Anno 1565.

RECTOR ET CONSILIVM ACADEMIÆ VVitebergensis.

IN quanto contemptu sit Magistratus noster & leges scholasticæ, quæ feritas sit & barbaries in moribus multorum, & nos experimur, & ad bonos omnes, quibus vnà nobiscum hoc dolori est, querimur. Scholæ publicæ fundatæ sunt, & conseruantur munificentia piorum Principum, in quibus discatur atq; exerceatur vniuer-

uersa et diuina et humana sapientia, & quæ sint quasi officinæ quædã pietatis, virtutis, honestatis, disciplinæ, Quid verò in nostra hoc tempore aliqui & exerceant et tentent, & quorum studiorum studiosi sint, non pauci ex ijs, qui scholastici haberi volunt, ante oculos est, & nimis quidem, qui sibi & patriæ pœnas atrahunt grauissimas: quorum audaciam & tumultuationes cum scholasticum imperium nostrum, quod paternum est, neque vim armatam, neque capitalia supplicia habet, sustinere amplius aut cohercere non possit, nimirũ Illustrissimi Principis nostri opem nos implorare oportet, cuius sapientia & potentia succurratur rebus laborantibus nostris. Cætera igitur res & tempus demonstrabit. In præsentia autem citamus N. ab N. ad dicendam causam coram nobis, vt adsit in noto loco consiliorum publico ad 11. Calendas Septembris, quæ est 12. dies Augusti, horæ matutina octaua, et tum respondeat & alijs, qui eum postulauerint, & nobis, quòd nudiustertius coràm citatus à ministro publico, cùm morbum excusaret, paucis horis post tamen, nulla habita ratione citationis nostræ ex oppido discesserit. Quo tempore siue adsit, siue absit, fiet à nobis, quod ius & fas est, & secundum leges scholasticas nostras decerni poterit & debebit. P P. pridie Non. Quintilis. Deca-

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-62-quod/start.htm?image=00000291

DECANVS COLLEGII PHILOSOPHICI IN ACADEMIA VViteberg. VVolfgangus Zeiſenus, Fuldenſis, optim. art. Magiſter, omnibus lecturis S. P. D.

QVAM facilè poſſent tranquillam degere vitam,
Omniaq; inuicto pectore ferre mala:
Si geminæ ſtirpis perſona fœdus in vna
Sæpè homines memori pectore, & ore ferant.
Aurum, & opes quid ſunt, ea ſi ſolatia deſint,
Quòd ſupera veniens gnatus ab arce Patris
In conſanguinea ſit frater imagine, amore
Sit Pater, æterno lucis honore Deus.
Ni data ſors eſſet, noſtros & ſumeret artus,
Filius, æterna morte periſſet homo.
Nunc aſſumta λόγῳ noſtro de ſanguine maſſa
Inſertos penitus nos ſibi membra facit:
Ceu cum palmitibus vera eſt coniunctio viti,
Cùm ſuccos illa ſuppeditante trahunt.
Illi autem ſocio coaleſcunt, pectore Chriſto,
Qui rectè diſcunt, puraq; ſacra docent.
Sacra propagari quæ præcipit ore ſeuero,
Et iubet amplecti non dubitante fide.

Hæc

Hæc igitur nobis addant ſolatia vires,
Cùm languent varijs pectora preſſa malis.
Cumq; Dei verbum rectè tradamus, & artes,
Et dux, & cuſtos ſit λόγος ipſe Patris,
Credimus eſſe Deo certè noſtra agmina curæ,
Et per conſenſum ſtare, piaſq; preces.
Præſidijsq; tegi contrà arma inſana Cyclopum,
Qui violant leges, ſanctaq; iuſſa DEI:
Aut qui barbarico tumidi præcordia faſtu
Oderunt artes cum Pietate bonas.
Hæc ſpes vna pios rebus ſuſtentat in arctis,
Vt doctis operis nocte, dieq; vacent:
Vtq; iuuentuti præcepta ſalubria tradant,
Et forment animos in pietate rudes:
Quamuis diſſidijs ardet crudelibus orbis,
Doctorum & furiæ regna quieta mouent.
Sic ferus Herodes Solyma dum regnat in vrbe,
Pontificeſq; odijs agmina ſancta premunt,
Caſta Ioachides, coniunctaq; ſanguine Eliſa
In bellis manſit præſide tuta Deo.
Promiſſoq; pias ſonuit de ſemine voces,
Exhibitum mundo dum canit ore Deum.
Ergò vbi congreſſæ repetunt oracula vatum,
Et ſoluunt linguas in pia vota ſuas:
Maximus ille DEI vates genetricis in aluo
Aſſultans, Dominum norat adeſſe ſuum.

Lætitiæq; notat geſtu, quem deinde canora
Voce ſonat, ſancta ſignificatq; manu.
Ergo ſuos cœtus vt tunc defendit in orbe,
Ipſe λόγος pura virgine natus homo:
Sic dum bella hodie feruent accenſa per orbem,
Et ſæuit ſcelerum iuſta luela lues:
Auſtriacoſq; ſinus vna de parte fatigans
Non expectato milite Turca venit:
Parte alia, cauſſa qui coniuratus eadem
Blaſphemo oppugnat Flacius ore λογὸν,
Præſtigijs turbat populos, & Pannonis ora
Infelix gemino tunditur icta malo:
Ipſe aderit nobis præſenti numine Chriſtus,
Et caſtis ſtudijs ocia grata dabit.
Tunc aderit verò, ſanctas cùm diſcimus artes,
Et peragit ſortis munia quiſq; ſuæ.
Sic qui linguarum ſtudiũ profitemur, & artes,
Conferimus doctis mutua dicta viris.
Namq; exercitijs creſcunt ſolertibus artes,
Creſcere ceu moto flamine flama ſolet.
Ergò qui ſpecimen doctrinæ oſtendere nobis
Optat, & à ſtudijs nomina ferre bonis:
Is mihi ſi fuerit nomen de more profeſſus,
Sentiet officij munia promta mei.
Sed tu gnate Dei noſtris conatibus adſis,
Et foueas Flatu credula corda tuo.

Tu

Tu lenire potes conuerſis fata maligne
Fortunæ, aut penitus triſte leuare malum.
8. *Iulij. Anno* 1565.

RECTOR ACADEMIÆ VVITEBERGENSIS SIGISMVNDVS Ludo. Baro Auſt. à Polheim.

TANTVM eſt miſeriarum in vita humana, vt mirum non ſit ſapientibus, extra Eccleſiam ad conſpectum ſenſumq; illarum turbatis adductisq; in dubitationem de prouidentia, has voces excidiſſe, quod optimũ ſit aut non naſci, aut protinus vbi ſis natus interire, πλεῖα γὰρ ἢ μὲν γαῖα κακῶν, πλεῖα δὲ θάλασσα. *Sed deſperantium illæ voces ſunt & pereuntium in æternum. Nos, quos dulciſſima mater Eccleſia baptiſmo & Spiritu ſancto regeneratos, ad veram Dei agnitionem & æternam conſuetudinem cum Deo, ex doctrina patefacta per filium Dei, longè aliter inſtituit atq; erudijt, quàm illos humana ratio ex natura notis qualibuſcunq; legis moralis principijs, aliter ſentiamus. Intelligamus cauſas calamitatũ, quæ multiplices ſunt, etſi initia exiterunt à peccatis generis humani: Nec ignoremus auxilia & liberationẽ oppreſſis, promiſſam à filio Dei. Horum nos certa ſpe atq; fiducia circumuẽti imò obruti miſe-*

miserijs erigamus ac sustentemus, ne dum corpora, liberi, res & fortunæ agitantur et iactantur, quasi procellis quibusdam malorum, animi dubitationibus fluctuent, qui longè atrocior est cruciatus, quàm foris est cæterorum malorum sensus. Quo autem difficilius est, eluctari ex dubitationum fluctibus, & motus animorum fiducia auxilij diuini sedatos componere ad Dei voluntatem, præsertim vbi calamitates vrgent & dolorem refricant: eo & precibus ardentioribus petenda est hæc virtus à Deo, & maiore cura consectanda atque exercenda. Cuius rei videmus exemplum in viro optimo, ac doctissimo Magistro Artopæo Suollensi, qui cùm è patria, vbi adolescentiæ studia & mores rexit, tyrannide ac sæuitia Monachorũ eiectus, quod ætati teneræ insereret rectiores de Deo sententias, et notaret ac reprehenderet superstitiones, abusus, errores & idololatrias regni Pontificij, ob has ergò causas pulsus patria, cùm locum exilio delegisset in nostra Academia, quæ velut altera patria ei fuit, & exilij molestias & onus paupertatis, quod per se graue est, & afflictæ valetudinis incommoda (quæ cùm accessissent, impediebant ne docendo, vt ante consueuerat, victum quærere posset) moderatissimè atque constantissimè tulit. Et quanquam secundum

versum Poëtæ οὐδ' ὡς οὐκ ἀγαθὴ κεχρήμενον ἀνδρὸς ἀμύνει: In ipso tamen ea fuit verecundia, vt non modo non quereretur de suis rebus tunc quoque, sed ne cui grauis et molestus esset, ne quidem in morbo parceret valetudini, quin & docendo erudiret alios, & commentando perscriberet aliquid. Quarum operarum extat egregius liber de materia Physica, eruditè admodum & copiosè conscriptus, qui à doctis & intelligentibus valdè probatur, & vbi in lucem prodierit futurus censetur vtilis discentibus. Adfert ipsum exilium plus satis ærumnarum, præsertim si cum vxore & liberis migrandum sit. μεγάλη γὰρ τυραννὶς ἀνδρὸς τέκνα νηγενῆ: & generosi animi magis afficiuntur & excruciantur huius sexus atq; ætatis miserijs, quàm proprijs. Sed cùm ad errores exilij cætera accedunt, sunt grauiora omnia, præsertim si is decumbat, in quem curæ & sollicitudines omnes pro reliquis incumbunt. Conflictatus est autem Artopæus cum febribus longis & varijs, quibus fractæ tandem naturæ vires conciderunt. Expirauit heri post meridiem placidissimè, cùm sese in agone ipso & toto morbi tempore, simulq; coniugem exulem viduam, et orphanum filium ardentissimis precibus Deo commendasset, & coniugem, vt placidè

eidè ferret ærumnas, in quas non casu, sed voluntate Dei venisset, ac luctum moderaretur, certa spe auxilij diuini, obtestatus esset. Funerabitur hodie hora quarta, vsitatis Ecclesiæ nostræ ritibus. Quo tempore, vt scholastici adsint ad ædes, in quibus habitauit, propè typographum Cratonem, & honorem illi in deductione funeris supremum præstent, cùm multi auditores eius fuerint, hortamur.

IN PRÆLECTIONEM EPISTOLÆ AD Romanos.

EXORSI sumus enarrationem Epistolæ Pauli ad Romanos, quam manifestum est, esse LVMEN omnium aliorum scriptorum Propheticorum & Apostolicorum, & quasi, vt Lutherus eam ornat, ianuam & clauem ad scripturam sanctam, sine cuius cognitione & intellectu ingredi sancta Sanctorum nemo possit. Adeò huius Epistolæ cognitio necessaria est. Absoluimus autem eius Epistolæ caput primũ, in quo principio docet, reuelari voce Legis & Euangelij per Spiritum sanctum iram Dei de cœlo aduersus omnium hominum impietatem et iniustitiam, & vocari totum genus humanum ad

ad agnoscenda sua peccata, & ad agendam pœnitentiam, & credendum Euangelio. Ad quam Legis & Euangelij vocem arguentem & ostendentem peccata, & horribilem iram Dei aduersus peccata humani generis, accedunt tristissimæ & infinitæ miseriæ & calamitates, quibus premitur & ad pœnitentiam quoque vocatur miserum humanum genus, sicut hoc tempore, cùm homines ministerium verbi Dei vocale, vocans ad pœnitentiam, & iram Dei de cœlo reuelans, contemnunt, Deus alios, iram suam aduersus nostra peccata de cœlo reuelantes, ministros suos, non verbales, sed reales, in multa loca & regna orbis terrarum mittit, horrendam pestem & luem, bellum, famem, & plurimos alios similes concionatores & nuncios ipsius iræ, grassantes in genere humano & simul multa centena hominum millia perdentes & absumentes, qualis Angelus & nuncius iræ diuinæ, ὁλοθρευτὴς, primogenita Ægyptiorum, deinde & Sodomam ac Gomorram percutiens, perdens, & delens, fuit. Qui igitur DEVM, verbo Legis & Euangelij vocantem ad pœnitentiam audire nolunt, coguntur postea nolint velint audire DEVM facto, hoc est, horrendis pœnis vocantem ad pœnitentiam. Ideò Paulus dicit

reuelari

reuelari iram DEI, *de cœlo aduersus omnium hominum impietatem, & iniustitiam. Metuamus igitur iram* DEI, *& verbo & facto reuelatam. Deploremus peccata nostra & agamus pœnitentiam, ac fide & inuocatione confugiamus ad propositum propitiatorem, & propter hunc Pontificem nostrum pro peccatis nostris oblatum, & pro nobis intercedentem petamus remissionem peccatorum. Fidelis enim est et iustus Deus, vt remittat nobis peccata nostra & emundet nos ab omni iniquitate. Nam & aduocatum habemus apud Patrem, Iesum Christum, iustum, & ipse est propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris autem tantùm, sed etiam totius mundi. Ostendit verò Paulus in primo capite, primùm gentes esse peccato obnoxias, propterea quod Deum cognitum non glorificauerunt, neque ei grati fuerunt, propter quem contemptum* DEI *& erga ipsum ingratitudinem, gentes horribiliter à Deo esse punitas, traditas per cupiditates cordium suorum in immunditiam &c. Item in cupiditates ignominiosas. Item in reprobam mentem, vt facerent quæ non conueniebat &c. Idem ne & nobis contemptoribus & ingratis accidat, glorificemus Deum agnitum, & ei grati simus docendo, discendo, propagando & ornando ipsius*

ipsius doctrinam, sobriè & iustè & castè viuentes in præsenti seculo. Hoc verò secundo capite ostendet & probabit Iudæos esse quoque peccato obnoxios, etsi Legem Moysi habeant, cuius enarrationem proximo die Lunæ, hora tertia loco solito, Deo iuuante auspicabimur.

Georgius Maior sacræ Theologiæ Doctor & Professor publicus.

RATIONIS DICENDI STVDIOSIS.

PRÆCLARE ac sapienter de exercitatione in quocunq; studiorum genere Græcos pronunciasse existimo, cùm aiunt: μελέτη πάντα δύναται. *Intellexerunt enim homines sapientes vsu rerum edocti, quod exercitatione omissa nihil rectè in vllo genere artis perfici possit. Nam præcepta vt vt accurate proponantur, non perfectionem artibus addunt, sed tantùm ad eas viam monstrant atque aperiunt. Quare qui eruditionis aliquam saltem expetunt partem, in huius seculi confusione ac perturbatione, cognitis præceptis cuiuscunq; artis ac professionis vsum atque exercitationis assiduitatem indefesso studio adiungant. Consti-*

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-62-quod/start.htm?image=00000296

ſtit autem noſtræ artis, in cuius explicatione verſamur exercitatio, in meditatione, quæ cogitationem & deliberandi tempus reſpicit, in ſtylo, quem Cicero præſtantiſsimum dicendi effectorem ac magiſtrum optimum eſſe iudicat, ac in declamationibus, quæ orationes ſubitas & ingenij vires exerentes, complectitur. Hoc ordine in ſtudijs literarũ vt procedant neceſſe eſt, qui aliquem ſibi ac Reipublicæ literariæ fructum pollicentur, ac aliquid laude dignum in diſcendo perficere ſtudent. Cùm autem omnis exercitatio imitationi innitatur, quæ exemplũ ad præcepta artis elaboratum diligenti meditatione aſpicit, & ad eius ſimilitudinem ſtudio & labore alia effingere crebrò conatur, ſtudioſi in omni genere artis ſibi imitandos optimos quoſq; proponant, ac eligant. Quare in noſtro ſtudiorum genere qui tali natura atq; ingenio ſunt, vt conſequi orationis genus probabile poſſint, conferant ſe ſummo ſtudio ad imitationem Ciceronis, qui vt artifex multis nomimibus facultate dicendi cæteros Oratores ſuperans optima exempla exercitationis inſtituendæ præſcribit. Nec tantùm linguæ latinæ diſcendæ cauſa proponitur Cicero, ſed etiam ipſius diſpoſitio, inuentio, conſilia in dicendo admodum lectorem acuunt, & mediocribus ingenijs ſapientiam

entiam & prudentiam addunt, vt interea de ornamentis taceã, quæ hinc noſtris ſcriptis commodè inſeri poſſunt. Hoc itaq; conſilio dicendi artis explicationi adiungam deinceps Ciceronis Orationum præcipuarum enarrationem, vt ſtudioſi exemplũ omnibus numeris abſolutum, quod cum egregia vtilitate & ſuo commodo imitari poſſint, in promptu habeant. At cùm in his anno ſuperiori aliquot enarrauerim Orationes, quæ vſum in generibus cauſarum præcipuis declarant, nunc Orationem pro Ligario proponam, vt auditores videant rationem tractandi quæſtionem ſtatus Iuridicialis aſſumptiui, & viam imitationis in hac quoq; parte cognoſcant. Ordiar autem explicationem huius Orationis Deo volente proximo die Iouis. P. 5. Auguſti Anno 1565.

Albertus Lemeiger Hamburgenſis.

RECTOR ACADEMIÆ VVITEBERGENSIS SIGISmundus Ludouicus Liber Baro à Polheim & VVartenburg.

CAVSA mortis & miſeriarum præcipuarum in genere humano peccatum eſt, quæ

commentatio ad ſalutarem mortis præparationem neceſſaria eſt, vt accendatur ſtudium quærendi liberationem & gratiam diuinam in CHRISTO, per quem & in quo remiſſionem habent peccatorum, iuſticiam & reconciliationem cum Deo credentes. Et hoc modo efficitur vt tales non amplius cauſam habeant, cur mortem extimeſcant, cùm ſint liberati à peccato, ira Dei, & condemnatione, Ita ſignificatur nobis animo intrepido mortem obiiſſe nocte præterita vxorem honeſti viri DANIELIS SEHVSII Hertzbergenſis, quæ per ſex tantùm menſes in coniugio ipſius vixit. Hæc efferetur hodiè hora 4. ex ædibus viciniæ huius. Cùm autem maritus in communitate ſit ſcholaſtica noſtra, & petat à nobis inuitationem publicam ad funeris deductionem, hortamur ſcholaſticos, ne pietatis & humanitatis hoc officium in ſe requiri patiantur, Et precibus ſuis commendent Deo & publicas et priuatas res ſuas, eiq; gratias agant, quòd inter bellorum tumultus, & peſtilentiæ graſſationes hæc loca hactenus protegit. Quod vt deinceps etiam faciat, religiosè eum inuocemus.

P. P. 16. Calend. Septemb.
Anno 1565.

Rector

RECTOR ACADEMIÆ VVITEBERGENSIS SIGISMUNDUS Ludouicus Baro à Polhaim Dominus in VVartenb. &c.

SCRIPTVM eſt: Vias noſtras, qui eſt curſus vitæ, non eſſe in manu noſtra, Et ſunt conſilia Dei in gubernatione huius, mirifica, & in plæriſq; inexplicabilia, Alius matureſcit ad operam nauandam Eccleſiæ Chriſti, & Reipublicæ, alius ante hanc maturitatem concidit, ex ijs autem, qui ad hunc vſum maturuerunt, de aliquibus iuſti fructus percipiuntur, alij oſtenduntur tantùm, nec vltra eſſe ſinuntur, ſecundum Poëtæ ſententiam, cuiuſmodi fati in præſentia exemplum cum dolore noſtro nobis proponitur. Studuit hoc à prima ætate iuuenis bonus & eruditus MARTINVS HVNLERVS Hilpoltſteimenſis, quod eſt oppidum in arenis Noricis, vt docendo inſeruiret ſocietati hominum, atque in optimi Ludimagiſtri GEORGII AGRICOLÆ, optima diſciplina educatus Ambergæ, poſtea ſe in hanc ſcholam publicam noſtram contulit, in qua per annos continuos quatuor ita vixit, vt propter pietatem & honeſtatem vitæ, & in diſcendo diligentiam carus eſſet omnibus, in ſtudijs autem pietatis

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-62-quod/start.htm?image=00000298

& literarum, eò vsq; progressus fuit, vt summos in Philosophia honores peteret, & his diebus auditus atque examinatus inter eos, qui Magistri bonarum artium renunciandi sunt, is esse repertus fuit, qui non tantùm testimonio illo publico rectè ornaretur, sed multis etiam alijs præferri posset. Cùm autem valetudine esset tenuiore, & pulmonum morbo laborans paulatim tabesceret, heri vesperi inter religiosas preces suas, & eorum, qui ei affuerunt placidè expirauit, die sexta ante eam, qua publicè renunciari Philosophiæ Magister debuit. In hoc igitur optimo iuuene, cùm maturuissent iam ea, quibus Ecclesiæ Christi & Reipub. vtiliter inseruitur, quibusq; ipse sine dubio ad gloriam DEI, & salutem publicam præclarè fuisset vsurus, sine fructu hoc, quem ferre in ipso ad alios poterant, et percipere ex his Ecclesia debebat, occulto iudicio DEI vniuersa concidere, Ipsi tamen & viuo & mortuo fructus tulere præclarissimos. In viuentis enim animo sedem idoneam pietati, virtuti & doctrinæ effecere, & nunc mortuo præstant elogium debitum & honestam memoriam, quod considerantes Scholastici, de hoc etiam exemplo se ad culturam eorum exuscitent, quæ viuis & mortuis salutaria sunt, & glorioſa. Efferetur autem hodie

hodie ex ædibus Scholasticis quas incoluit, hora 4. cuius funus, vt nostri frequentes & studiosè deducant, & officium postulat, & nos, vt facere velint, omnes hortamur. P. P. 15. Calend. Septemb. Anno 1565.

DECANVS COLLEGII PHILOSOPHICI IN ACADEMIA VVitebergensi VVolfgangus Zeisenus Fuldensis.

QVEMADMODVM Dux paucorum militum casu strenui militis, qui cadens in acie, pulchram petit per vulnera mortem, solet commoueri: Ita ego, si licet parua comparare magnis, non possum non vehementer perturbari morte nostri Candidati MARTINI HVNLERI, qui vt fortis miles, sed afflicto corpore στρατεύων καλὴν στράτειαν iuxta Paulum, καὶ ἔχων πίστιν καὶ ἀγαθὴν συνείδησιν in actu, hoc est, in assiduis studiorum laboribus, & vera inuocatione filij Dei, vnici Saluatoris & redemptoris nostri Iesu Christi, mortuus est, atq; in aliam scholam cœlestem videlicet, translatus, noluit expectare nostrum illud fragile & caducum σκεῦος, quo iam vnà cùm cæteris competitoribus ornandus erat, sed magno desiderio expetiuit coronam vitæ, quam nunc me-

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-62-quod/start.htm?image=00000299

liore sui parte haud dubiè consecutus est, iuxta illud Apocal: 2. Capite: γίνου πιστὸς ἄχρι θανάτου καὶ δώσω σοὶ τὸν στέφανον τῆς ζωῆς. Sed quid mihi in hoc mœrore faciendum est, num amisso vno, reliqua cohors, quæ non caret strenuis militibus, est deserenda? minime, imò moneo, vt suam singuli stationem & locum fortiter tueantur, & ne in illo communi dolore reliqui παρασάται, fracti animis ex acie fugiant, vt solent λειποτάξιοι, sed potius amissi virtutem & pietatem quantum fieri potest, imitentur, ita & ipsi aliquando in simili agone, vbi ex hac militia in οὐρανίους σκηνας, vt hesterni diei Euangelica historia loquitur, commigrandum est, eandem coronam accipiant. Cùm autem nunc aliquot diebus studia eorum, qui gradum Magisterij Philosophici à Collegio nostro petunt, in priuatis examinationibus tentauerimus, hodie Deo auxiliante, hora prima in doctissimorum virorum theatrũ eos producemus, vt publicè audiantur. Quare etiam atque etiam Doctores, Magistros, & alios honestos ac doctos viros oramus, vt ad publicum examen in medicorum auditorio frequentes conueniant, & hoc officio declarent, se his congressibus delectari, & suo quisq; loco iuuentutis studia pro virili parte adiuuent. Die 20. Augusti Anno 1565.

Caspar

CASPAR PEVCERVS.

ETSI non ignorabam, quantum in me onus reciperem cùm mihi enarrationem Chronicorum imponi passus sum, Cessi tamen voluntatibus Collegarum eo tempore, & cùm vires sufficerent ad vnam horam, quæ veteri consuetudine mihi tribuebatur, adieci etiam alteram, ne deessem studijs discentium. Sed cùm hic annus me vehementer afflixerit, ita vt sustinere & difficultatem oneris, & assiduitatem prælectionum nequeam, cogit me vel inuitum valetudinis ratio pomeridianam horam diei Mercurij ad aliquod tempus intermittere. Hanc igitur intermissionem ita à scholasticis accipi volo, vt me ad gemminatas operas rediturum pollicear, quamprimum me mediocriter recollegero. Non deerunt tamen eo ipso die prælectiones auditoribus nostris. Nam vir clarissimus M. Esromus Aristotelis Ethica Græca enarraturus est, quem vt audiant scholastici diligenter, hortor. Digni enim sunt libri cognitione. Benè & feliciter valete. Die 22. Augusti, Anno 1565.

SENATVS ET CONSILIVM publicum Academiæ VVitebergensis vniuersis ditioni huius subiectis.

MOSES *in veteri Testamento Legem promulgauit, qua filios obstrepentes suis parentibus & immorigeros lapidibus obrui iubet, & Athenienses adeò strictè leges suas & edicta obseruari voluerunt, vt missos in Arcadiam Legatos, quòd alia via, quàm à Magistratu imperatum erat, profecti fuerant, tametsi summo studio mandata perfecerant, tamen domum reuersos morte mulctarint. Tanta fuit illis seculis in cohercenda malorum hominum petulantia, & in conseruanda autoritate suarum Legum animaduersionis severitas, quæ si nunc quoque à Magistratibus adhiberetur, minus esset turbarum & malorum in vita humana. Sed vt alia sub finem mundi senescentis ruunt & intereunt: Ita etiam autoritas Magistratus in extremum penè venit contemptum, & crescit audacia & petulantia malorum hominum, quæ quidem eò vsque progressa est, vt non tantùm sine metu peccent plærique, sed quod tristius est, ἀναδείαν καὶ ἀπαιδίαν inter præcipua nobilitatis ornamenta ponant. Hanc publicam morum corruptelam & viuendi licentiam puniet* DEVS *procul dubio, & quidem præ oculis grassantur pœnæ grauissimæ, quæ excitare nos ad pietatem & ad curam tuendæ & seruandæ di-*

sciplinæ poterant, si quis sensus esset in huiusmodi hominibus reliquus, aut si quis persuadere his posset., accendi magis atque irritari iram diuinam hac morum petulantia & libidine. Nos quidem ne officio nostro defuisse videamur, sæpè repetimus Leges & statuta nostra, & addimus commonefactiones necessarias, & si quos animaduertimus viuere liberius, hos increpamus & castigamus, nonnullos etiam, si locus amplius non sit admonitionibus, à communitate nostra ad tempus remouemus, aut si facinus commissum sit atrocius, prorsus excludimus. Sed quantum proficiamus in conspectu est. Quò enim magis obuiam ire petulantiæ quorundam studemus, eò magis accendi eorum rabiem animaduertimus, & vno atque altero amoto, plures in horum locum succedere cernimus. Quæ res quantum difficultatis & molestiarum, addo & periculorum nobis pariat in gubernatione, & quantum labores nostros reliquos impediat, vident omnes boni & nobiscum deplorant. Quanquam autem hæc omnia dolorem nobis adferunt maximum, non tamen ita animo frangimur, quin ea, quæ officij nostri sunt, agere pergamus. Non enim dubitamus & commonefactiones nostras locum inuenire apud bonos

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-62-quod/start.htm?image=00000301

bonos & honeſtos in hoc cœtu ſcholaſtico, & operas noſtras publicas horum ſtudijs plurimum prodeſſe. Apud malos & ingratos diſcipulos, ſi nihil proficimus, DEO id committimus, qui ſuo tempore oſtendet ſe ſtare in Synagoga Deorum, & in medio horum iudicare, nec nobis tantùm, ſed ſibi hanc contumeliam à noſtris ſcholaſticis factam eſſe, qui poſthabito omni pudore non verentur totum ſenatum noſtrum contumelioſiſſimè vexare. Diu iam turbat hanc ſcholam & Rempublicam N. N. digladiationibus, diſcurſationibus nocturnis, alendis factionibus & odijs, quæ nationes aliquot iamdudum inter ſe exercent non ſine bonorum hominum dolore maximo, & nuper cum adoleſcentem Nobilem percuſſiſſet, & ad cauſſam dicendam à miniſtro publico eſſet citatus, ipſe ſpreta & contempta autoritate noſtra, paulò pòſt ex vrbe diſceſſit. Reuerſus tandem ad publicam citationem noſtram, cùm à ſenatu Academiæ iuſſus eſſet diſcedere, eaq; in re cùm ſuæ incolumitatis, tùm publicæ tranquillitatis cauſa nobis morem gerere, non ſolùm non obtemperauit, ſed paulò pòſt cùm iterum de conſilio noſtro à miniſtro publico ei certus dies, quo hinc diſcederet, eſſet præfinitus, e vrbiens ad Vicerectorem nõ tantùm minatus

tus ei atrociter, ſed conceptis verbis in necem eius iurauit. Ac heri cùm iam tempus diſceſſui præfinitum elapſum eſſet, vt oſtenderet ſe nec leges noſtras vereri, nec autoritate noſtra vlla moueri, adoleſcentem quendam obuiam ſibi factum pugione ſtricto hoſtiliter inuaſit ac vulnerauit, non aliam, quantùm intelligimus, ob cauſam, quàm quòd familiarius eum conuerſari & viuere cum quodam, quem ille oderat, vidiſſet. Hæc omnia quanquam talia ſunt, vt grauiorem pœnam mereantur: tamen quia animum paternum erga noſtros non exuimus, & ipſum N. ſperamus paulò pòſt, vbi ad ſe redierit, ſanioribus conſilijs locum daturum, mitius cum eo agere in præſentia ſtatuimus. Quare ne vel ipſi, vel alijs in hoc oppido ſuis tumultuationibus, deinceps periculum aliquod creet, & vt publicæ tranquillitati à nobis conſulatur, biennium eum ab hac Academia abeſſe volumus, idq; à nobis communi conſilio decretum eſſe publicè ſignificamus.

Cæteros verò ſcholaſticos hortamur, vt modeſtiam, iuſticiam & tranquillitatem communem ament & colant, ac cogitent, ſe hûc à ſuis mitti non tanquàm ad militum caſtra, in quibus armis, mutuiſq; vulneribus ſe cõficiant, ſed Muſarum Gymnaſia, in quibus pietatis, honeſta-

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-62-quod/start.htm?image=00000302

neſtatis,& optimarum artium culturam exerceant,ſeq; ad conſeruationem ac propagationem doctrinæ cœleſtis, & aliarum artium quanto poſſunt ſtudio præparent. Inprimis autem ſeuerè prohibemus, ne qui factionibus ſe miſceant,aut cantilenis contumelioſis odia nationum inflamment. Nam ſiqui commiſiſſe aliquid contra ſtatuta noſtra hac in parte deprehenſi fuerint, eos & nos puniemus ſeueriſsimè, & & Magiſtratus oppidanus non deerit ſuo officio. P. P. Calend. Septemb. Anno 1565.

RECTOR ACADEMIÆ VITEBERGENSIS SIGISMVNDVS Ludouicus Baro à Polheim.

PRÆFVIT Eccleſiæ vicini oppidi Czanæ per annos fermè duodecim, vir pius & doctus IOHANNES GOLCEPREIS, natus in laudatiſsima Republica vrbis Noricæ, qui in hac Academia longo tempore in ſtudijs pietatis & literarum vixit, atq; ita vtrunq; præſtitit, quod eſt in præcepto ſacro ὑπὲρ εὐσεβείας καὶ λόγου & μάνθανε. Hic inter liberos ſuos reliquit filium Iohannem, qui cùm in literis educaretur,ita in his verſatus eſt, vt morum probitate,& ſucceſſu laboris ſui in diſcendo,bonam de ſe expectationem concitaret. Ante ſemeſtre autem cùm ex parentis ciuitate, in patriam huc

huc & Academiam noſtram rediret, inualetudinem ſecum attulit & corpore malè affecto paulatim cõtabeſcens,heri inter ſuas,matris honeſtæ viduæ, et circumſtantiũ aliorum religioſas preces expirauit: Cuiuſmodi ſignificationis verbo Hebræi de morte leni & placida vtuntur, qualis fuit et huius Iohannis noſtri, Atq; viuendo hic nondũ attigerat annum ætatis 18. quæ ætas biuij eſſe illius videtur, quod deſcripſit veteris Prodici apud Xenophontẽ fabula. Omnino autem hic noſter virtutis viã ingreſſus pleno gradu,& optima cum ſpe omnium in hac pergebat, vel decurrebat potius, ſed occultõ Dei iudicio hunc curſum ei conficere non licuit,vt ad operam nauandam Eccleſiæ Chriſti & Reipub. atq; ita ſocietati humanæ vniuerſæ, vita & ſtudia ipſius matureſcerent. Sicut autẽ tàm formidoloſis temporibus,et in ruina tàm artiũ quàm rerum bonarũ fermè omniũ, et noſtra & aliorum mors,etiã ab hac parte conſolationẽ reperire poteſt, ita ſuperſtites eadem cauſa ad pietatis & precum ſtudium ardens excitare debet. Quod reſtat hortamur Scholaſticos, vt mortui corpus ad ſepulturam frequentes deducant quæ fiet hodiè hora duodecima. Efferetur autẽ ex ædibus honeſtiſsimæ matris viduæ in platea quam Iudæam cognominant, vbi conuenire noſtros ad funus ducendũ volumus. P. 4. Non. Septem. Anno 1565.

Rector

RECTOR ACADEMIÆ VVITEBERGENSIS SIGISmundus Ludouicus Baro à Polheim &c.

Vox diuina paruulos docet non tantùm esse partem cœlestis Ecclesiæ, sed hoc etiam pronunciat, qui non accipiat regnum Dei, vt paruulus, eum non fore participem huius. Et secundum Psalmi carmen, Ex ore infantium & lactentium laudem sibi parat Dominus, vt quamuis societati hominum per ætatem hoc genus inseruire nondum possit, & vita tamen horum gloriosa sit Deo, & exeuntes ex hac ad πολίτευμα commune credentium, quod in cœlis est, congregentur. Ad hoc euocatus est hesterno Martinus Ezelius Reuerendi viri D. Magistri Petri Ezelij Diaconi Ecclesiæ huius filius, ætate bimulus, natura succumbente in denticione, qui sepelietur hodie hora quarta. Hortamur itaque Scholasticos, vt ante notas ædiculas parentum demortui ad funeris deductionem indicato tempore conueniant, & hoc modo pietatis Christianæ officium commune, & patri etiam peculiariter debitum præstent, cuius in vita vniuersa probitas, & integritas, & in munere publico fides, & diligentia

gentia spectata est. Cum autem & valetudinis hæc pars anni pericula complectatur multiplicia, & tempora sint formidolosissima, curam & respectum in nobis hoc excitet, & nostri & rerum communium, & precum & pietatis studium, qua consideratione Theodosius scribit, ὅτι κρείττων ἀσφαλείας κίνδυνος, καὶ συμφορὰ εὐημερίας αἱρετωτέρα, In securitate enim, & cum metus aut periculi nihil est ἡμὲν τοῦ κόσμου, Nam ipsius verbis hæc rectissime exponuntur, μετὰ δὲ τοὺς φόβους τοῦ θεοῦ γεγενήμεθα.

P. P. III. Non. VII bris.
Anno 1565.

RATIONIS DICENDI STVDIOSIS.

AD diem Iouis proximum, qui est vigesimus huius mensis, instituam explicationem splendidæ orationis, quam Cicero ad Cæsarem habuit pro Marco Marcello, viro Clarissimo ac nobilissimo. In huius enarratione dicendi rationis studiosis exemplum tractandi gratiarum actionem in genere demonstratiuo proponitur. Nam in hac oratione Cicero nomine Reipublicæ & Senatus gratias egit Cæsari,

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-62-quod/start.htm?image=00000304

quòd Marcello poteſtatem fecerit in patriam redeundi ad priſtinum honoris & dignitatis locum, & illuſtri ac ſplendida oratione hoc liberalitatis ac clementiæ factum orbi terrarum commendat. Eſt hæc oratio dicta à Senatu ad Cæſarem iam victorem & conſulem, cum Cicero ageret annum quinquageſimum nonum, ex cuius circumſtantiæ mentione forma orationis obſeruari poterit. Nam cum ſit dicta à Senе oratio, voluit eam pro Senili ſapientia ſententijs grauiſſimis exornare, quas ex ſapientiſſimorum Philoſophorum ſcriptis deſumptas ſuo loco monſtrabimus de moderatione iræ & vindicta in victoria, de inſtabilitate rerum humanarum, de cauſis veræ & ſolidæ gloriæ, cuius laudem præclaris factis Cæſar ſæpiſſimè quaſiuit.

Etſi autem oratio demonſtratiua eſt, cum præcipua eius pars in commemoratione ac commendatione inſperatæ clementiæ ac laude digniſſimæ conſumatur: tamen vt fit in orationibus, aliorum quoq; generum loci in hanc incidunt. Refutationem enim ſuſpicionis à Cæſare conceptæ de inſidijs ſuorum Ciuium artificioſè ſubiungit, quem locum ad cauſam coniecturalem pertinere non eſt dubium. Sed de hac diſputatione auditores commonefaciam in ipſa explicatione, quam ordiar DEO volente die ab hinc quarto. Valete. P. 6. Septemb. Anno 1565.

Albertus Lemeiger Hamburgenſis Profeſſor.

RECTOR ACADEMIÆ VVITEBERGENSIS SIGISMVNDVS LVdouicus Baro Auſtriæ à Polheim, & dominus in Vuartenburg, &c.

VT præſidia & excubias caſtorum Angelorum à DEO æterno Patre Domini noſtri IESV CHRISTI ardentioribus precibus efflagitemus hoc tempore, non impellat nos tantum anniuerſaria Eccleſiæ feſtiuitas memoriæ Sanctorum Angelorum dicata, ſed multò magis periculorum magnitudo, quæ vndiq; ingruunt tanta, vt vaſtitatem infinitam effectura, et παωολεθρίαν Eccleſijs, Rebuſpub: Scholis, Oeconomijs allatura videantur, niſi diſcuſſa fuerint atq; depulſa diuinitus. Eccleſia laceratur atq; conuellitur inſanis contentionibus miſerandum in modum. Inde paulatim irrepit in animos hominum prophanitas, quæ aliquanto poſt obruet atq; extinguet, quantulum adhuc de reſtituta puritate doctrinæ, quantulum religioſæ

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-62-quod/start.htm?image=00000305

pietatis reliquum est. Ex Ecclesiasticis dissidijs nasci videntur occulta semina maiorum dissensionum. Ea quoq; ni repressa fuerint diuinitus, tandem in funestum & parricidiale sese effundent bellum. In vicinum Septentrionem bello ardentem iam annum tertium, nunc insuper deseuit lues pestifera, non minore veneni, quàm bellum armorum atrocitate. Et paulatim infectionum contagia inde sese ad loca nobis propiora extendunt. Ab immanitate barbarica Turcorum & Moscorum, quæ impendebant pericula, si quis ignorat, is vel ex historijs repetat deuastatas à Turcis horribiliter prouincias, & imposita seruitutis crudelissima iuga gentibus, vel intueatur exemplum DERBATI Liuoniæ oppidi, cuius incolas nuper Barbarus hostis partim nauibus auexit, partim terra pecudum instar abegit, distribuendos in vastas Septentrionis solitudines, tanta cum consternatione, & eiulatu ac clamore tanto miserorum hominum, vt multi ex desperatione in mare sese abiecerint, multi senes & infantes itinerum labore fracti conciderint atq; defecerint, grauidæ multæ abortu facto protinus expirarint. Domestica vulnera non libenter attingimus. Hæc pericula cum recitantur, ne surdis auribus prætermittatis, néue contemnatis, vos obtesta-

testamur scholastici propter DEVM. Cumq; periculorum magnitudinem animis expenditis, simul de præsidijs cogitate, quæ contra tantam vim comparata sunt diuinitus, & quibus illa præstò sint. Scitote ergò ad defensionem generis humani aduersus insidias & sæuitiam Diabolorum, & malorum hominum vim atq; impetus conditos esse sanctos Angelos, de quibus ita sensit religiosa antiquitas, vt sua regnis singulis & Politijs agmina Angelorum, suos singulis hominibus attributos esse crediderit, nixa testimonijs scripturæ sacræ. Nam Deuteronomij 32. dicitur: Diuisit altissimus gentes, separauit filios ADAM, constituit terminos gentium, iuxta numerum Angelorum DEI. Et suum regno Persiæ Angelum DANIEL, suos Ecclesijs singulis liber Apocalypsis præficit. Id vetusti Scriptores ita intellexerunt, sicut Clemens Alexandrinus interpretatur, ὅτι κατὰ τὰ ἔθνη καὶ τὰς πόλεις νενέμηνται τῶν ἀγγέλων ἀρχαί προσασίαι. Item, εἰσὶ σωδιανενεμημένοι προσάξει θείᾳ τινὶ καὶ ἀρχαίᾳ ἄγγελοι κατὰ τὰ ἔθνη.

Etsi enim imperia plærunq; tenent impij, imò blasphemi hostes Filij DEI: tamen in his quoq; quod recte fit & bene, hoc à sanctis Angelis proficisci, & consilia perniciosa ab his auer-

ti, elidi, impediri, præsertim si in Ecclesiæ sine exitium structa, & ad vlciscenda ac punienda aliarum gentium scelera excitari, impelliq; ab Angelis totas gentes, Deniq; principes iusta ac necessaria bella gerentes protegi & adiuuari ab ijsdem minimè dubium est. Sicut in hanc sententiam præclarè EPIPHANIVS inquit: κινδύμνοι οἱ ἄγγελοι κινδῦσι τὰ ἔθνη εἰς ὀργὴν ἐκδικίας. Erat in exercitu Romano legio Christiana, quæ nomen habebat ab Insula Melite, Vulgo Maltha nuncupata, in qua PAVLVS semina Euangelij sparsit, vt est in Actis: Nunc obsidetur arctißimè, & oppugnatur acerrimè à Turcis in mensem quartum conatu non prorsus irrito. Nam propugnaculum promontorio impositum ad præcludendum accessum per angustum sinum, cui nomen est à sancto EREMO, vi expugnatum venit in hostium potestatem. Hæc legio cum in Antonini Philosophi expeditione contra Quados ferociß imam gentem non ferro tantum, sed precatione præliaretur, precibus suis exercitui & siti laboranti pluuiam largam, & pene desperanti de victoria, sanctorum Angelorum opem manifestam impetrauit, qui crebris è cœlo fulminibus in hostes euibratis atq; excußis Imperatori victoriam pepererunt, vnde legioni nomen datum est κεραυνοβόλου, id est, fulminatrix. Nec di-

bitemus rabiem furoris & vim potentiæ Turcicæ à prouincijs Christianis hactenus per solos sanctos Angelos auersam esse, perfectũq; vt sese incitaret et effunderet in Asiam potius q̃ in Europam. Sed conditos esse sanctos Angelos præcipuè ad Ministeriũ Ecclesiæ ostendit Epistola ad Hebræos, in qua nominantur λειτουργικὰ πνεύματα, missa ad ministerium illorũ, qui hæredes sunt futuri vitæ æternæ. Ergo Ecclesia præcipuè custoditur ac defenditur a sanctis Angelis, & imperia ab ijsdẽ firma tutaq; à bellis, ac tranquilla præstantur propter Ecclesiã, Sicut Psalmus testatur: Castrametatur Angelus Domini in circuitu timentiũ eũ. Quod & de tota Ecclesia, & singulis eius membris verũ esse, cõprobat experiẽtia. παντὶ πεπιστευκότι εἰς τὸν κύριον, inquit BASILIVS, κἂν εὑρεθῇ ἄγγελος, ἐὰν μὴ πότε αὐτὸν ἡμεῖς ἐκ τῶν πονηρῶν ἔργων ἀποδιώξομεν. Omni credenti in Dominum assidet Angelus, nisi peccatis nostris abigamus eum ac profligemus. Sed publica exempla in Imperijs illustriora sunt. Dimicandũ erat Theodosio pio Imperatori cũ exercitu seditioso, quẽ Eugenius & Arbogastus autores defectionis ducebant, & alter ducũ Eugenius, vt se ostenderet exemplo Iuliani Ethnica sacra instauraturũ esse, pinxit in vexillo Herculem. Ibi Theodosio pensitanti,

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-62-quod/start.htm?image=00000307

quàm difficilis esset futura pugna cum exercitu rebus omnibus superiore, & totam noctem precibus consumenti, offertur species, quæ hortatur eum ad præliandum. Huic obtemperans producit aciem, quanquam loco constitutus iniquiore, & ingenti ventorum flatu ac turbine hostes oppositos perturbante præter omnium spem & opinionem vincit, vt tum etiam iudicatum sit, cum Theodosio in hostes pugnasse sanctos Angelos, quemadmodum & CLAVDIANVS scripsit:

O nimium dilecte DEO, cui militat æther,
Et coniurati veniunt ad classica venti.

In Arcadium Theodosij filium seditionem mouerat Gottus quidam CAIANVS nomine, Arriana infectus lue, hic cum incendere regiam Arcadij in vrbe Constantinopoli nocte conaretur, conspectus est exercitus Angelorum, qui Caiani milites depulit. Constabat enim domum eius tunc nullis præsidijs munitam fuisse. Talibus exemplis & promissionibus excitetis animos hoc tempore ad inuocationem seriam & assiduam: Precemini Deum, vt per Angelos sanctos extimulet pios principes ad arma aduersus Barbaras gentes capienda. Illos verò vt gubernet atque adiuuet, qui nunc pro pro Ecclesia magno cum discrimine præliantur. Mitiget

Mitiget etiam immensa bonitate ac misericordia, sæuitiam grassantis passim pestilentiæ, & iubeat angelum prosternentem multitudinem innumeram continere manum suam, sicut præcipiebat Angelo fundenti populum Israëliticum in historia Dauidis. Cum verò & sceleribus, pugnantibus cum lege DEI, offendantur ac repellantur à nobis casti Angeli, implorato auxilio Spiritus sancti, detis operam omni contentione virium, vt pietate, sobrietate, castitate, modestia in sermone, incessu, gestu inuitetis & alliciatis ad vos sanctos Angelos. In Barbarie illa plusquàm cyclopica, cuius exempla conspeximus ingenti cum dolore aliquot, scitote inesse furores Diabolicos & Erinnyas, quarum ad autores fructus redibit. Cùm autem vsitatum sit, hoc etiam die Festo castorum Angelorum, publica significatione aliquam erga ministerium Euangelij gratitudinem ostendere, præcipimus vobis, vt HODIE munera ad aram frequentes offeratis, vt hoc etiam piæ gratitudinis officio castos Angelos vobis concilietis ac deuinciatis. Datæ in Festo castorum Angelorum.

Anno 1565.

PIO ET CANDIDO LECTORI S. D.

NVnc puro meritas animo persoluere grates,
Ac celebrare Dei munera quenq; decet.
Quod bonus æthereos iunxit mortalibus ægris
Custodes, horum qui mala damna leuent.
Nam licet hos longè decorat præstantior ortus,
Corporea siquidem sunt sine mole sati:
Non tamen humano generi seruire recusant,
Idq; ministerijs, officijsq; fouent.
Nã quis erit nisi mẽtis inops rationis & expers,
Se tectum Angelico qui neget esse choro?
Aspice sæuiciam Cacodæmonis, aspice fraudes,
Hic quacunq; potest arte nocere, nocet.
Nunc solet horrendis terras accendere bellis,
Vt fera crudelis miles in arma ruat.
Dogmata iam Christi verbis contraria spargit,
Impellens tumidos ambitione viros.
Quin etiam Reges ad sæuas concitat iras,
Vt Sanctos tollant carcere, Marte, fame.
Quam multos odijs frangit, q̃ corpora morbis
Implicat, interitum quô struat ille pijs.
Et ni fata obstent, superumq; benigna voluntas,
Euertat subitò totius orbis opus.
Tantum odium Generis flãmato in pectore ver-
Tamq; venenato fertur amore necis. (sat,
Non

Nõ tamẽ innumeris pia fraudibus agmina delet,
Hæc cincta æterno numine tuta manent.
Aligeris nam iussa dedit Rex magnus Olympi,
Vt reprimant Stygij vimq; dolumq; lupi.
Hi seruant hominum cœtus, Christoq; dicata
Agmina cœlesti sæpe tuentur ope.
Hi morbos abigunt, hi lætæ munera donant
Pacis, & à sanctis cœtibus arma fugant.
Hisq; voluptati est adeò defendere tales,
Qui superũ placida dogmata mente tenent.
Tanta igitur par est agnoscere munera grato
Pectore, vt autorem noueris esse Deum.
Sic acies cœli merito veneraris honore,
Cùm celebras grato Carmine dona Dei.
Non alij cultus cœli debentur alumnis,
Non his templa struas, non tua vota feras.
Ergo meo exemplo quò Relligiosa iuuentus
Inuitata Dei munera tanta canat:
Expediam, Angelicis, quæ sit natura, quis ortus,
Quodq; Pater munus iusserit esse choris.
Quemq; iuuat superûm benefacta audire Canen
Conueniat, medium Sole tenẽte diem. (tem,

Recitabitur hodie hora XII. in auditorio noui Collegij, in festo Angelorum, Anni 1565.

Georgius Mauricius
Noribergensis.

Iohannes

IOHANNES POSO I. V. DOCTOR, STVDIOSIS IVRIS CIVILIS S. T. D.

Dvo sunt omnium operum humanorum summa & difficillima, Docere & Gubernare. De illo rectè Plato ait: Nemo docebit, nisi Deo gubernante studium. De altero Sigemundum Imperatorem dicere solitum accepimus: Mirari se cùm alias artes, quantumuis peruulgatas, ac tritas vel sordidas etiam, atque contemptas exercere nemo ausit aut velit, nisi qui probè eas didicerit, Imperare tamen nemo non cupiat, & id conari audeat, quæ sit ars omnium difficillima. Neq; obscuræ sunt difficultatis causæ, quarum fons est & origo, ingens caligo humanæ mentis, et voluntatis infirmitas, viriumq; cæterarum huic subiectarum contumacia, quo fit, vt & mens sæpè impingat, hallucinetur, aberret, aut impulsa leuiter de veris etiam atque conceptis citò decedat sententijs, & contra mentis iudicium voluntas, aut victa sua imbecillitate, aut incitata cupiditatum flammis, persæpe feratur ac ruat in scelera. Sed de causis his mihi disputare hîc non est constitutum. Difficultatem intueor, animoq; metior eorum operum, quæ mihi enarrationem doctri-

næ legum in hac Academia suscipienti imponuntur. vtrumq; enim onus Iurisconsulto incumbere video, quocunque is loco versetur: Interpretationis legum, & gubernationis. Etenim & cum docet, vel de Iure respondet in Schola, format aut regit iudicia, ac sententias eorum, qui ad gubernacula sedent, & cum partem gubernationis sustinet, docet, monstrans fontes controuersiarum, de quibus cognoscitur ac pronunciatur. Sapientia legum immensa est & inexhausta. Nam lex radius est sapientiæ diuinæ, hominum mentes ceu particula quædam diuinitatis mirifico naturæ cognatæ consensu inter sese deuinciens, ne genus humanum dissipatum intereat, sed vt iusticia consociatum ad agnitionem Dei, ad certam coniugiorum formam, & ad omnium virtutum intellectum, & officia assuefiat, & sint ac maneant honesti hominum cœtus, in quibus luceant sapientia, iusticia, castitas, beneficentia, & fiat rerum communicatio legitimis contractibus, & voce iudicum populus de iusticia erudiatur, denique vt foueri atque educari soboles & doctrina excoli possit. Hanc sapientiam in legum interpretatione rudioribus exponere quanti ingenij est & studij? quantæ exercitationis & eloquentiæ? Cumq; diuina res sit, nisi diuino

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-62-quod/start.htm?image=00000310

uino Spiritu mentem illustrante, ac dirigente cogitationes intra legitimas metas ad normam expressam in Decalogo, vix rectè explicari possè à quoquam omnino mihi persuadeo. Magnæ res sunt, de quibus Ordo Iurisconsultorum consulitur, & complectuntur præcipua societatis humanæ fundamenta ac neruos, de religione, de omnibus vinculis pacis & iusticiæ, de coniugijs, de causis bellorum, de iure defensionis, de dirimendis bellis, de fœderum interpretatione & autoritate, de hæreditatum diuisione, de singulorum patrimonijs & domicilijs tuendis. Idcirco summa cum reuerentia nec vnquam sine seria opis diuinæ imploratione res tantas aggrediendas & tractandas esse iudico, præsertim cum vox diuina diserte dicat, Dei iudicium exercere eos, qui vel præsunt iudicijs, vel iudicum sententias dirigunt. Etsi autem cum animo meo magnitudinem huius oneris, quod ordo noster sustinet, me considerantem, poterat quædam vel timiditas vel reuerentia permouere, vt cum autoritate Illustriss: Principis & D. D. Augusti Ducis Saxoniæ, Sacri Romani Imperij Electoris & Archimarschalli &c. Mecœnatis ac patroni Ecclesiarum, Scholarum & optimorum studiorum incomparabilis, huc ad ius docendum voca-

rer, prouinciam hanc recusarem, tamen confirmauit me & vox filij Dei promittentis Spiritum sanctum inuocantibus, & testimonium ipsius Spiritus sancti affirmantis, labores susceptos cum inuocatione Dei, ex vsu & salute generis humani non fore irritos, &, quod certò scio, opus honestissimum & Deo gratissimum esse iuuare discentium studia. Iudicabam etiam debere me hanc gratitudinem dulcissimæ matri, deq; meis studijs optimè meritæ Academiæ VVitebergensi, vt pro impensa in me opera & cura meam vicissim operam reposcenti suo quodam de me iure & iudicio, eam minime denegarem. Ergo quod felix sit & faustum, huius Academiæ publicis in Iure studijs & mihimetipsi, exordiar demandatam mihi publicè docendi prouinciam proxima à mercatu Lipsico septimana à L. Vt vim. De iusticia & Iure, quæ continet materiam Iustæ ac necessariæ Defensionis, quam cum Moderamine inculpatæ Tutelæ exerceri oportet. Vt autem vtilis, & quotidiana, Ita iucunda, & elegans est admodum. Qua absoluta, aggrediar, DEO duce & authore, explicationem libri Secundi Codicis Iustiniani, in quo traduntur res vtilissimæ, Primum de Editionibus varijs, Actorum, Instrumen-

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-62-quod/start.htm?image=00000311

strumentorum, & Rationum cum publicarum, tum priuatarum. Deinde Actionum & citationum, Pactorum, Item & Transactionum. Tertio de Patronis causarum, De Restitutionibus in Integrum. Postremo & de Præparatorijs quibusdam Iudiciorum, &c. Adferre ad hoc docendi munus, Deo iuuante, studeo non solum diligentiam, sed fidem etiam, amorem iusticiæ & veritatis, ac modestiam: cumq; oderim semper ac detestatus sim turpem in nonnullis arrogantiam, qui in tanta doctrinæ iuris & perplexissimarum controuersiarum amplitudine non requisitis iudicijs seniorum aut peritorum, se mox solos omnium certaminum iudices faciunt, vt primum, vt dici solet vsitato Germanis prouerbio, è furno semicocti prodierunt, profitior me omnes meas interpretationes & dijudicationes subijcere collegarum meorum iudicio ac censuræ, quos quidem tanquam præceptores ex animo colo & veneror. Ac Deum æternum Patrem Domini nostri Iesu Christi, conditorem cœli & terræ & humani generis, atque huius ipsius ordinis & sapientiæ, quæ ostendit discrimen iusticiæ & iniusticiæ, & iusta præcipit, & iniusta prohibet. ac denunciat horribiles pœnas violantibus immotum ordinem iusticiæ diuinæ legibus expressum, Oro, vt me

me regat in docendo & dandis consilijs, ac me faciat vas misericordiæ, salutare mihi, Ecclesiæ Filij sui Domini nostri IESV CHRISTI, *Reipub: & huic Scholæ, quæ me instruxit, ornauit, prouexit. Bene & feliciter valete. Datæ postridie festi castorum Angelorum, Anno 1565.*

RECTOR ET SENATVS ACADEMIÆ VVITEbergensis.

ANTE *paucos dies quidam Scholastici facta irruptione in vineam Illustrissimi Principis Ducis Saxoniæ Electoris, Domini nostri clementissimi, & patroni studiorum benignissimi, multa non tantum petulanter sed sceleratè ac crudeliter designarunt, rupta macerie, effractis foribus, fornace, fenestris, pulsatis miseris mulierculis, quarum altera fuit puerpera, cæde etiam, vt audimus, intentata misero infanti vagienti in cunis, Ipsa puerpera vix manus horum crudeles effugit. Hæc scelera ita atrocia sunt vt, vix inter extremos Barbaros simile quid audiatur. Quo magis miramur potuisse reperiri in nostro cœtu, qui talia perpetrarent. Debebant enim, si nulla alia re, autoritate certè & beneficijs Illustrissimi*

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-62-quod/start.htm?image=00000312

Principis nostri moueri, vt à vi publica in eius vinea abstinerent: Et quàm crudele est miseras mulierculas & quidem puerperas pulsare, atq; in infantes sæuire? Vt reliqua omittamus quæ speciem latrocinij habent manifestam. Huius immanis audaciæ ducem & autorem atq; adeò αὐθέντην fuisse intelligimus, quendam N. N. Alburgensem, quem nunc vel latitare alicubi apud suos, vel aufugisse iudicamus. Frustra enim hisce diebus à nostris est quæsitus. Cum autem conuenire ad huiusmodi vim publicam & atrocem iniuriam nequaquam debeamus, publicè hunc N. ad dicendam causam citamus, & mandamus, vt si in vrbe sit, primo quoq; tempore adeat eum, cui administratio rei scholasticæ hoc tempore commissa est, Sin quod credibile est, perpetrato facinore aufugit, ad diem 17. Mensis Nouembris vt adsit, seq; iudicio nostro sistat, iubemus. Quod si hac in re quoq; contempserit autoritatem nostram, et ad dictum diem non comparuerit, nos & pœnam tanto facinori debitam pro officio nostro ei irrogabimus, & de cæteris, qui socij huius sceleris fuerunt, quid facto opus sit deliberabimus, nostriq; iudicij sententiam publicè proponemus. Audimus etiam multos in hoc oppido vagari, qui cum pro scholasticis se ge-

rant, & priuilegijs huius Academiæ fruantur, Nomina sua apud magistratum nondum sunt professi, non aliam, vt existimamus, ob causam, quàm quòd impunè se tumultuari, & si in facinoribus deprehendantur, effugere nostras pœnas scholasticas posse opinantur. His mandamus, vt vel nomina sua apud Rectorem edant, seq; ad obedientiam legibus nostris debitam obstringant, vel ex oppido discedant. Nam quicunque deinceps deprehensi fuerint, hac in re autoritatem nostram contempsisse & malitiosè se Iurisdictioni nostræ subtraxisse, hos publico scripto indignos esse nostro cœtu significabimus, ipsisq; vsu & priuilegijs rei scholasticæ nostræ in perpetuum interdicemus, à magistratu etiam oppidano impetrabimus, ne tales à nobis indicatos in hac vrbe viuere diutius patiantur.

P. P. III. Calend. Octob: Anno 1565.

RECTOR ACADEMIÆ VVITEBERGENSIS SIGISMVNDVS Ludouicus Baro Austriæ à Polheim, & dominus in Vuartenburg, &c.

VENIT nuper in hanc ſcholam Theodorus Suantzboll, adoleſcens præclaræ indolis & excellenti ingenio præditus, natus in equeſtri familia apud Sycambros, quem, quod ſtudio pietatis & bonarum literarum accenſum viderent parentes, familiæ ſuæ ornamento & Reipub: præſidio futurum aliquando ſperabant, camq; ob cauſam in hanc Academiam nuper cum fratre eum ablegarunt. vt & veram de Deo doctrinam, quæ Dei beneficio in his Eccleſijs ſonat, & reliquas artes, quarum vſus eſt in vita maximus, rectè cognoſceret. Sed quia corpus habebat δωάμει νοσηρὸν, ſemina morborum huc ſecum ex patria attulit. Itaq; non multo poſt quàm ad nos venit, febre laborare cœpit grauiſſima, qua tandem exhauſtus hac nocte deceſſit inter preces & pia vota, quibus animam ſuam Deo & redemptori noſtro IESV CHRISTO aſſiduè commendabat. Ac toto morbi tempore eam præſtitit patientiam ac pietatem, vt oſtenderet mitia vitæ ac lætitiæ æternæ inſuo corde per Spiritum ſanctum eſſe accenſa, ſeq; deſiderio regni cœleſtis, quod pijs omnibus paratum eſt, flagrare. Semper enim & aſſiduè dicta ſacræ ſcripturæ, quæ & metum mortis pijs adimunt, & ſpe melioris vitæ faſtidium rerum præſentium pariunt, ſecum

ſecum meditabatur, & preces miſcebat pietatis & ardentis deſiderij plenas, vt & frater & cæteri qui aſtabant hanc pietatem ei gratularentur, & eiuſdem deſiderij ſcintillas in ſe accendi animaduerterent. Quare dubium non eſt hunc Theodorum noſtrum vnum ex his eſſe de de quibus in Apocalypſi dicitur: Beati mortui qui in Domino moriuntur. Etſi autem merito gratulamur Theodoro hanc fœlicitatem, cui diuino munere hoc contigit, vt in vera agnitione atq; inuocatione Dei hinc ad cœleſtem Academiam migraret: tamen & Reipub. & & parentum cauſa dolemus plurimum, quòd tali ingenio ante tempus orbati ſunt: Ac Deum fontem omnis conſolationis oramus, vt & mœrorem parentibus minuat & Reipub: neceſſaria præſidia conſeruet. Funus Theodori efferetur hodie hora IIII. ex ædibus D. Iohannis Hermanni in platea Figulina, ad quod vt frequentes conueniant Scholaſtici, & exequias cohoneſtent, ac ſimul publicam & priuatam ſinguli Deo ſalutem commendent hortamur. P. P. IIII. Idus Octobris.

RECTOR ACADEMIÆ VVITEBERGENSIS SIGISmundus Ludouicus Liber Baro à Polheim & VVartenburg.

ITERVM *ad vos causam agere necesse habemus pauperum nostrorum, cum tempus redeat, quo publicè Eleemosynas his vestras à magistratu vestro peti & colligi oportet, de quo more & constat & constare debet nostris vniuersis, & ita res acta iam est tàm à nobis quàm antecessoribus nostris, vt quid tanq̃ ad perorandum addi possit non reperiamus, neq; verborum intercessione, sed pietate vniuscuiusq; & officij atq; conditionis humanæ consideratione hæc causa nititur, de quibus ad nostrum ordinem minus opus est commonefactionibus, & ad quos opus est, ad eos fit satis harum in doctrina Ecclesiastica & Scholastica publicè & priuatim. Atq; vt ad* DEVM *pia, ita ad Christianam pietatem profitentes, & in literarum atq; humanitatis studijs versantes, & his excultos homines, per se gratiosa sunt omnia, quæ ad pauperes subleuandos suscipiuntur atq; fiunt, & rem & operam vnusquisq; à se cupidè confert & conferre omnino debet, In qua parte etiam eorum qui extra Ecclesiam & nunc sunt & fuerunt priscis temporibus, studium cognoscitur memorabile, in quibus humanitatis sensus superstitione incitatur, quod eorum qui sunt in Ecclesia vera religio multò magis efficere atq; præstare debet, &* DEVS

im ea

ea republica quam ipse constituit benignitate & dilectione mutua auerti voluit, ne essent, quos deficerent res ad vitæ sustentationem necessariæ, quod in scholastica communitate nostra ne accidat tristissimo tempore morborum & ægrotationis, Ideo domus emta est publicè, in quam recipiantur ægroti pauperes, & vt victus & cura his præstari possit, singulis annis ter circummittuntur qui Eleemosynas vestras colligant, quas cum his diebus petituri à vobis sint ministri publici, Vniuersitatis nostræ nomine, hortamur singulos & vniuersos subiectos ditioni huius, vt pro sua quisq; re & copia propter Filium DEI, *qui & ipse nostra causa pauper factus est, & quicquid sit pauperibus, id vt sibi tributum æstimat. Propter hunc igitur, & dilectionem Christianam, vt benignè & humaniter, & secundum* PAVLI *præceptum cum hilaritate μὴ ἐκ λύπης μηδὲ ἐξ ἀνάγκης ad fiscum valetudinarij scholastici contribuant, Atq; hæc etiam χαριστήρια persoluant, quod grassantibus pestilentiæ contagionibus in vicinis regionibus & bellorum motibus in non longinquis, hæc loca studiorum nostrorum ab vtroq; malo tuta & salua præstantur propicij* DEI *potente manu, sub cuius vmbra pietatis & doctrinæ studia in ocio liberali,*

et ſalubri aëre colimus. Quam igitur ſibi quiſq; à DEO *& hominibus aduerſis temporibus ſuis benignitatem & opem petit & optat, Eam etiam à ſe præſtet cum alijs indigentibus, tum noſtris inprimis ægrotis & pauperibus, iuxta carmen Pſalmi: Beatus qui intelligit ſuper egenum & pauperem, In die mala liberabit eum Dominus.* P. P. *Prid. Id: Octobris Anno 1565.*

RECTOR ACADEMIÆ VVITEBERGENSIS SIGISmundus Ludouicus Baro à Polhaim Dominus in VVartenb. &c.

NEQVE exhauriri poteſt, neque penetrari cogitando ſapientia & dignitas legum. Ac quò plura de vtroq; horum dicta putantur, eo & auguſtiora & ſplendidiora dicendi de his argumenta ſingulis ſeſe offerunt, qui cogitationem aut orationem de his inſtituunt, & animos ad dicendum adferunt legum amantes & de dignitate ac ſapientia harum reuerenter ſentientes. Cum enim radij ſint & riuuli ſapientiæ immenſæ & infinitæ leges diuinæ, & cum his congruentes aliæ magiſtratuum bonorum & ſapientum autoritate conditæ, & ſint riuuli

riuuli illi ſparſi ac deriuati in naturam, & pectora hominum hanc ob cauſam, vt de DEO *ſint commonefactio, eumq; qualis ſit demonſtrent, fontis naturam leges referre ac retinere neceſſe eſt. Quo fit vt tàm ſit ſapientia ac dignitas legum inexplicabilis, quàm eſt inexhauſta & inpenetrabilis fontis immenſitas & infinita profunditas: Et tamen ſubinde honeſtæ de legibus ſententiæ animis hominum inculcandæ ſunt, quantumuis maieſtati harum impares, vt reuerentia & obedientia legibus debita paulatim in his accendatur, alatur, ac confirmetur. Nec vlla in vita oratio honeſtior aut vtilior eſt, quàm inſerere atq; inſtillare animis honorificas de legibus opiniones ac ſententias: Imò ſapientia id ſumma eſt, & maximè neceſſaria, & propria Eccleſiæ, in qua ſola omnibus temporibus immenſo & inenarrabili* DEI *beneficio diuinæ legis ſapientia integra, & ſine corruptelis conſeruata eſt: Contra nulla magis nocens eſt vitæ ac moribus pernicies, nulli odio & execratione magis digni furores ſunt, quàm infauſtæ & nefandæ voces Epicureorum, Cyclopum, & Antinomorum in Eccleſia, contemnentes, & abijcientes tanquam rem Chriſtianis in dignam, & ac ſcitu adeò non neceſſariam, vt perniciosam etiam diſſitent*

legũ ſapientiã: & adſuefacientes animos imperitos ad leges ſeu cõtemnendas ſeu cauillandas.

Hæc conuicia legum ne exiſtimate ab aliqua ſeu inſcitia, ſeu imprudentia humana oriri, ſed maledicta eſſe ſcitote, & ſpicula immediatè à diabolo ſparſa, quibus Deum contumelia adſicere, & ſauciare animos improuidos conatur, vt extincta omni legum reuerentia ac metu, non ſolùm diſciplinam omnem diſſipet ac conuellat, cuius laxationem ſcit, & religioni & tranquillitati communi peſtem eſſe nocentiſſimam: Sed ſingulos peccatis & ſceleribus horribilibus implicatos ad pœnas, & exitij æterni cruciatus ſecum abripiat. Hæc cogitate quærere & ſpectare diabolos cũ per hypocritas maledicos conuicia aduerſus leges ſpargunt, cum vim, ac neruos legum, reuerentiæ ſcilicet et obedientiæ neceſsitatem præſtigijs ſophiſmatum oppugnant, & incidunt. Hos furores verè diabolicos, quanto poteſtis ſtudio vitate, & deteſtemini. Et vt, tanquam ex fructibus commonefacti, ac præmuniti in cauendis & vitandis legum hoſtibus, minus erretis, mores & vitam illorum hypocritarum aſpicite, & notas conſiderate non obſcuras neq; fallaces, quibus ſpiritus ille blaſphemus & ἀντίνομος foris ſeſe prodit atque exerit. Ac non ſolum vitate & exe-

execramini toto pectore eos vniuerſos, quos legum hoſtes, & aduerſus eas contumelioſos eſſe intelligitis: Sed lætamini etiam tali in cœtu viuere & erudiri vos, in quo aſsiduis commonefactionibus ſpicula illa venenata, hoc eſt, perſuaſiones falſæ & maledicta aduerſus leges à diabolis ſparſa ex animis veſtris reuelluntur, & cum oratione, tum exemplis honeſtis legum dignitas ornatur, atq; illuſtratur, & diſciplina qualiſcunq;, quantum fieri poteſt retinetur. Scitis autem grauiſsimo conſilio τῶν ὁικιστῶν ac Senatus Academiæ huius inſtitutum eſſe, vt quolibet Semeſtri leges ſcholaſticæ quibus conſtitit hactenus ac conſeruatum eſt annos continuos ſexaginta tres publicum hoc optimarum artium, & doctrinæ cæleſtis Gymnaſium, ac μυξμικία, frequenti ſcholaſticorũ corona pronuncientur, ac recitentur publicè, addita neceſſaria, et cõueniente de legibus cõmonefactione. Hunc nos morem honeſtiſsimũ, ac neceſſarium ſtudijs publicis anteq; magiſtratu decedamus ac defungamur, noſtro quoq; exemplo, vt decet cõfirmabimus, ac hodie, Deo iuuante, hora duodecima leges ſcholaſticas recitari curabimus, Ad quã recitationem vt frequentes cõueniatis autoritate qua in præſentia fungimur, vniuerſos vos ac ſingulos hortamur, & obteſtamur: Adferte

ferte autem non aures tantùm in recitationem intentas, sed animos potius ac pectora huiusmodi, in quibus voluntas sit ac προαίρεσις *firma obediendi his, quæ præcipiuntur, Ac furores Cyclopicos multorum, qui sancto huic cœtui admixti sunt, barbarorum* καὶ ἀπηλγηκότων, *leges nostras ita & contemnentium, & abijcientium, vt decus id sibi esse ducant, & nescio, quæ inde nomina ingentia captare videantur. Horum ergo barbariem impiam, & contumaciam infaustam fugite, & execramini quantum potestis. Et ne existimate nullas sequuturas esse pœnas petulantiæ tàm effrenis & rabiosæ. Profectò enim leges nostræ non humana tantum præcepta sunt disciplinæ solius causa condita, Sed diuina vox sunt, & riuuli sapientiæ diuinæ amplius quid præcipientes quàm infirmam disciplinæ vmbram. Et certè deducuntur his ad Deum tanquàm pædagogo auditores, non contumaces. Has ergo, qui furore barbarico abijciunt ac conculcant, pœnæ hos sequentur, & ἐριννυες tristiores, quàm voce humana vlla exponi potest, Neque enim frustra scriptum est:* Necesse est obedire non solum propter iram, Sed & propter conscientiam. *Quo quid significetur*

ficetur à Paulo, alibi auditis explicari copiosius, Sed cohibemus hoc loco orationis tristitiam, quam extorquent nobis querelæ publicæ. Et oramus DEVM *æternum patrem Domini nostri* IESV CHRISTI, *fontem legum, & sapientiæ omnis, Vt ipse legis suæ, & aliarum honestarum, quarum condendarum potestatem magistratibus legitimis concessit, reuerentiam, & obedientiam asserat, & scholam hanc clementer seruet, regat, ac protegat, vt diu sit seminarium, ac domicilium seminis sancti, à quo in hac vita, & in tota æternitate laudetur ac celebretur. Amen. P.P. Pridie Idus Octobris Anno 1565.*

RECTOR ACADEMIÆ VVITEBERGENSIS SIGISmundus Ludouicus Baro Austriæ à Polheim &c.

MAGNA *omnino est sapientia & virtus necessaria intelligere dignitatem ordinis politici, eumq́; venerari & amare. Nam cum à Deo hic ordo sit institutus, & absq́; eo humana societas & conuictus esse non possit, certè & propter autorem ipsum, & propter communem hominum vtilitatem reuerenter de*

ea

ea sentire, & studia atque operas nostras ad conseruandum atque ornandum hunc ordinem conferre nos decet: eoq; magis execrandus est furor eorum, qui leges omnes, iudicia, Magistratus & totum ordinem Politicum non tantum rident & contemnunt, sed quantis possunt viribus oppugnant & euertere conantur. Nec dubium est hunc furorem immediatè à Diabolo mentibus hominum instillari, qui vt autor est ἀνατασσίας, ita turbare omnia in genere humano: & summa imis miscere conatur. Cyclopem pingit Homerus magno fastu ridentem Iouis fulmina, & pœnas contemptarum legum ac Magistratus ciuilis & impudenter in has voces erumpentem, οὐ γὰρ κύκλωπες Διὸς αἰγιόχοιο ἀλέγουσιν οὐδὲ θεῶν μακάρων *&c. Sed superat Cyclopum barbariem huius ætatis fastus, arrogantia & feritas, quæ in multorum moribus conspicitur, & quod dolendum est, in hoc ipso cœtu nostro, quem literæ humaniores à feritate ad mansuetudinem, si eo, quo par est studio colerentur, traducere poterant, non desunt qui insigni petulantia & scelere incidere neruos gubernationis nostræ, & hunc cœtum scholasticum Deo, Ecclesiæ & Reipub: consecratum dissipare, ac barbariem plusquam Cyclopicam aut*

aut Turcicam introducere conentur. Quid enim hactenus à multis tentatum sit, quidue adhuc moliantur nonnulli, res docet, & dolent nobiscum boni omnes. Sed & hos & alios, qui conuellere ordinẽ politicũ & turbare tranquillitatẽ cõmunem student, daturos esse pœnas Deo iusto iudici non dubitamus, quia scriptum est, Qui Magistratui resistit, Dei ordinationi resistit, Ac DEVM *oramus, vt ipse ordinem à se institutum, Magistratũ, leges honestas, iudicia, pacem & tranquillitatem publicam tueatur, atque à scelere, impetu & furore malorum hominum defendat ac vindicet, Sitq; ipse Rector supremus & caput agminis nostri, & hunc cœtum, qui seminarium est Ecclesiæ & domicilium Spiritus Sancti, regat & seruet. Redit autem natalis Academiæ huius dies decimusoctauus mensis Octobris, qui hunc sequitur, quo die ante annos Sexaginta tres, Academia hæc ab Illustrissimo Principe Friderico Duce Saxoniæ & Electore est constituta, & celebri pompa introductis in hoc oppidum Professoribus publicis inaugurata est. Huius diei memoria vt celebrior esset ad posteros, constitutum est, vt Rector Academiæ, cui administratio rei scholasticæ per semestre hybernum commendaretur, eodem natali crearetur.*

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-62-quod/start.htm?image=00000319

retur. Quod igitur felix & fauſtum ſit, Academiæ huic & ſtudijs diſcentium, cras Deo iuuante, hora 7. creabitur Rector ſemeſtris, hyberni, & renunciabitur in templo arcis, Cum autem proſit eam renunciationem fieri publicè & in conſpectu omnium, non tantum vt ſinguli Magiſtratum ſuum norint, ſed multò magis vt de reuerentia Magiſtratibus ac legibus debita ſcholaſtici commoneſiant, Mandamus omnibus Iurisdictioni noſtræ ſubiectis, vt ad eam renunciationem conueniant, & ſimul nobiſcum publicorum ſtudiorum, pacis, legum, diſciplinæ, doctrinæ Euangelij, & aliorum bonorum, quibus hactenus diuina bonitate fruimur, conſeruationem à Deo petant, eaq; re & quàm honorificè de Magiſtratu ſuo ſentiant, & quantum ſtudijs ac laboribus noſtris publicis faueant, oſtendant.

Prop. XVI. Calend. Nouemb. Anno 1565.

DE

ELEGIA GRATVLATORIA AD NOBILEM ET CLARISSIMVM VIRVM D. EBERHARDVM MOLLER Patritium Hamburgenſem, in ordinem Senatorium recens electum.

REbus in humanis nõ eſt durabile quicquã,
Candida quod rapido Luna ſub orbe videt.
Nil ita ſublime eſt, extraq; pericula gaudet,
Cui non immutet longior hora ſtatum.
Nam modo quæ donis vrbs exornata ſuperbis
Suſtulit erectum ſplendida ad aſtra caput,
Iam iacet amiſſo flore & deformis habetur,
Cernitur & tota nullus in vrbe decor.
Omnia complentur lacrymis et imagine mortis,
Quæ venit elapſa, triſtior hora, venit.
Ipſe licet referat medicas Epidaurius herbas,
Morte quibus rapto reddita vita fuit:
Non tamen immitem poſſet depellere peſtem,
Et validam tanti vim prohibere mali.
Creuit in immenſum graue & irreparabile damnum,
Nec locus humanis artibus vllus adeſt.
Sola ſed in ſummo ſtat numine cura ſalutis,
Vnde ſalus miſeris auxiliumq; venit.

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-62-quod/start.htm?image=00000320

Is DEVS ex viuo medicamina fonte ministrat
Solus is extinctos restituisse potest.
Qui patriæ tandem casus miseratus acerbos
Reddidit optatos per pia vota dies.
Hoc duce subtilis redit in præcordia sanguis,
Pristinus & membris qui fuit ante vigor.
Quæ modo defunctum lugebat mœsta maritum,
Iam redit ad socium lætior ipsa thorum.
Complenturq; nouis viduatæ ciuibus ædes,
Promptus & officij munia quisq; facit.
Haud tamen est patriæ solitus decor additus
Perfectam nullus lætitiamq; capit. (vrbi,
Curia mœsta suis luget spoliata Magistris,
Eripuit patrijs quos fera Parca locis.
Tum demum illuxit fati melioris origo,
Et data speratis gaudia plena modis.
Quando viris quos ante diem lethale venenum
Abstulit, æquales substituere patres.
Qui regere imperio possint, & fortibus ausis
Consulere in medium, res vbi poscit opem.
Inter & hos ætate minor, sed maior haberis
Ingenij donis ô ETERHARDE tuis.
Cui virtutis amor primis fuit insitus annis,
Quem puerum tenero fouit Apollo sinu.
Et Charites vitæ comitesq; ducesq; laborum
Hæserunt animo nocte dieq; tuo.

Sic

Sic quoq; Calliope, & doctæ, tua numina, Musæ
Ad tam magnificum te rapuêre decus.
Illa nouo, redimita comas, gratatur honori,
Et cupit officio lætior esse suo.
Spargit humi violas & candida lilia fundit,
Atq; offert prompta munera grata manu.
Exultant ciues atq; omnia fausta precantur,
Lætitiamq; frequens plebs probat ore pio.
Virtutisq; ingens decus admirata, parentem
Noscit, & in nato suspicit ora patris.
Quem quondam ereptum populo lugente Senatus
Fleuit, & emerito iussa soluta dedit.
Ille etenim dum vita fuit, dum fata sinebant,
Publica pernigili commoda iuuit ope.
Nota viri virtus, summa est sapientia nota
Qua solitus patriæ consuluisse suæ.
Non curæ ambiguæ, non hunc labor improbus
A recta potuit surripuisse via. (vnquam
Sed contra insurgens semperq; audentior instans,
Suppositis humeris grande ferebat onus.
Haud tamen inuidiam potuit vitare furentem:
Quæ comes est claris indubitata viris.
Sed tua liuorem vicit fama inclyta morsus
Vicit crudeles, vicit & inuidiam. (nebit
Semper apud memores tua præstans fama ma-
Dum gelidus patrios irrigat Albis agros.

Iam nitidas fœlix ſedes acieſq́ beatas
Incolis, & precium dulce laboris habes.
In terris nati florent ſucceßibus omnes,
Moribus, ingenijs, arte fideq́ pares.
Fronte pares, virtute pares, meritiſq́ fideq́,
Et patris & patriæ digna propago ſuæ.
Primus in hoc patrij ſuccedis nomine hæres
Ordine, qui noſtræ es floſq́ decuſq́ domus.
Qui nomen ductumq́ genus de ſtemmate claro
Laudibus exornas ô IOACHIME tuis.
Te decorat virtus, ornat ſolertia Iuris,
Gratia magnorum nobilitatq́ ducum.
Soluere tu nodos, tu litibus addere finem
Noſti, & perplexos explicuiſſe dolos.
Semper & eximios inter celebreſq́ patronos
Obtinuit primum lingua diſerta locum.
Conſilijſq́ duces, illuſtremq́ inſtruis aulam,
Legibus & certis quælibet acta probas.
Te duce ſtat MVSIS ſua gloria, te duce ciues
Sæpius optatæ fœdera pacis habent.
Perge Deo & Muſis ſic inſeruire iuuando,
Et tuus haud vllo fine manebit honos,
Proximus hunc ſequeris, laudes tranſgreſſus a-
uitas
HENRICE Aonij gloria magna chori.
Qui pietate patrem, fratres virtutibus æquas,
Nomen & ingenuæ nobilitatis habes.

Tu

Tu ſacræ columen linguæ, Graiæq́ Camœnæ
Gloria, quo Muſis vindice ſtabit honos.
Aſt ego non aciem ingenij, non pectoris artes
Exequar, hoc venæ fertilioris opus.
Te iuuenum pia turba colit, te clara per orbem
Proſequitur ſtudio Leucoris ipſa ſuo.
Hinc tibi nunc cœtus eſt tradita cura ſacrati,
Et data Leucoreæ grandia ſceptra ſcholæ.
Hanc tua tàm præſtans laudem doctrina mere-
Et vitæ integritas & ſine labe fides. (tur,
Quæq́ tuis quondam ſunt inſita ſemina campis,
Iam tibi cum multo fœnore reddit ager.
Sic præſtas, quod fruſtra alij multa arte requi-
runt,
Diſpenſans ſtudio tot bona parta tuo.
Aſt vbi tempus erit dulces expromere fœtus
Aurea & ingenij pandere vela tui.
Perpetuis condes manſura volumina chartis
Quæ ſublime tuum nomen ad aſtra ferent,
Sic tua doctorum volitabit fama per ora,
Et meritis capies præmia digna tuis.
Vtilibus ſemper cœptis Deus optimus adſit,
Diſpenſet placidos & ſine fine dies.
Et tu qui ſummis patriam virtutibus imples
Excellis meritis ô EBERHARDE tuis.
Te ſacer ordo patrum, te dignum Curia duxit
Quo duce perpetuo tempore tuta foret.

Sic onerì patrio ſimul & ſuccedis honori,
Ciuibus vt poßis vtilis eſſe tuis. (det,
Patria gaudet ouans animis, Reßpublica gau-
Quæ nunc außpicijs eſt moderanda tuis.
Exultat cum pace fides, rerumq́ videtur
Suppreſſus dudum nunc rediiſſe nitor.
Iuſtitiæ tibi verus amor, tu rebus in arctis
Conſulis, & vitium quod fuit arte regis.
Sedulus in patriæ curam conſurgis, & illam
Conſilijs, animo, req́ fideq́ iuuas.
Sic ſtatus incolumis durat cùm certa merenti
Gloria virtuti, iuſtaq́ palma datur.
Atq́ vltor ſceleru̅ IVDEX Legumq́ miniſter
Cùm populi curam ritè ſalutis habet.
Ergò tuas laudes & non delebile nomen
Poſteritas memori ſemper in ore feret.
Iudicis officium, qui noſti, & legibus æquis,
Componis lites, diſſidiumq́ vetas.
Sic duce te caræ patriæ redit aurea imago,
Publicaq́ accreſcit, te moderante, ſalus.
Sit modo ſit facilis Deus, & pia cœpta ſecun-
Factaq́ diuino numine cuncta regat. (det,
Et quo cùm ſocias ſolitus coniungere curas
HVGENVM *ſeruent mollia fata precor.*
Eſſe ſalutaris vobis, patriæq́ regendæ,
Vt poßit proprio Marte paratus honos.

Nec

Nec tu carminibus noſtris indictus abibis,
Qui decus es patriæ nobile, IANE, domus
Eſt tua nam præſtans virtus notißima multis,
Sunt notæ dotes corporis atq́ animi.
Vtq́ genus patrium partis tibi laudibus auges,
Sic etiam fratrum nomine clarus eris.
Non opibus multis fretus, non fœnore multo,
Eſſe ea fortunæ munera ſola vides.
At tibi quem peperit præſtantia mentis honorē̅
Haud animis noſtris eximet vlla dies.
Hinc ſincera fides & ſpectatißima virtus
Eſt tua principibus ſæpè probata viris.
Te Deus incolumem longū̅ ad maiora reſeruet,
Detq́ mali expertes inuidiæq́ dies.
Tu quoq́ tu patrium, dum fata Deusq́ ſinebant,
Moribus ornabas ô THEODORE genus.
Ingenij dotes mirata eſt Itala tellus,
Audijt orantem Gallia & obſtupuit.
Inuida ſed terris tantùm oſtendère, nec vltra
Conceßère tibi lumine fata frui.
Nam vigili ſemper ſtudio grauiora parantem
Ante diem immites te rapuere Deæ.
Pierides tumulum lauro violisq́ coronant,
Et cineri fratres dona ſuprema parant,
Fœlices nati, quos inclyta fama parentum
Excitat, & promptos ad meliora facit.

CHRISTE DEVS tali dignissima pignora patre
Præsenti semper numine, quæso, regas.
Omnibus idem animus maneat studiumq́, nec vllum
Dissidium fratrum rumpat amicitias.
Sed concorde domus multos stet amore per annos,
Officiosa bonis, inuidiosa malis.

Eberhard: Tuuestrengh Hamburgensis.

SCRIPTA PVBLICE PROPOSITA RECTORE CLARISSIMO VIRO, D. MICAELE TEVBERO I. V. Doctore & Professore publico, à die Lucæ Euangelistæ Anni 1565. vsq́ ad calendas Maij, Anni 1566.

RECTOR ACADEMIÆ VVITEBERGENSIS MICHAEL Teuber I. V. Doctor.

HODIE hora quarta sepelietur optimus & honoratus senex IOHANNES SELFISCH ciuis Erfurtensis, pater viri & ciuis in hoc oppido honestissimi atq́ optimi, SAMVELIS SELFISCH, qui pietatis studijs & rei literariæ apud nos libris aduehendis & edendis operam nauat, & ordini nostro cùm propter hanc κτητικὴν suam coniunctissimus, tùm per se etiam amicissimus est, & erga hunc perquam officiosus & benesicus, atq́ in vita vniuersa virtutis, integritatis, probitatis, & fidei spectatæ, quiq́ suam erga Deum & homines pietatem etiam hac re declarauit, quòd pa-

ventem, cuius funus in præsentia indicitur, senio & laboribus confectum in familiam suam recepit, eiq; δεσποτήρια rependit & officijs suis & suorum, senectutis mala ei lenijt. Atque exercuit hic Samuelis nostri pater eandem aliquando apud suos κτησιωῶ, quam apud nos filius, & propter libros, quibus pietas Christiana contra superstitiones, & corruptelas aduersariorum explicatur, multa & pericula & mala sustinuit, atq; etiam carceres pertulit, & honestis laboribus suis in disciplina & timore Domini liberos suos educauit, Cui pietati Dominus hoc rependit, vt horum similiter labores pios & familias honestas videret, & officijs atque beneficijs horum senex frueretur. Cumq; viuendo attigisset iam annum ætatis sexagesimum octauum, heri concidentibus viribus ita mortuus est, vt natura potius, quàm morbo consumptus videatur. Hortamur autem Scholasticos & cæteros nostros, vt ad funus huius deducendum indicato tempore in foro ante ædes Samuelis filij conueniant, idq; & pietatẽ ipsam, & tàm filij quàm propinquitatis vniuersæ, qui hoc officium nostrum expetunt, studia erga nos, & in benè merendo voluntatem, impetrare à se patiantur. P P. 14. Calend. Nouemb. Anno 1565.

Studio-

STVDIOSIS AVDITORIBVS SVIS S. D.

DVLCISSIME in Psalmo 68. dicitur: Benedictus Dominus Deus noster quotidiè: Onus imponit nobis & tamen est Deus salus nostra. Et in libro Tobiæ suauissimè scriptum est: Non delectaris Deus nostro interitu, sed post tempestatem restituis tranquillitatem & post lachrymas reddis lætitiam. Harum dulcissimarum consolationum vim atque efficaciam in meo exemplo nuper expertus sum. Nam cùm aliquandiu febri graui & periculosa duriter conflictatus fuerim, re atque euentu ipso sensi me non tàm secundis causis, quàm Dei soli us præsentia, & ope seruatum esse. Quare toto pectore ardenter Deo gratias ago, quòd valetudinem benignè mihi restituit, & penè ex morbo in vitam me reuocauit. Vt autẽ intimis gemitibus Deum precor, vt ad aliquam Ecclesiæ vtilitatem deinceps quoque vitam mihi pro paterna sua voluntate conseruet, & faciat me vas misericordiæ, & mea studia & actiones clementer gubernet: Sic meis auditoribus significo, me Deo iuuante ad meas prælectiones in posterum rediturum, easq; quanta fieri poterit fide & assiduitate continuaturum esse. Ac

crasti-

craſtina quidem die & cæteris diebus huius ſeptimanæ hora nona pergam in loco de Contagio. Ad ſequentem verò ſeptimanam, ſi Deus volet, inchoabo enarrationem Orationis Ciceronianæ pro Archia Poëta, & ſecundi libri Rhetorices D. Philippi, ad quam de iudicio præceptorum horam conuenientem veſtris ſtudijs eligam. Benè valete.

M. Chriſtopherus Becelius.

RECTOR ET CONSILIVM PVBLICVM ACADEmiæ VVitebergenſis.

IN quem luctum coniectæ ſint & hæ terræ imprimis, & omnes vbiq; locorum ſubmiſſo ſtudio colentes Illuſtriſſimam domum Principum Saxoniæ, antiquiſſima nobilitate & meritis erga communem patriam Germaniam ingentibus inclytam, & fauentes ſucceſsibus huius, & rebus Germanicis, atq; adeò Reipub. amantes vniuerſi, immatura morte Illuſtriſſimi Principis ac Domini Dn: Alexandri, inclyti Principis noſtri Electoris Saxoniæ Auguſti &c. & tali patre digni filij, vnuſquiſque pius & bonus atque intelligens, vel ciuis vel inquilinus ha-

nus harum regionum, in ſe experitur, & de ſua perturbatione aliorum, & patriæ communem, æſtimare poteſt. Ingreſſus iam hic Princeps ætatem eam, quam Græci ephebicam vocant, eiuſmodi & ingenij optimi & leniorum virtutum omnium argumenta dedit, vt illuſtriſſimo patri glorioſæ ſucceſsionis ſpem faceret præclariſs: & ſuauiſſimam, qui ſuo loco ſimilem ſui Deo cultorem, & terris ſalutarem Principem, relicturus eſſet. Sed hæc ab hoc filio oſtenſa ſpes, & bonum publicum VIII. Id: Octob. concidit, qua die Illuſtriſs: Princeps placidiſſima morte ex hac vita à Deo ad meliorem alteram euocatus eſt, cum decima die ante, id eſt, III. Calend: Octobris, filius in hanc lucem naſceretur Imperatori Auguſto Maximiliano II. &c. vt his paucis diebus interiectis, & lætitiæ & luctus mutui inter ſe præcipuis in Germania, & vera atque Reipub: ſalutari beneuolentia atq; amicitia coniunctiſſimis familijs, cauſæ afferrentur. Etſi autem hæc fruſtratio per ſe eſt miſerabilis & calamitoſa, & Illuſtriſs: Principẽ noſtrum non poteſt nõ grauiſſimè perturbare, cuius hic eſt luctus domeſticus, ad ſubiectos tamen ditioni huius, an ad Illuſtriſſimam familiam magis pertineat, conſiderandum eſt, cùm huius inclytæ domus ſalus, &

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-62-quod/start.htm?image=00000326

& harum terrarum & Germaniæ ſalutem complectatur. Nos verò vt Reipub: & priuatis periculis noſtris, ita Principis etiam noſtri ægritudine & dolore affici par eſt, præſertim talis Principis, qualem pietatis & doctrinæ ſtudia, & noſtra Academia inprimis, optare rebus & Scholaſticis ſuis poſſunt, Itaq; oramus filium Dei propter dilectionem ſuam erga genus humanum, quæ quanta ſit, aſſumptione naturæ noſtræ et cruciatibus perpeſſis & morte pro nobis obita declarauit, Propter hanc igitur φιλανθρωπίαν ſuã, oramus Dominum noſtrũ Ieſum Chriſtum filium Dei σωτῆρα, vt conſeruet & protegat Illuſtriſſ: domum Saxonicam, & in hac Principem noſtrũ, & Illuſtriſſ: ſobolem huius, atq; præſentem ægritudinem leniat ipſi & Regiæ coniugi, eoſq; benignè confirmet, & propter miſericordiam ſuam, quæ opplet orbem terrarum, hoc ei largiatur, ne vnquam ex ipſo deſit, qui ſedeat ſuper thronum eius, ſecundum formulã precum Propheticam, propter gloriam nominis ſui, & hominum ſalutem, Amen. Cùm autem nos, qui Scholaſticis cœtibus præfecti ſumus, præ cæteris conſiderare & intelligere deceat, de quibus quoquo tempore diſcentes apud nos, & propter Deum & Reipublicæ cauſa monendi ſint, hodie hora 12. Ora-

Orationem in Collegij noui Schola maxima haberi curabimus, qua de ijs commonefiant ſcholaſtici noſtri, quæ ſtatus Reipub: præſens, & huius temporis miſeriæ, quæ iam ſe oſtendunt, atq; vt manifeſtæ cauſæ docent, grauiores impendent, poſtulant vel flagitant potius. Mandamus igitur & his & cæteris vniuerſis ſubiectis iuriſdictioni noſtræ, vt indicato loco & tempore ad cognoſcendum, quæ dicentur conueniant. PP. 13. Calend: Nouemb.

STVDIOSIS DOCTRINÆ GEOMETRICÆ S. D.

POST operas Arithmeticas noſtras & Aſtronomicas diuerſi generis, in quibus iam triennium fermè verſati ſumus, nunc ad Euclidem redire conſtituimus, vt denuo ex fundamentis extruatur quaſi ædificium doctrinæ eius, quam profitemur. Quæ verò à Græcis Mathemata, id eſt, Diſciplinæ appellantur (ſiue κατ' ἐξοχὴν & excellente nomine, ſiue quod hæc ſola philoſophia fuerit & doctrina priſcorum) earum fundamentum eſt doctrina Geometrica, quæ in elementis Euclidæis traditur atque demonſtratur, ſine quibus nulla eſſe illarum diſciplinarum ſcientia ſolida

lida aut vera potest, & studium harum mancũ est omne & mutilum atq; inchoatum, quacunq; se specie aliqui scientiæ memorabilis in hoc genere venditent, fucũ facientes imperitioribus. Neq; enim quæ certa, quæ dubia, quid partum quidúe quærendum amplius, vbi insistere, aut progredi mens atq; cogitatio in illis disciplinis debeat, sine his elementis constitui potest, quibus excellens & admirabilis sapientia atq; industria veterum tàm Ægyptiorum quam Græcorum, ad explicandas atque demonstrandas siderum & orbium cœlestium conuersiones præcipuè vsa fuit, quacunq; occasione repertis, Nam quid de hoc extet literis mandatum, notum est. Designantur autem τὰ φαινόμενα, id est, ea quæ in cœlo apparent diagrammatibus, & diagrammata in numeros rediguntur, de numeris tabulæ fiunt eæ, quibus omnis ratio motuum in cœlestibus corporibus descripta proponitur. Non tamen huic rei atque studio tantùm, sed & Philosophiæ & cæteris vitæ artibus atque professionibus, & liberali doctrinæ vniuersæ tantum operæ nauant, quantum non est facile credere incogitantioribus cùm prædicatur. Quod enim in terris est & humanæ sapientiæ studijs verum & certum, id in Mathematis est vniuersum, & de his ad cætera

tera emanat, atq; de exemplo & quasi indicio horum in alijs artibus reperitur atque constituitur, Ideò fit vt cùm in alijs artibus & professionibus varietas sit & discrepantia dogmatum penè infinita, de ijs tamen quæ Mathematum propria sunt, omnes artifices eadem & doceant & docere cogantur, cùm ratio vera non sinat aliter, quod & Galenus notauit atque celebrauit. Est autem veritas vnum quiddam non multiplex, & puncti instar in medio circuli, vt plus vno verum esse de eadem re non possit, hoc verò illud est, qnod cum vnaquaque re & natura huius congruit, atque consentit, atq; ita eodem recidunt, τὸ ὄν. καὶ ἕν, καὶ ἀληθές. Hac de causa sapientissima Pythagoricorũ familia, ad cuiusq; scientiæ constitutionem numeris vsa est, quibus quæ in manibus essent explicarent, neque ad cognitionem & veritatem rei compendiosior est via, & doctrinæ ratio seu Methodus certior atque melior, ingenij tamen & industriæ minimè vulgaris. Hæc verò certi & veri in his disciplinis tanta exquisitio inde est, quod sola animi intelligentia constant, neq; in ea, quæ sensibus subiecta sunt intuentur, sed abstracta ab omni materia considerant, quæ sunt ἐξ ἀφαιρέσεως καὶ εἰδῆ ἄϋλα, in quibus est αὐτὸ τὸ ὄν, & perpetuum, & constans

 allquid

aliquid, cum materia mutationibus multiplicibus subiecta fluxa sit & varia, neq; in ijs, quæ oriuntur & occidunt vel stabilitas vlla, vel perfectio ea esse possit, quæ veritatem repræsentet, sed animo hæc cernitur & ratione atque intelligentia vniuersa continetur. Itaq; immersæ hæ disciplinæ in materiam desinunt esse μαθήματα, neq; certi & veri exquisitionem tùm amplius præstant aut tuentur, Non enim quæ in Geometricis est demonstrata veritas, eadem etiam in opticis, in Geodæticis, & Astronomicis manet, quod iùm in materiam contemplatio demergitur, itaq; φυσικώτερα hæc μαθήματα appellat Aristoteles, quæ non considerantes aliqui de Astronomicæ doctrinæ nõ fallente exquisitione promittunt & loquuntur gloriosius. Sed vt de opera quam præstant cæteris artibus & professionibus Mathemata existimare facilius liceat, & res docet, & Platonicis quibusdam disputationibus confirmatur, Dialecticam quod definit & diuidit, & componendo atq; resoluendo res explicat, & de certis quibusdam positis concessisq; principijs aliquid concludit & demonstrat, non à se proferre atq; præstare, sed à Geometria assumere, cuius hæc sunt propria, vnde hæc omnia illa mutuans, & doctrinæ formulam constituit & verbis in-

bis informat atq; consentaneum & probabilem admodum edisserit vt fiant ea quæ sunt Dialecticæ, sicut & nomen huius ostendit, propria.

Hic igitur vsus Geometriæ inde ad cæteras omnes artes & professiones manat. Quid verò peculiariter & his & Medicinæ atq; Iurisprudentiæ commodet, breuiter dici non potest, & tales disputationes vulgò absurdæ videri solent, cùm ne officinæ quidem hac carere possint, & nulla sit ars vitæ, quæ non in hac aliquid ipsi quod ex vsu sit, inueniat atq; excerpat. Itaque in genere de Geometricis elementis ea breuiter monemus, quæ ab omnibus intelligi possunt, & facile assensionem reperiunt. Sicut autem vtile est in Rhetoricis præceptis exercere adolescentiam, etiam propterea, quod hoc modo ad cogitantiam quandam & considerationẽ eorum quæ quoquo tempore dicenda sunt, adducatur ea ætas, & tali attentione hoc perficiatur, ne oratio sit huius, vt ferè esse solet, futilis et temeraria: Ita Euclidæa elementa proponi iuuentuti prodest, vt ingenij vis acuatur, & quasi expoliatur ad veras & constantes ratiocinationes concipiendas atq; vsurpandas, & vt hoc sit quasi progymnasma quoddã, quo ad omnem

ingeniosam atq; exquisitam doctrinam accipiendam, tanquam agri cultura & arationibus ad sementem, præparetur. Mentem etiam à sensibus vt abducamus, & assuefieri oportet, & vtilitatem habet multiplicem, itaq; & veterum quidã scribit πρὸς ὀτεον τοῖς νεοῖς τὰ μαθήματα πρὸς σωέθισμον τῆς ἀσωμάτου φύσεως. Hæ per se vtilitates sunt magnæ huius studij, etiamsi ad id quo peculiariter dirigitur, & cuius causa res inuenta est, nõ respiciatur. Plato autem de vsu peculiari disserit quem Geometria præstet Reipub. sed nos de communi quodam dicimus, & pertinente per humana omnia. Quod enim idem Plato scribit de Arithmetica μάθημα εἶναι προσαναγκάζον αὐτῇ τῇ νοήσει χρῆσθαι τὴν ψυχὴν ἐπ' αὐτὴν τὴν ἀλήθειαν, hoc de Geometria etiã verũ esse vsus demonstrat, Et de Arithmetica & Geometria communiter hoc dicere possumus, qui natura ingenijs ad has aptis sunt, eos ad omnes etiam disciplinas fermè alias acumen adferre solere, Qui verò tardiores sunt, si in his instituuntur, atque exercentur, etiamsi nullum alium fructum inde percipiant, ita tamen proficere, vt excolantur ingenia, & fiant ἄυτοὶ ἄυτῶν ὀξύτεροι, vt Platonis verbis hoc etiam exponamus. Sed ad Epicureos contemptores harum disci-

disciplinarum argumentando parum proficitur, bonis autem & prudentibus facilè persuaserit aliquis λέγων εὖ, quos experiundo hæc cognoscere & nos malumus, & vtilius Reipub. fuerit, cum preconia quæ à nobis fiunt, qui has artes profitemur, suspecta esse ad alios possint. Ab ijs tamen qui Scholasticos honores in studijs Philosophiæ deinceps petituri sunt, doctrinam nostram, vt par est repetemus. Hos igitur necessitas quædam, sed vniuersos liberalis cognitio & latissimè patens in omni vita horum studiorum vtilitas, ad tales scholas, & vt veteres locuti fuere, in hos eruditos pulueres adducat atq; congreget: Cras autem Deo iuuante incipiam primum librum Euclidis, & cùm in huius, tùm in cæterorum librorum explicatione ita versabor, vt accommodem doctrinam ad captum omnium qui discere voluerint, Dialectica etiam compendia adhibiturus, & confidimus nos fidem & nonnullam industriam in hoc genere auditoribus nostris esse probaturos.

Sebastianus Theodoricus
VVinsbemius.

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-62-quod/start.htm?image=00000330

RECTOR ACADEMIÆ VVITEBERGENSIS MICHAEL Teuber I.V. Doctor. atq; Professor.

ET doctrinam continet & consolationem ampliſſimam Pſalmus, qui in numero eſt centeſimus triceſimus, relatus olim à viris doctis in numerum eorum, quos Pœnitentiales vulgò vocarunt, & notiſſimos eſſe voluerunt omnibus ac ſingulis Eccleſiæ ciuibus, Cumq; penè innumera ſint in illa, quamuis breui precatiuncula, quæ ſapientiæ ſunt, inexplicabilis, Duo tamen maximè inſignia membra ſunt, de quibus moneri ac ſæpè cogitare pios valdè prodeſt. Dulciſſimum enim teſtimoniũ eſt primũ, quod oſtendit diſtinctas eſſe in Diuinitate perſonas Patris & Filij propitiatoris, & has perſpicuè à Prophetis agnitas, & in inuocatione compellatas eſſe: Deinde quòd docet clariſſimè, qui in vera conuerſione ad Deum proceſſus ſit, quodq; fundamentum conſolationis, qua in veris doloribus iræ Dei ex ſenſu mortis æternæ eluctandum atq; emergendum eſt. Compellat initiò Pſalmi ſine vlla dubitatione numen illud verum & vnicum, quod & verbo certo & teſtimonijs illuſtribus in Eccleſia patefactum eſt, Cumq; tanquam in certamine acerrimo erigi ſe

giſe oſtendat, miſericordiæ fiducia, de qua ex promiſſione inquit: Apud te propitiatio eſt, vt tu timearis, continuò immutans orationem, & ceu ad alium ſe, & à compellato Domino diſtinctum, conuertens ſubijcit, tanquã αἰτιολογικῶς cauſam miſericordiæ ac propitiationis ſignificaturus, hæc verba: Expecto Dominum, expectat anima mea, & in verbo eius ſperaui, Anima mea ad Dominum magis, quàm vigiles à mane excubias agentes ad mane. Hac verborum forma, quam ad finem Pſalmi retinet Propheta ſignificari Dominum à Domino diſtinctum, Et quidem hunc ipſum, quem Redemptorem Iſraëlis nominat non dubium, imò manifeſtũ eſt ex dulciſſima exhortatione vniuerſi Iſraëlis, in qua miſericordiæ & redemptionis copioſæ in Liberatore hoc propoſitæ, amplitudinem & immenſitatem prædicat. Hunc itaq; à Domino diſtinctum Dominum filium Dei Redemptorem noſtrum, vt ſibi propiciationis ac fiduciæ omnis cauſam eſſe ſignificat, ita ſimul teſtatur ſolo ſe verbo, quod ab hoc ipſo Domino filio Dei λόγῳ & Oratore Patris, prolatum eſt, niti atque erigi, verbiq; huius fiduciam ſolam fundamentum conſolationis eſſe, qua & doloribus inferorum pauefactis mentibus emergendum eſt. Hæc quàm ſint neceſſa-

ria & dulcia, imò salutaria, in omni inuocatione cogitare, ab alijs alio & loco & tempore enarratur copiosius. Nos verò de his, vt in præsentia Scholasticos moneremus exemplo considerationis talis adducti sumus, quod heri accidit in agone adolescentis docti & pij Christophori Zigelhammer Neoburgensis, Hic cum morbo languefactus & exhaustus animam Redemptori redditurus esset, lætus ac clara voce Psalmi huius paraphrasin Germanicam, à Luthero modis musicis factam, exorsus & circumstantibus ceu ἔξαρχος factus precationis ardentissimæ inter canendum expirauit. Voluit haud dubiè testari optimus adolescens, exemplo se Dauidis in nulla re alia nisi in misericordia per & propter Christum promissa acquiescere, & iuxta verbũ Pauli liberationem ἀνάλυσιν corporis mortalis sperare & expetere. Qua in re luce & motibus Spiritus sancti pectus eius accensum ac gubernatum fuisse euentus ostendit mox subsecutæ liberationis. Id exemplum dignum est memoria & consideratione piorum. Fuit autem Christophorus hic parentibus honestis in oppido Neoburgensi natus, & sic vixit hic, vt mores eius studijs pijs, quibus sese dederat, conformes & sine labe fuerint, tantumq; iam profecerat, vt vsus eius in scholis

scholis & Ecclesijs eximius esse posset. Hortamur itaq; Scholasticos, vt optimi adolescentis funus, quod hodie hora tertia deducetur, frequentes vel hanc ob causam comitentur, vt exemplo se huius ad agonem similem, quem singulis propositum esse sciunt, præparent, seq; dolere ostendant, amisisse Ecclesias & scholas organum vtile & socium piæ inuocationis. Singuli etiam Ecclesiam communem & vitam suam precibus pijs Deo in his periculis & motibus publicis commendent. Conuenient autem scholastici ad cæremonias funebres prope Balneas Collegio vicinas, hodie hora 3. PP. VII. Calend. Nouemb.

DICENDI RATIONIS STVDIOSIS.

CVM labor noster docendi eò præcipuè dirigatur, vt informemus in prima ætate eos, qui non excellentem illam ac planè diuinam eloquendi rationem, de qua prolixè in libris suis de Oratore disputat Cicero, exoptant, sed mediocrem discendi ac scribendi facultatem labore & industria sibi comparare student, non tantum præcepta artis dicendi crebrò repetimus, sed his explicatis adiungimus selectarum ora-

tionum Ciceronis declarationem vt auditores noſtros ad veræ imitationis rationem deducamus. Non enim ſatis eſt, vt hi qui elegantioris dictionis Studioſi ſunt, præcepta artis tantum audiant & diligenti meditatione cognoſcant: ſed hoc imprimis requiritur, vt omnibus ingenij viribus in eo laborent, vt in artificum ſcriptis præceptionum vſum cognoſcant, & formam orationis horum aſſidua imitatione in ſcribendo & legendo exprimere annitantur. Sine imitatione enim crebra & exercitijs quotidianis, fruſtra omnis labor ſtudijs noſtris impenditur. Hoc itaque conſilio vt vſum præceptorum Rhetorices declarem, propono præcipuas orationes eius autoris, qui Latini ſermonis & Princeps & pater perhibetur, vt ex lectione huius diſcentes, cùm copiam optimorum verborum, tùm vim ſententiarum, quibus commodè ſcripta ſua exornare poſſint, percipiant. Deinceps itaque quod fœliciter ſtudijs noſtris eueniat, inſtituam orationis ſplendidæ, quam Cicero ad Cæſarem habuit pro Rege Deiotaro explicationem. Idq; maturius ſignifico, vt auditores noſtri qui acceſſionem ex optimorum authorum declaratione ſtudijs ſuis pollicentur, comparent ſibi huius orationis exempla, & loco conſueto ad eius enarratio-

rationem proxima die Iouis, qui eſt dies huius menſis octauus, conueniant. P. P. quarto Nouembris, Anno 1565.

Albertus Lemeiger Hamburgenſis Profeſſor publicus.

COLLEGIVM PROFESSORVM THIloſophiæ.

SIGNIFICANDVM eſt publicè ſcholaſticis, de mutationibus quibuſdam, & nouis operis in ordinaria & publica doctrina, de quibus his diebus legitimè decreuimus. Vt enim plus occaſionum ſuppetat liberalis & neceſſariæ doctrinæ, veteribus alumnis ſcholæ noſtræ, & ijs quos in hanc hoc tempore non paruo numero animaduertimus commigrare, Impetrauimus primum à Decano Collegij noſtri reuerendo viro, pietate & doctrina ſpectata, domino Magiſtro Iohanne Bugenhagio Pomerano, vt libellum clariß: viri D. Philippi Melanthonis Præceptoris ſummi, cui titulum fecit, Examen eorum, qui audiuntur ante ritum publicæ ordinationis, Hunc igitur libellum, vt deinceps

ceps Theologiæ Christianæ discipulis publicè explicet. Ne verò exercitium desit, quo ad audiendas ordinarias lectiones Hebræi Professoris præparentur studiosi linguæ sanctæ, exoraui mus secundo loco optimum & doctissimũ virum Magistrum Matthæum Blochingerum, vt Hebræam Grammaticam publicè & ordinariè doceat, & ad præcepta huius explicanda libros Regum & cæteros historicos Hebræos simul interpretetur. Tertiò succedet Blochingero in Elementis Arithmeticæ & Astronomicæ doctrinæ de Sphæris cœlestibus explicandis doctissimus vir M. Bartolomæus Schonborn. Sicut autem ad pietatis & sacræ linguæ studia, ita etiam ad doctrinam motuum cœlestium studiosè cognoscendam Scholasticos hortamur, in quam rem præ cæteris nostræ Academiæ alumnos operam dare conuenit, Cùm ex hac Schola hæc studia per Germaniam excitata videantur, & quid nostri homines commentationibus suis ad explicationem atq; propagationem horum contulerint, alios æstimare quam nos dicere rectius fuerit cùm argumenta sint in medio, & quæ nunc etiã tàm in hac parte, quàm in cæteris studijs discendi occasiones Scholasticis offeruntur, eæ cur contemnantur non habere causas iustas quenquam existimamus.

Hoc igitur restat, vt ad suam quisq; & publicam vtilitatẽ his studiosè, & tàm ad Deum, quàm homines grato animo vtatur atque fruatur. Incipiet autem Examinis prælectionem Dominus Decanus ad diem Iouis hora tertia, & Hebraica elementa Stancari M. Blochingerus, eiusdem diei hora prima, & cras eadem hora libellum Sphæricum D. Peuceri viri clarissimi prælegere ab initio incipiet M. Schonborn, & tum de suis singuli operis & studijs, ea quæ res postulauerit Scholasticos commonefacient. P P. III. Id. Nouemb. Anno 1565.

RECTOR ACADEMIÆ VVITEBERGENSIS MICHAEL TEUBER I. V. Doctor atq; Professor.

HERI sub noctem ex hac ærumnosa vita in cœlestem Academiam translatus est, vir Reuerendus Magister GEORGIVS MERVLA Boleslauiensis, confectus nõ tantùm senio, sed & laboribus, quos in docenda Ecclesia & erudienda iuuentute sustinuit penè infinitos. Nam & Annebergæ primùm, deinde Cygneæ studia iuuentutis fœliciter gubernauit, mox verò

verò ex hoc literarum Gymnasio ad Ecclesiasticam militiam euocatus, primùm in oppido Turingiæ GOTHA annos quatuordecim, ac totidem deinde in vicino oppido Iuterbock munere docendi in Ecclesia functus est. In hac militia cum varijs molestijs ac laboribus corporis vires fractas esse cerneret, & iam ætas ipsa σεισάχθειαν laborum postularet, non ita pridem in Academiam nostram concessit, fortè vt cum vacationem à munere docendi publico & alijs molestijs haberet, tempus vitæ reliquum pijs precibus tribueret, seq́ pia meditatione ad mortem, quam in ea ætate & tenui atq́ adflicta valetudine non procul abesse sentiebat, præpararet. Annum enim iam agebat ætatis sexagesimum quartum, & erat corpus assiduis laboribus ita exhaustum, vt leui morbo aut defatigatione consumi posse videretur. Itaque dum studijs totum se dat, morbus eum inuadit, cuius vim cùm diu sustinere non posset, tandem vitam suam, quam plenam curis & molestijs habuit, placido fine clausit. Fuit exitus eius omnino talis, vt, quod alios sæpè docuerat mortem piorum hominum transitum esse ad vitam cœlestem, in eo ipse & se acquiescere atque animo ad migrandũ paratissimo esse, ostenderet. Nam toto morbi tempore ardentissimis

mis precibus animam suam filio DEI commendabat, & subinde ea dicta ex scriptura repetebat, quæ terrorem mortis hominibus adimunt, & desiderium vitæ cœlestis animis piorum instillant. Itaque cum alia multa quæ in scriptura occurrunt dicta, tum hoc in primis perpetuo in ore habebat: Cupio migrare ex hoc diuersorio, & esse cum CHRISTO. Ita igitur vitam ille suam in terris finijt, vt & de hac migratione ei gratulandum sit, & nobis exemplum reliquerit, quod & de certitudine doctrinæ nostrarum Ecclesiarum atq́ efficacia huius nos commonefacere, & ad simile pietatis studium excitare singulos potest & debet. Funus ei fiet hodie hora quarta. Quare Scholasticos hortamur, vt ad exæquias cohonestandas conueniant ad Christophori Kelneri Cos: ædes, hocq́ officio & viduæ honestiss: & liberorum, quos reliquit, luctu se affici ac reuerenter de ministris Euangelij sentire, ostendant. P. P. VII. Calend. Decembris, Anno 1565.

Decanus

DECANVS COLLEGII PHILOSOPHICI M. Iohannes Bugenhagen.

VT plus esset occasionum exercendi studia professionis nostræ & liberalis doctrinæ operas, introduci cœptum est, vt singulis annis hoc tempore oratio haberetur, quæ valeret ad Philosophiæ & dicendi studia commendandum Scholasticis, & excitandos animos horum ad hæc colenda. Quam operam sicut primum à se obtulit & aliquoties iam Academiæ præstitit D. Iohannes Maior Poëta clarissimus, Collega noster, ita hoc etiam anno præstare communibus studijs constituit, atque ad diem hebdomadis huius quintum, quæ Veneris est, hora nona in Schola maxima iterum à Musis suis proferet aliquid non indignum, vt confidimus, nomine & præstantia in hoc genere ipsius. Quemadmodum autem nostri officij est, procurare quod vtiliter audiatur atq; cognoscatur, ita Scholasticos decet, quod offertur gratis animis accipere & studium atque diligentiam suam in audiendo cognoscendoq; publicè omnibus probare, Omnino enim ordinem nostrum & φιλομαθῆ & φιλήκοον esse oportet, neq; aliter doctrina comparatur, Maximæ verò atq; efficacissimæ illecebræ

illecebræ sunt à diuina Poëtarum Musica, quæ & vtile dulci miscet & prodesse vult & delectare simul. Incidunt autem in hoc tempus anni Romani, Iudaica ἐγκαίνια, quæ celebrata fuere à XXV. die mensis Chislef per dies octo continuos, cuius Luna in Nouembrem incidit, & dies nõ pauci in Decembrẽ anni nostri, quo tempore populus Ebræus cum gaudio & lætitia celebrauit memoriã instaurati templi & dedicati denuò à Iuda Maccabæo, vnde & renouationis, quæ instauratio est, in Græco nomen habent dies Festi illi, & apud Ebræos dedicationis, Sic enim interpretantur Ebræum Chanuca & fit mentio dedicationis in 2. Machab: 2. cum ad instaurationem etiam dedicatio pertineat. Etsi paraphrastes Euangelij Iohannis Nonnus Ægyptius, dedicationem quæ tum celebrata fuerit de renouatione memoriæ interpretatur eius qua Salomon templum à se extructum Domino dedicauerit. Et fieri potest, vt vtriusq; dedicationis memoria & Salomonicæ veteris, & Maccabææ, quæ instauratione repurgati templi facta est, diebus festis ijsdem & simul celebrata fuerit. Atq; hoc etiam modo, quanquàm ἐγκαινίων vocabulum renouationem significat, vt diximus, Dedicationis tamen nomen de hac festiuitate non po-

test alienum esse, neque reprehendi debet. Ex nostris autem Ecclesijs, quæ profanationes atq; contaminationes superioribus annis sublatæ sint, & cuiusmodi facta sit harum repurgatio, si obliuiscimur, ingratißimi sumus ad Deum & homines eos, quorum opera ille & ministerio ad hanc rem vsus est & adhuc vtitur, de quo si commonefactiones fiant publicè, & memoria celebretur beneficiorum diuinorum talium, erunt hæc Christiana quædã encænia, quod argumentum sibi tractandum sumpsit in præsentia Poëta noster. Itaq; hortamur Scholasticos, vt quæ sit atq; esse poßit Musarum de his rebus oratio, cognoscere velint, atq; indicato tempore & loco frequentes conuenire. PP. 7. Cal: Decembris, Anno 1565.

RECTOR ACADEMIÆ VVITEBERGENSIS MICHAel Teuber I. V. Doctor.

ETSI verum est, quod Plato dicit: Philosophiam esse meditationem mortis: Considerat enim fragilitatem ac fugacitatem vitæ humanæ, atq; hac cogitatione ad moderationem & multarum virtutum cultum suos auditores exuscitat: tamẽ cùm nec causas mortis cernat, nec vitã aliam restare post hanc vitam intelligat, adeò

adeò nihil proficit hæc cogitatio, vt hominem maioribus dolorib. subinde immergat, in quibus nisi aliud remedium ostendatur, perire necesse sit. Quid enim tristius, quàm naturam tàm præstantem, atq; adeò ad Dei imaginem conditam tantis ærumnis ac miserijs esse oneratam, atque ipsi morti, quæ omnia secum auferre & sepelire videtur, esse obnoxiam? Nec dubium est, quin hæc cogitatio Philosophos homines sapientes variè exercuerit & excruciarit. Hinc enim sunt illæ tristes querelæ Simonidis & aliorum, ἀνθρώπων μὲν ὀλίγον κάρτος, ἄπρακτοι δὲ μεληδόνες ἀΐωνι δὲ παύρῳ, πόνος ἀμφὶ πόνῳ. ὁ δ' ἄφυκτ' ὠμὸς ἐπικρέμαται θάνατος: κείνου γὰρ ἴσον λάχον μέρος οἵτε ἀγαθοὶ ὅσις τε κάκος. *Et illud Theognidis optimũ esse non nasci aut quàm celerrimè extingui. His autem tristißimis animi morsibus opponenda est dulcißima Ecclesiæ doctrina, quæ ita mortis meditationem nobis suggerit, vt & causas ærumnarum & mortis ostendat, & aliã vitam monstret, ad quam per huius vitæ ærumnas & molestias, & mortẽ deniq; ipsam sit enitendũ. In hac cœlesti Philosophia, quæ vitam æternã credentibus pollicetur, tantũ profecerat iuuenis optimus atq; eruditus* MELCHIOR IHON *Bischoffuuerdensis,*

vt cum hisce diebus febre ardente esset correptus, qua debilitari atq; consumi paulatim naturæ vires cerneret, nulla alia re, quàm cogitatione de vita æterna, ad quam se migraturum credebat, animum pasceret, & confirmaret. Itaq; toto morbi tempore crebrò in ore habuit dulcissimum filij Dei dictum: Sic Deus dilexit mundum, vt Filium suum vnigenitum daret, vt omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam, quod quoties repetebat, toties denuò se animari atq; accendi ad cœlestis vitæ desiderium ostendebat. Ac tandem cùm naturæ vires collapsæ essent, animam suam DEO patri commendans, heri hora sexta matutina placidè obdormiuit: Vt dubium non sit eum in numero eorum esse, de quibus in Apocalypsi dicitur: Beati mortui, qui in Domino moriuntur. Atq; ipsi quidem gratulamur, cui piè mortem cum vita commutare contigit. Nos verò dum vel piè morientibus adstamus, vel alioqui inter pias preces nonnullos ex nostro cœtu expirasse audimus, & doctrinam Ecclesiarum nostrarum, per quam solam filius Dei terrores mortis nobis adimens, & sensum vitæ cœlestis inspirans nos ad consortium regni sui vocat, studiosius complectamur, & nos, dum vita conceditur, ad eam migrationem pio

pio studio & ardenti inuocatione præparemus. Funus Melchioris efferetur ex his ædibus hora 12. quod vt frequentes deducatis, suamq; & Ecclesiæ salutem singuli DEO commendetis, vos hortamur. P.P. XIII. Calend. Decembris, Anno 1565.

RECTOR ACADEMIÆ VVITEBERGENSIS MICHAEL Teuber I.V. Doctor & Professor.

SVMMVM omnium operum diuinorum est natiuitas filij Dei Domini nostri IESV CHRISTI ex Maria virgine, quæ his verbis exprimitur in Euangelio Iohannis, ὁ λόγος σὰρξ ἐγένετο. Hanc cùm assequi nulla cogitatio humana possit, factum est, vt in nullam doctrinæ sacræ partem & crebrius & furiosius & contumeliosius impegerit ratio humana, quàm in hanc ipsam, quæ admirandum & creaturarum omnium captum excedentem Filij Dei aduentum in carnem nostram proponit. Inde tantum blasphemarum opinionum inuectum est in Ecclesiam: Inde tot hostes extiterunt filij Dei, qui absurditate dogmatis, vt visum fuit, offensi, cùm à testimonijs magna grauiq; au-

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-62-quod/start.htm?image=00000338

toritate traditis discessissent, delapsi sint in horribiles furores. Nec de vllo Christianæ fidei capite atrociora certamina sustinuit Ecclesia inde vsq; ab ætate Apostolorum: Neq; vllum tanta verborum,& phrasium perspicuitate explicauit,tanto concordiæ studio communiuit,tanta cura posteritati tradidit, diserta consentienteq; enarratione accuratè ceu præcluso omni ad inuasiones & oppugnationes sophisticas aditu. Sed cum in hoc vno præcipuè consistat & nitatur fundamentum salutis humanæ, nunquam destitit diabolus, odio Dei & hominum,impellere curiosa & prophana ingenia ad hoc fundamentum subruendum atq; conuellendum,& ad mouenda certamina, quibus vel excutiatur animis prorsus hic vnicus portus, in quo solo mens humana acquiescit,vel saltem labefactetur,ne supersit, in quo figere & firmare sese fidei nostræ certitudo possit. Quod quidem in maxima parte generis humani perfecit Mahometicus furor ex Arriano veneno natus. Cùm autem antiquissima Ecclesiæ consuetudine receptum sit,vt hoc tempore celebretur memoria admirandæ natiuitatis filij Dei, nos etiã non tantùm historicas narrationes, vt recitantur ab Euangelistis, sed totam primæ ac purioris Ecclesiæ doctrinam de hac natiuitate & eius

eius fructu repetamus ac meditemur,& contra hostium filij Dei blasphemias animos instruamus atq; obfirmemus testimonijs. Apostolorum & aliorum,qui doctrinam acceperunt ab Apostolis & eorum auditoribus. Assentiamur Ecclesiæ,dictum Iohannis,verbum caro factũ est (quod affirmant oppositum esse Cerinthi & Ebionis blasphemijs) dictum ergò illud ex Propheticis et Apostolicis scriptis interpretanti de vnione hypostatica duarũ naturarũ diuinæ & humanæ,copulatarum in vna persona filij Dei ἀτρέπτως καὶ ἀσυγχύτως,Et testimonia colligamus scriptorum ac synodorum, quæ ad doctrinam Apostolorum sese adiunxerunt.

Teneamus ergò hanc sententiam vtraq; manu vel toto verius pectore, in Christo nato ex virgine duas esse naturas λόγῳ θεοῦ, &, assumtam naturam humanam, & has naturas insolubili atq; inseparabili nexu copulatas esse, Vtramq; tamẽ retinere suas proprietates,nec faciendã esse confusionem. Verè vnita est humana natura θεῷ λόγῳ, neq; est Christus ψιλὸς ἄνθρωπος, sicut vetustas dixit. Rursus verè natura humana assumta ἀπὸ τοῦ λόγου θεοῦ, non est spectrum, nec est ipsa natura τοῦ λόγου à quo est assumta, Sicut Petrus distinxit naturas. 1. Petri 4. Cùm Christus passus sit

pro nobis carne. Et in Actis capite 2. dicitur: Non relicta est anima eius in inferno, & caro eius non vidit corruptionem. Et Lucæ 24. Spiritus carnem & ossa non habet. Hæc & similia testimonia sint in conspectu, quæ perspicuè affirmant verè naturam humanam in Christo esse. Et simus memores dicti Iohannis in Epistola: Omnis Spiritus, qui non fatetur Iesum Christum in carne venisse, ex Deo non est. Cerinthus & Ebion negabant in Christo naturam diuinam. Valentinus, Marcion & ante hos alij humanam negabant naturam in eodem, quorum opinio erat, Christum πεφανταsιωκέναι τὰς ὄψας αὐτῶν τῶν θεομένων, ὡς ἄνθρωπον ὄν φορεσάντα ἄνθρωπον, ἀλλὰ δόκησιν τινὰ φασματώδη μᾶλλον, *vt veteris Hippolyti verbis vtar, qui fuit Episcopus Portuensis Irenæi ætate. Vtrosq; vt blasphemos eijcit ex Ecclesia Ignatius vetustissimus & grauissimus scriptor, qui se Christū in carne affirmat vidisse. Sic. n. inquit:* Ἐάν τις χριστὸν Ἰησοῦν φιλόν ἄνθρωπον εἶναι νομίζῃ, οὐχὶ θεὸν μονογενῆ καὶ σοφίαν καὶ λόγον, ἀλλὰ ἐκ τῆς ψυχῆς καὶ σώματος αὐτὸν μόνον εἶναι νομίζῃ, ὁ τοιοῦτος ὄφις ἐστίν, ὡς ὁ ἐπίκλην ἑβίων. *Item,* εἰς ὁ ἀνθρωπίνης οὔτε ὁ πατὴρ, οὔτε ὁ παράκλητος, ἀλλὰ μόνος

μόνος ὁ υἱός, οὐ δοκήσει, οὐ φαντασίᾳ, οὐκ ἀπάτῃ, ἀλλὰ ἀληθῶς. *Et contra eos, qui negabant* λόγον *esse natura Deum, vt Cerinthus, inquit Ignatius,* ὅτι εἷς θεὸς ἐστὶν ὁ παντοκράτωρ, ὁ φανερώσας ἑαυτὸν διὰ Ἰησοῦ Χριστοῦ τοῦ υἱοῦ αὐτοῦ, ὅς ἐστιν αὐτοῦ λόγος, οὐ ῥητός, ἀλλὰ οὐσιώδης.

Postea Arrium affirmantem λόγον *non esse patri coæternum, sed summam creaturam ex nihilo conditam, refutauit Synodus Nicena, & simul Ebionis, Artemæ & Samosateni furores iam ante ex Ecclesia explosos condemnauit, sub Constantino magno. Ephesina Synodus conuocata à Theodosio secundo, damnauit Nestorium Episcopum Constantinopolitanum, qui tollebat vnionem hypostaticam. Contendebat enim* τὸν λόγον *affuisse homini Christo per assistentiam seu societatem, sicut affuit Heliæ & alijs sanctis, nec fuisse duas naturas vnione hypostatica vnitas, contra testimonia veterum probatorum scriptorum. Expressè enim Ignatius inquit:* ὁ λόγος σὰρξ ἐγένετο, καὶ τέλειος ἄνθρωπος, οὐκ ὢν ἀνθρώπῳ κατοικήσας. *Chalcedonensis Synodus sub Martiano condemnauit Eutychen Monachum Constantinopolitanum, qui cùm sciret Nestorium damnatum esse, quòd docuisset* λόγον

γον tantùm affuisse Christo homini tanquã socium, delapsus est in hyperbolen contrariã. Nam confusionem naturarum finxit. Dixit naturam humanã conuersam esse in λόγον. Nec tribuit proprietates suas cuiq; naturæ. Sed contendit τὸν λόγον mortuum esse, & naturam humanã esse ipsam τοῦ λόγυ naturam. Deniq; vniuersam Ecclesiæ doctrinã de communicatione Idiomatum deleuit. Decretum Synodi extat apud Nicephorum libro 15. cap. 6.

Nec cùm Ecclesia retinet modos loquendi in concreto de persona διὰ τὴν ἕν ϛασιν ἀνάλη ψιν, commiscet inter se naturas, quasi diuina absorpserit humanam. Nam ex doctrina Ecclesiæ de communicatione Idiomatum ἕνωσις κοινὰ ποιεῖ τὰ ὀνόματα, ἴδε κοινότης τῶν ὀνομάτων οὐ σύγχυσιν ἐργάζεται τῶν φύσεων Sicut hæc Theodoretus concinnè & rectè declarat diuersis in locis, qui & regulam tradit, κοινὰ τοῦ προσόπυ γέγονε τὰ τῶν φύσεων, ἴδια, & suas contra confusionem naturarum disputationes sententijs maiorum roboratas claudens, addit. Μεμάθηκας ἀκριβῶς, ὡς οὐ μόνον μετὰ τὸν τόκον, ἀλλὰ, καὶ μετὰ τὸ σωτήριον πάθος, καὶ τὴν ἀνάστασιν, καὶ τὴν ἀνάληψιν τὴν ἕνωσιν τῆς θεότητος καὶ τῆς ἀνθρωπότητος ἀσύγχυτον ἐδιδαξαν.

Hæc

Hæc & similia testimonia colligentes, atq; ad doctrinam Apostolicam examinantes, rectè erudiamus animos de hoc articulo, ne perplexitate disputationum, quæ passim renouantur, conturbentur aut in dubitationem adducantur. Consideremus & causas huius arcani consilij ac decreti diuinitatis, cur hoc mirandum fœdus diuinæ & humanæ naturæ factum sit, & fieri oportuerit, quæ sæpè commemorantur, & testimonia amoris diuini in hoc præfixa, oculis intueamur. In creatione cùm sapientiam, iusticiam, libertatem voluntatis, quæ sunt res in Deo optimæ, in naturas hominum Deus transfudit, testatus est amorem suum erga genus humanum. Non dubium est enim dilexisse Deum hoc opus, cui hanc suam imaginem impressit. Sed longè illustrius & certius argumentum amoris conspicitur in filio, quod supplex abijcit sese corã æterno patre, ac deprecatur pro lapsis, & impetrata venia offert se ad satisfactionem, assumtaq; natura humana pœnam deriuat in sese, & hanc miserrimã massam sibi insertam sustentat, liberat à peccato, morte, tyrannide Diaboli, effundit in corda credentium Spiritum sanctum, qui instaurata imagine Dei, rursus corda cum diuinitate copulat.

Hæc

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-62-quod/start.htm?image=00000341

Hæc tàm illustria testimonia amoris diuini & beneficia tanta agnoscamus, sæpè cogitemus & grati celebremus, cumq; agnoscimus verè diligi nos à filio Dei, qui voluit esse caro ex carne nostra, & os ex ossibus nostris, fidem etiam excitemus in inuocatione, & petamus atq; expectemus mitigationem calamitatum propter filium Dei & per eum, cùm ipse sit custos Ecclesiæ & EMMANVEL potens ad seruandum, & conscius sit magnæ fragilitatis naturæ nostræ, quam nisi sustentaret, redigeretur in nihilum. Ac ne turbetur inuocatio nostra & aliorum, mores etiam congruant imagini Dei, quam restituit Spiritus sanctus in nobis, & simus modesti.

Præcipimus ergò Scholasticis nostris, vt & doctrinam Ecclesiæ diligenter discant, & mores piè regant, & cras visitato huic Scholæ more reuerentiam & gratitudinem declarent suam erga ministerium verbi, ac Sacramentorum, quo vtitur filius Dei ad regenerationem ac renouationem naturæ corruptæ in hac vita, ac singuli munus suum adferant ad Aram. Precentur etiam singuli coniunctis cum vniuersa Ecclesia votis, vt annus veniens communi patriæ, Ecclesiæ, his regionibus, huic schola

scholæ sit faustus ac felix. P. P. Anno 1565. die quo celebratur memoria natiuitatis Domini nostri IESV CHRISTI, nati ex MARIA virgine.

RECTOR ACADEMIÆ VITEBERGENSIS MICHAEL Teuber I. V. Doctor & Professor.

DECESSIT ex hac vita euocatus diuinitus iuuenis pius & eruditus SIMON BLEICHER natus Caplicij, quod oppidum est in confinio Boëmiæ, & Morauiæ, qui penè puer adhuc, propter pietatis & literarum studium pulsus fuit per tyrannidem Pontificiã ex schola Iglauiensi in Morauia, quando propter professionem & propagationem purioris doctrinæ Ludiliterarij magister eius loci vnà cum Scholasticis, qui eum sequerentur vniuersis eiectus est ab Abbate vel superstitione vel profanitate Epicurea impio, Id quod ita se habere ex literis publicis didicimus, quibus & de hoc casu huius iuuenis & de moribus & studijs ipsius multa honorificè sunt testati honesti & fide digni homines. Inde igitur in has terras venit, & in Ludo vicino oppidi Magdeburgensis

genſis ſtudia ſua proſecutus eſt, atq; ita ſe ibi geſſit, vt nobilis matrona vidua Munchuſenſis, pia & commemorabili liberalitate, eum ſtipendio ſuo aluerit, & in Academia noſtra ſumptus ei ſuppeditarit, in qua biennium vixit cum laude omnium, quibus notus fuit, & ſpe indubitata frugis optimæ, quam ex ſtudijs ipſius Eccleſia Chriſti & Reſpublica perceptura eſſet, ad quam tamen vt permatureſceret occulto iudicio Dei non fuit ei vita prorogata, atq; de quacunq; cauſa præcedenti in pulmonis morbum, quod & anatome demonſtrauit, incidit, & longa tabe conſumtus eſt, neq; exitus fuit vitæ anteactæ diſſimilis, magna enim tolerantia omnia, & ſermonibus pijs, & religioſis precibus, vitam ſuam clauſit. Sepelietur autē hodie peractis ſacris veſpertinis circiter horam quartam, atq; efferetur ex ædibus vicinis Balneis publicis ijs, quæ ſunt in platea Conſulum ad vallum. Ibi igitur indicato tempore conuenire Scholaſticos ad funeris deductionem volumus, & ne requiri hoc in ipſis officium ſinant, eos hortamur, cuius nomine ab antiquo noſtros laudari meminimus.

Filium Dei oramus, vt hunc annum nouum ſalutarem eſſe velit Eccleſiæ & Reipublicæ, cùm ita ſe dent negotia, vt nihil mediocre in vtranq; partem ex humanis rationibus expectari poſſit, ſed ſtatus vel optimus vel calamitoſiſſimus. Hic igitur Dominus & Redemtor noſter omnium conſilia & actiones ad laudem & gloriam ſanctiſſ: nominis ſui & publicam vtilitatem dirigat.

P. P. pridie Calend. Ianuarij, Anno 1566.

RECTOR ACADEMIÆ VVITEBERGENSIS MIchaël Teuber I. V. Doctor & Profeſſor.

NOTVM eſt, & in hoc oppido & apud externos multis bonis, nomen optimi & integerrimi viri GEORGII RHAVV typographi noſtratis, cuius frater IOHANNES & ipſe hîc conſedit, & ciuis fuit honoratus, & quæſtor rei ſcholaſticæ noſtræ, atq; moriens familiam reliquit copioſam, ex cuius filiabus CATHARINA, quæ nupta fuit cum ornato viro, BENEDICTO BOSSVLTESO CVNDERENSI, heri veſperi mortua eſt, matrona intelligens, & pia, quæ poſt partus aliquot, & difficiles omnes, cùm ante paucos dies ſextum

sextum peperisset, ita est afflicta, vt superare laborem illum non potuerit. Sed scriptum est: Sexum muliebrem saluari pariendo liberos, si perstiterit in fide, caritate, sanctimonia, & castitate, qualem fuisse hanc matronam & vita & exitus ex hac ipsius docuit. Cùm autem & honesta propinquitas demortuæ & maritus superstes à nobis expetant deductionis funebris officium, hortamur Scholasticos, vt humanitatem atq; pietatem suam etiam in hac parte publicè probent, & hodie post peracta sacra vespertina ad hanc deductionem ante domũ puerperæ huius, quæ est in platea scholæ Iurisconsultorũ conueniant, quod ideò etiam officiosius præstare nostros conuenit, cùm & aliqui ex ordine nostro cum hac familia affinitatem contraxerint, & maritus superstes in studijs communibus Iuris ciuilis nobiscum versetur.

Repetimus autem hesterna vota nostra, vt Filius Dei in ingentibus periculis orbis Christiani, quæ & ipsi à se & ab externis hostibus impendent, benignè conseruet & tueatur Ecclesiam suam. P P.

Calend. Ianuarij, Anni

1566.

Decanus

DECANVS COLLEGII PHILOSOPHICI IN ACADEMIA VVitebergensi, Iohannes Bugenhagius S.P.D.

ATtulerat Patribus tandem exoptantibus ætas
Aduentũ, auxiliumq; Dei, cum stirpe resultans
Germen Iessæo sub mœnibus vrbis Ephratæ
Exijt in lucem, verus qui Beniamin esset
Præuisus longè Isacidæ, dum conderet illic
Rachelem dura Lucinæ sorte solutam.
Stabat adhuc corpus digestum à Mose, sed illud
Rector Idumæus tenuit, sceptriq; potentis
Transtulit arbitrium, venerandaq; iura refixit
Concilij augusti: genitor ceu dicta reliquit
Isacides, natos sua quenq; vt fata docebat.
Tunc facis aëriæ ductuq;, atq; omine motũ
Finibus exciti Persarũ, & Solis ab ortu (bant
Longũ iter ad Solymæ prælustria regna para-
Ora noui Regis lustrare, et tendere dextras.
Hos & præceptis Daniel formauerat olim
Haud rerum ignaros sacrarũ, & stirpe Iapheti
Non generis signum Iudæo ex more tenebant
Incisi saxo circùm genitalia acuto.
His labor, astrorum motus, rerumq; latentes
Vestigare vices, atq; abdita quærere fata.

Quos dixêre Magos deducto nomine ab Haga,
Quod vertêre viri, rimari, & voluere mente.
Non Arabes illi, nec erant de gente Sabæa,
Quæ mediũ ad Solem Solymis obuersa iacebat,
Eoæ subiecta plagæ sed Persia misit
Consultos rerum naturæ, artisq́; repostæ.
Ast vbi Persarũ terras iam Græcia victrix
Perdomuit bello, sublato nomine prisco
Artificum, dixêre Sophos, quod tempore longo
Nomẽ apud veteres iã tum permansit Achiuos,
Donec Pythagoras haud se dignatus honore
Nominis eximij, fastu neq; turgidus vllo,
Primus amatorem Sophiæ se voce ferebat,
Se veritus dixisse Sophon, rerumq; peritum.
Quis scit an et nomen Latio sermone Magistri
Hisce Magis veterum descendat origine vera?
Non illis rerum vires, nec sydera tantum
Quærere cura fuit, tacitasq; expendere caussas.
Verum etiam dias artes, & scita professi
Vatis Idumæi, te primùm pectore toto
Mundi opifer, te nate Dei, rex maxime regum,
Quæsiuere animis, qua gente, et origine cretus
Membra hominũ sumes, veniesq; salutifer orbi.
Nam ventura videns Daniel, lateq; potentes
Persarum domini, dio de Semine famam
Spargebant populis, longoq; ex ordine ductæ
Fata recensebant soboli, gentiq; futuræ.

At

At quamuis demissa polo doctrina salutis
More viatoris per regna, per oppida transit,
Et cursum exercet non vllo in tramite fixa,
Sæpè etiam fucos doctorum, sæpè Tyrannûm
Vim patitur, granisq; herbæ miscentur inanes:
Contrà sæpè tamen doctrinæ norma, tenaxq;
Regula iustitiæ ludis inuenta Sophorum
Se tenuit, fuciq; expers, & imagine vera,
Ampullas fugiens, simplex contenta doceri.
Haud aliam ob causam quondam euenisse putandum est,
Vt Vatis monumenta sacri, quo turba leonum
Abstinuit capto, per Persica regna manerent
Cognita, & æternæ florerent dicta famæ:
Qualis apud Graiûm ludos doctrina Iapheti
Parte aliquâ Ascræi Vatis peruenit ad æuum.
Illi igitur studijs intenti, operumq; labori,
Vt gaudent animo promissum inquirere Semen,
Quo duce lapsa salus, & vita rediret in orbem:
Ecce vltrò Deus, vltrò animis offertur, & illis
Obuius ingreditur, magnoq; in honore vicissim
Artis Naturæ tota cui mente studebant
Aëris in campis stellam affulgère recentem
Insolitum per iter iubet, insuetoq; tenore
Stella viam signans Eois protinus oris
Excierat proceres, quorum intus lumine dio
Lustratæ mentes iam tum sensêre dierum

Tot serie annorum fama vulgauit in orbe.
Quare agite ô iuuenes, vos horũ exempla se-
Cum pietate Dei pariter, veraq; coæui (cuti
Notitia nati, doctis date tempora Musis,
Et fandi tentate modos, exemplaq; Græca
Nocturna versate manu, versate diurna.
Tollite vos ab humo, vultusq; affigite cœlo,
Qui niteant ignes illic, quæ inducere terris
Fata queant, variasq; vices portendere rebus:
Ipse sui famam Deus has inscripsit in artes:
Felix qui didicit naturæ inquirere caussas.
Primus homo has primũ perfectè calluit artes,
Et tacitas rerum caussas cognouit, & vsus,
Atq; è fine suo posuit sua nomina rebus
Nondũ animi luce obducta, caligine labis. (est
At quanquam lapsu miserando tetra coorta
Mente hominis nebula, & stygia caligine pres-
sa est:
At mansère tamen magna de luce relictæ
Scintillæ exiguæ, partesq; è munere magno.
Has ceu sopitas diuini Flaminis aura
Suscitat, atq; vsus creber conseruat, alitq;.
Ergò qui cupiunt sibi nomen ab arte parare
Ingenua, et palmam meritã cum laude referre:
Illi exercitijs acuant sua pectora, & vsu,
Nec se iudicio fugiant submittere nostro.

Elapsam seriem, quos denos computat olim
Septenis vicibus Daniel. tempusq; futurum
Nascendi regis tacita ratione recludit.
Stellam deinde super fulgentem culmina tecti
Stare vident, ceu fortè loco defixus eodem
Astabat Iosuæ sæua inter prælia Titan.
Vt sese intulerant, genibus de more minores,
Et terræ instrati vultu, pacemq; precantes
Accipiunt venerati animis de sanguine Semi
Progenitum regem, pariter qui deinde Iaphitis
Lux, & vita foret, casusq; leuamen ad omnes.
Dona dehinc auri ponunt Regiq;, Deoq;,
Thura Sacerdoti, graueolentis munera myrrhæ
Ceu qui ferri acie fixus trabe fata subiret,
Heu propria de gente manus, plantasq; refossus
Vix hominis specie seruans, ita sanguine largo
Stillarat corpus, Daniel ceu prodidit olim.
Non igitur dubiũ est vera pietate repletos
Æuũ egisse viros, quia nam præsentia cernunt
Numina luce noua liquidã affulgere per aurã,
Natalemq; aperire Dei procul orbe remotis
Extremo, quâ Solis equi primùm alma reportat
Lumina, & inserto terras splendore serenant.
Pòst etiam in somnis compellat vocibus vltrò,
Hisq; aperit fraudes Deus, & discrimine nullo
Digressos Syriæ terris ad patria duxit
Arua procul, sanctamq; fidem, collataq; dona

His ſua cùm dederint mihi nomina more rece-
Deferimus promptãq; operam, pronũq; fa- (pto,
uorem.

In die trium Regum 1566.

LINGVÆ LATINÆ STVDIOSIS S. D.

INTERMISSIONIS *noſtræ per menſes aliquot, ab vſitatis prælectionum publicarum operis, cauſas commemorarẽ neceſſarias & graues, niſi de labore alio mihi interea temporis iniuncto, cui vniuerſum ſtudium quadã cum aſſiduitate impendendum fuit, ſcirem conſtare iam vniuerſis. Hoc ergò, gratia Deo, peracto, omiſſa interim vel excuſatione vel cõmemoratione alia longiore, in præſentia ſignifico, decreuiſſe me iuuante Deo, redire ex temporis alicuius interuallo ad demãdatũ prælegendi munus. Cumq; tunc abſoluerim eorum autorum prælectionem, quorũ explicationi, de ſententia eorum, qui ſtudia publica in hac ſchola gubernant, aliquandiu immorati eramus, Nunc re cum ijſdem, vt par erat, deliberata, præſentis propoſiti noſtri rationem paucis exponam. Ante multos annos in publica doctrina ſua prælegit etiam Primum librum Fabij Quintiliani D. Philippus Melanthon, ſanctæ memoriæ, præceptor communis & proſocer meus cariſſimus.* Cùm

Cùm autem hactenus Grammaticis & Pædagogicis operis præfectus ſim, nihil videor poſſe facere melius aut rectius, quàm ſi, præſertim poſt non parui temporis interuallum, librũ illum quaſi poſtliminio in ſcholam reducam. Et huius conſilij autores atq; approbatores habeo viros doctos et intelligentes. Et res oſtendet auditoribus, in dicato libro hoc, plus eſſe, & quidem minimè vulgaris doctrinæ, ex ijs præſertim quæ ad Grammaticen pertinet, quàm in multis tàm veterum, quàm recentiorum prolixis ſcriptis: Et explicantur hoc ipſo atq; augentur, quæ huius generis ſunt in Oratore Ciceronis, Quibuſq; aliqui tanquàm reconditæ doctrinæ argumentis ſuperbiunt, ſingularemq; eruditionem oſtentant, ea hic enunciantur & fontes omnium atq; cauſæ demonſtrantur. Inſunt & alia multa quæ ad educationem eruditam pertinent. Hæc omnia verò exponendo cognoſcere Scholaſticos malo, quàm de præconio meo.

Initium autem faciam explicationis ad diem Lunæ proximam, hora ſecunda in Lectorio Medicorum. Ac ne exempla deſint Studioſis doctrinæ optimæ atq; neceſſariæ, peculiariter Typis apud nos exprimi curauimus, Primum lib. Quintil. additis Clariſs: V. D. Io-

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-62-quod/start.htm?image=00000347

achimi Camerarij præceptoris obſeruandi & amici paterni mei notationibus breuibus quidē, ſed pereruditis & vtilibus, quas ille nobis communicauit. Hoc certè præſtare poſſe videor, quod huic libello temporis impendetur, eius non fore, vt quenquam pœniteat, B. V.

Euſebius Menius.

10. Ianuarij, Anno 1566.

RECTOR ACADEMIÆ VVITEBERGENSIS MICHAEL Teuber I. V. Doctor & Profeſſor.

TERTIVS iam annus agitur, & penè hoc die completur, cùm primùm neceſſitate ita vrgente conſilio publico decretum eſt, vt ſingulis annis ter petatur Eleemoſyna, ad colligendum vnde ſuſtententur ægroti Scholaſtici in valetudinario publico noſtro, & initia fuère eiuſmodi, vt humanitatem, & piam in plærisq; ex noſtris obedientiam atq; beneficentiam celebrare poſſimus, qui & commonefactiones publicas, & caritatis Chriſtianæ debitum, & auctoritatem Magiſtratus legitimi atq; ita Dei, & hominum reſpectum aliquid apud ſe valere paſſi ſunt.

Nunc verò ita remittere hæc hac in parte omnia in multis experimur, vt niſi liberalius contribuatur, quam in aliquot iam collectionibus factum eſt, vnde aut quando conficiatur tantum poſſit, quantum opus eſt, non videamus, cùm non paruam ſummam eſſe oportere omnes intelligant, quæ collocata perpetuos ſumptus ferat eos, qui ſingulis annis impenduntur in curam ægrotorum & pauperum noſtrorum, atq; minus eſſet intolerandum aliquos vel nihil vel parcius conferre, ſi non barbaras etiam voces adderent, aut callidas aut veteratorias eluſiones quærerent, atq; ea ad collectores noſtros vſurparent, quæ ſine turpitudine ordinis noſtri commemorari non poſſunt. Quoniam igitur eò res redijt, vt ſi quis facit quod DEO, & ſocietati humanæ debet, agendæ ſint ei gratiæ, omnibus ijs, qui beneficos ſe hactenus præbent, aut præbebunt etiam deinceps erga pauperes noſtros, gratias agimus, cæteris non item, quos hoc ſcire volumus, & impietatis eſſe μικρολογίαν, quam vſurpant, & furtum eſſe ſceleratiſſimũ, non tantùm cum eripitur aliquid egentibus, ſed etiam cùm, quæ in hos beneficia conferri debent, & poſſunt, eis præciduntur, aut non præſtantur, & ſcriptum eſt: Qui obturat aures ſuas, ne audiat imbecillum, is & ipſe in-

uocabit, neque erit, qui audiat, ſed grauiores euentus manent eos, qui rident etiam pauperes & curam horum, Atq; hoc genus mittentes nos, & permittentes diuino iudicio, interea dum ceſſat vulgus profanum & barbarum, ij qui ſunt melior pars ordinis noſtri, quantum in ipſis eſt, non egere patientur ægrotos noſtros. Sicut autem ad profanos illos, quantumuis graues commonefactiones nihil proficiunt, Ita ad pios & bonos non eſt multis verbis opus, quæ ſpe his diebus iterum circummittemus, qui ſecundum leges publicas hanc Eleemoſynam rei Scholaſticæ nomine petant & colligant. Nemo autem tàm eſt tenuibus facultatibus, qui non contribuere poſſit aliquid, & gratior eſt Deo in talibus beneficentiæ conatus, ſicut in vidua Euangelica, neq; ſunt multi inter noſtros, qui non de ſumptibus non neceſſarijs recidere poſſint aliquid, quod huc conferant. Scriptum autem eſt & hoc: Qui miſericordiam præſtant, ijs miſericordia continget. P. P. Idib. Ianuarij, Anno 1566.

IN PRÆLECTIONEM TROVERBIORVM Salomonis.

Conſti-

CONSTITVI, Deo adiuuante, poſt dies quatuordecim auſpicari explicationem libri Salomonis, cui Titulus eſt: Prouerbia, continentis ſaluberrima præcepta de vita, ac moribus piè regendis, additis dulciſſimis promiſſionibus præmiorum, quibus Deus ornat ſtudium obedientiæ: Et è contrario comminationibus atrocium pœnarum, quæ certò comitantur petulantiam contumaciter ruentium in delicta contra conſcientiam. Et quia hæ γνῶμαι admodum ſunt elegantes in lingua natiua, propter bellas alluſiones & Antitheſes vocabulorum, ſimul ſtudioſis linguæ ſanctæ textum Hebraicum, vt potero, declarabo, vt cognitis verborum ponderibus & phraſibus linguæ antiquiſſimæ, ſententias ipſas altius memoriæ infigant.

Extat autem nunc liber ille Prouerbiorum Salomonis recens editus & illuſtratus à reuerendo Domino Doctore IOHANNE DRACONITE, *qui in vſum ſtudiorum cognitionis linguarum, textui Hebraico ſubiecit quatuor aliarum linguarum verſiones, quarum cum fontibus collatio ſine vlla dubitatione eſt vtiliſſima.*

Hortor itaq; Studioſos pietatis, vt illud πέντα πλῶν ſibi comparare non grauentur.

Diem

Diem autem & horam inchoandæ huius lectionis indicabo tunc, vbi cognouero Scholasticos exemplaribus huius libri instructos esse, Die 20. Ianuarij, Anno 1566.

Paulus Eberus Ecclesiæ VVitebergensis Pastor, Doctor atq; Professor.

IN PRÆLECTIONEM PRIVATAM THYSICÆ, Studiosis in Academia VVitebergensi, S. D.

CVM hoc tempore plurimorum precibus permotus, mecum ipse de inchoanda priuata doctrinæ Physicæ explicatione deliberarem: Haud sanè ignorani hunc laborem propter multas causas difficilimum esse, & quanquam necessarius est, tamen longè supra vires meas positum esse. Etsi enim omnes partes Philosophiæ immensum quiddam continent: Tamen nullius doctrinæ tanta est varietas & copia, quàm eius, quæ naturam rerum tùm maximarum, tùm etiam occultissimarum considerat & contemplatur. Neq; ego nunc de integra & perfecta Physica loquor, quæ complectitur Mathemathemata, artem Medicam, & historiam de metallis, plantis, & animantibus: Sed tantum de initijs quæ sunt illius amplissimæ doctrinæ parua semina, & vt ita dicam, exiguum vestibulum. Hæc ipsa rectè & feliciter iuuentuti proponere, arduũ profectò & difficile opus est, cui si me parem existimem, videar velut Atlas cœlum velle humeris sustinere. Quare me quidem paulò attentius cogitantem & de mea infirmitate, & de oneris magnitudine, multæ causæ à susceptione huius laboris deterrere poterant. Sed cùm multi ex priuatis meis tantopere petitionibus suis apud me instent & vrgeant, vicissim me consolatur vox Paulina, quæ in ministro nihil nisi FIDELITATEM *requirit, hoc est, conscientiam mediocris industriæ, & diligentiam coniunctam cum petitione diuini auxilij. Cùm igitur doctos interpretes initiorum Physices audiuerim, nec affectatæ ignorantiæ, quæ artem, quam nunquàm didicit profiteri audet, mihi sim conscius: fiducia non quidem propriæ industriæ, quæ pertenuis & perexigua est, sed auxilij diuini, hunc laborem priuata opera prælegendi Physicen, suscipiam, & à Deo petam, vt docentium & discentium studia, quæ ad ornandam ipsius gloriam, & ad illustrandam Ecclesiæ doctrinam referuntur, Spiritus*

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-62-quod/start.htm?image=00000350

Spiritu ſuo gubernet. Conſtituì autem propter diſcentium vtilitatem, tres Libellos enarrare, quos clariſs: vir Reuerendæ memoriæ præceptor noſter Dominus Philippus de Phyſica ſcripſit, In quorũ primo non ſolùm ea interpretatur, quæ apud Ariſtotelem tanquàm fontem omnis liberalis Phiſophiæ, extant in libris de cœlo & mundo, ſed etiam motus corporum cœleſtium luculenta narratione exponit: In ſecundo verò Libello recitat præcipuas materias, quæ in octo libris τῆς φυσικῆς ἀκροάσεως continentur: Deniq; in tertio decerpit optimos flores ex duobus de generatione & corruptione, & ex quarto de Meteoris, qui inter omnes Ariſtotelicos de natura ſcriptos, velut Heſperus inter nocturnos ignes eminet. Sed quia poſterior pars Libelli Phyſices primi de legibus motuum cœleſtium ad Aſtronomiam propriè pertinet, et ab ijs illuſtratur, qui Mathemata docent: ego pro mea tenuitate enarrabo duos libellos integrè ſecundum & tertium, & eam partem primi, qui prolegomena, Locos vtiliſſimos de Deo, de prouid. de conting: & aliquot quæſtionum explicationes complectitur. Ac Deo iuuante, ordiar ad diem Mercurij proximum hora Nona, vbi candidis auditoribus, quibus horis deinceps in hac prælectione ſim perrecturus, ſignificabo,

ficabo, & ſi Deus valetudinem & vitam conceſſerit, dabo operam, vt ante Mercatum Lipſicum proximum hanc enarrationem abſoluam. B. V. Menſe Ianuario Anno Chriſti 1566.

M. Chriſtophorus Pezelius.

RECTOR ACADEMIÆ VVITEBERGENSIS MICHAEL Teuber I. V. Doctor & Profeſſor.

MEMINIMVS omnes, quantũ & quàm ardens ſinceræ religionis ſtudium, quantum veræ ſolidæq; doctrinæ ac ſapientiæ, quantus quaſi concentus virtutum & Politico & Chriſtiano homini conuenientium, ſed præcipue Iuſticiæ, moderationis, ac beneficentiæ, exornatarum gemmata quaſi corona iuſticiæ Fidei & bonæ cõſcientiæ, quantus deniq; fuerit amor erga patriam in viro optimo & ampliſſimo HIERONYMO BAVMGARTNERO, *quo nuper in patria è viuis ſublato, cum annum ætatis exceſſiſſet ſeptimum & ſexageſimum, teſtati ſunt ciues vrbis Noricæ ſe Patrem Patriæ: Reſpub. ſe ornamentum dignitatis ac præſi-*

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-62-quod/start.htm?image=00000351

præsidium stabilitatis suæ Ecclesiæ se patronum & quasi nutritorem: Musæ se fautorem ac Mecœnatem suum in ea Repub. amisisse. Lugent ac deplorant interitum eius, & nostræ Musæ, quas qui colunt in Academia nostra ex illa Repub. & vicinia magno numero, ij omnes cum gemitu ac dolore eum requirunt. Hi cùm agnoscant debere se hanc gratitudinẽ pientissimis manibus mortui, vt memoriam beneficiorũ eius in sese priuatim, in Ecclesias ac Rempub. carmine celebratam consecrent posteritati, iusta ei hodierno die hora XII. publicè persoluere decreuerunt, qualicunq; officio carminis, cuius munus est secundum Pindarum: Benemeritorum præclarè facta canere atq; illustrare. Cùm autem iactura ex interitu virorum præstantium quocunq; in loco illi sint, modo nobiscum communis patriæ, vel potius vnius Ecclesiæ societate, legibus ac necessitudine coniuncti sint, ex horum ergò interitu iactura, cùm ad Rempub. pertineat, commoueri nos ac perturbari Reipub. causa decet. Hortamur ergò Scholasticos nostros, vt propter tanti viri memoriam conueniant in auditorio Collegij maioris, & commonefacti exemplis pietatis, eruditionis, amoris erga patriam & Ecclesiam, industriæ, sapientiæ, iustitiæ, mansuetudinis, liberalitatis, quæ

quæ vita eius proponit illustria atq; eximia, excitentur cùm ad studium imitationis, tùm ad vota precesq; fundendas ad Deum pro pijs & salutaribus principibus, qui non vnius loci, sed communis orbis Christianæ Reipub. prosunt & benefaciunt, & consilia gubernationis similiter non ad priuata commoda, sed salutem publicam dirigunt atq; accommodant. Summa viri laus est, quod sua ciuitas funus prosequuta hoc Encomio: Quod profuerit quibus potuit, nocuerit neminì: Ita eum sepeliuit, vt quanquàm hoc Epitaphium tumulo lachrymis macerato, iteratæ & frequentatæ voces quasi insculpserint, ne tamen aliquanto post cum pulueribus resiccatæ terræ dissiparetur, vnusquisq; idem vero gemitu planctuq; in suo pectore obsignarit. Die 20. Ianuarij Anno 1566.

RECTOR ET CONSILIVM PVBLICVM ACADEMIÆ VVitebergensis omnibus subiectis Iurisdictioni huius.

IN licentia vitæ, quam falsò libertatem vocant, & scelerum impunitate, ostendit se educationis prauitas, & peruersitas institutionis

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-62-quod/start.htm?image=00000352

ad quæ tum petulantia & inhumanitas accedit, Itaq; multis grassantibus pœnarum exemplis opus est. Etsi autem & in legibus scholasticis disertè vetatur armorum gestatio, ex veteri edicto FRIDERICI ELECTORIS &c. *fundatoris huius Academiæ, opt: & sapientissimi Principis, & armatorum grassationes nocturnæ ita punitæ sunt ab antiquo, & iam non longo temporis interuallo aliquoties, vt exempla aliquis animaduersionis iustæ in nostra iurisdictione nõ posse requirere videatur, quid tamen his etiam proficiatur euentus docet, itaq; non tantùm pœnas iterari, sed intendi etiam oportet, cuius rei misera necessitas nobis afferetur in præsentia. Nocte enim sequente dicm Calend: Februarij, post horam XI, vsurpauit vim publicam ad ædes duorum honestorum ciuium huius oppidi post vallum N. N. N. ante quas armatus gladio et hasta, conuicijs affecit grauissimis vtrasq; familias, atq; insuper alterius domus fenestras fregit, in alterius patremfamilias prospicientem ex alto hastam iaculatus est conatu mortifero, de quibus omnibus coram consilio publico nostro conuictus ita est, vt aliorum contra se testimonijs suam etiam confessionem adderet, & tum quoq; petulantiã & vanitatẽ intolerandam coram nobis vsurpauit.*

uit. Vt consulatur igitur quieti communi, & auertantur pericula publica vniuersorum, & singulorum priuata, vtq; intelligatur talem audaciam et vim nos, sicut debemus, in nostris ferre neq; posse neq; velle, hunc N. N. N. relegamus ad decennium, & per annos decem exulare eum ab hac Academia iubemus, & de sententia consilij nostri relegatum esse ad tot annos publicè significamus. Sed hic N. huius facinoris socium habuit N.: ensem & ipsum, qui cùm pro scholastico se gesserit hactenus, nomen suum apud Rectorem non est professus, atq; abductus vnà cum socio facinoris in custodiam oppidani Magistratus, ne in huius pœnis adhæresceret, & nostrum simul Magistratum falleret, fraudulenter mutauit nomen ad vtrosq;, & assumpsit sibi alienum honesti iuuenis, vnius ex scholasticis nostris, qui nuper ægrotus hinc est auectus, eumq; se esse finxit, cuiusmodi fraudi pœnam falsi leges Imperatorũ irrogant, & in hac latebra alieni nominis, vt res minus deprehenderetur, interdicto facto ne hinc discederet, & promittere iussus, quod sistere se vellet consilio nostro, vtrumq; promisit, heri tamen vocatus à ministro publico, & coram ab hoc compellatus, ad nos non venit. Iampridem verò publicè significatum est, quid aduersus eos de-

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-62-quod/start.htm?image=00000353

ereuerit senatus Academiæ, qui inter nostros obuersantur, & Scholasticos se credi volunt, non professi nomina sua apud Rectorem, si in facinoribus deprehendantur. Sicut igitur si huius N. nomen ascriptum esset Scholasticis nostris propter fraudem, vim & contumaciam periuram ab ipso vsurpatam, deleremus eius nomen ex libro publico, & excluderemus eum cum infamia è cœtu scholastico, Ita nunc hunc N. N. N. non esse scholasticum Academiæ huius, neq; inter hos à nobis censeri, neq; priuilegia nostra ad eum quicquam pertinere publicè sciri volumus, & ne vllo deinceps tempore in cœtum nostrum recipiatur à nobis decretum esse, vt sic tamen ex honestissima communitate nostra in perpetuũ excludatur. Mandamus autem & edicimus scholasticis, & cæteris vniuersis subiectis iurisdictioni nostræ, ne quis ex his duobus iuuenibus vel relegatum illum, vel hunc exclusum singulos aut vtrumq; ab hac die propositi edicti nostri, in conuictum, familiam, aut habitationem suam recipiat, aut in his degere patiatur deinceps, neue latebras eis vllas præbeat, qui secus facere, vel cum his vel cum alijs quibuscunq; relegatis aut exclusis conuictus fuerit, eadem pœna qua damnatus is fuit, quem recipit, afficietur. Caueat igitur sibi vnus-

vnusquisq;, & aliorum calamitatibus potius, quàm proprijs doceri se patiatur, & fidem Deo & hominibus debitam præstet.

P P. VI. Februarij, Anno 1566.

RECTOR ACADEMIÆ VVITEBERGENSIS MIchaël Teuber I. V. Doctor & Professor.

CERTISSIMA consolatio proponitur prægnantibus & parturientibus in dulcissima concione Pauli Apostoli dicentis in prima ad Timotheum cap. 2. de mulierum vocatione: σωθήσεται δὲ διὰ τῆς τεκνογονίας, ἐὰν μείνωσιν ἐν πίστει καὶ ἀγάπῃ καὶ ἁγιασμῷ μετὰ σωφροσύνης. Saluabitur mulier per filiorum generationem, si manserit in Fide, & dilectione, & sanctificatione, cum temperantia & modestia, vtramq; enim virtutem complectitur Paulus nomine τῆς σωφροσύνης. Indubitatò itaq; statuamus, pias mulieres rectè Deum inuocantes in agnitione & fiducia Saluatoris nostri IESV CHRISTI, Deo in sua vocatione obedientes, officiosas erga maritum, sobolem, vicinos, castas, nam ἁγιασμὸς He-

bræa phraſi caſtitatem ſignificat, Item temperantes et modeſtas tùm maximè Deo curæ eſſe cùm in vtero gerunt, quidquid eis accidat. Ad id enim conditæ ſunt, vt pariendo propagent genus humanum, & imbecillem fœtum foueant atq; alant. Talibus fuit virtutibus ornata honeſtiſsima fœmina MAGDALENA *coniunx viri doctiſsimi* M. CHRISTOPHORI TEZELII, *quæ ante biduum egreſſa ex balneo, atque ex animi deliquio ad terram collapſa, cùm nemo adeſſet, à quo recrearetur, cum ea defectione virium animam exhalauit. Periit in vtero matris vnà & fœtus iam maturus. Partui enim proxima fuit. Attulit hic caſus omnibus nobis cauſam veri & acerbi luctus. Non enim mariti tantùm calamitate & orbitate afficimur, quem propter pietatem, virtutem, eruditionem, & alia ornamenta magno vſui futura Eccleſiæ verè diligimus, ſed multò magis mouemur omine & præſagijs publicorum malorum, quæ talibus caſibus inſunt. Inter ſigna anteceſſura mutationes triſtes in genere humano, recenſentur teſtimonijs ſcripturæ ſacræ etiam parturientium & lactentium dolores. Ac plures abortus vix meminimus, quàm hoc anno vidimus. Portendi itaq; calamitates publicas atroces ac funeſtas metuimus, harum cogita-*

cogitatio dolorem noſtrum vehementer auget. Maritus animum erigens teſtimonijs miſericordiæ & præſentiæ diuinæ intueatur conſolationẽ Paulinam. Nam coniugem ſcit in numero eſſe illarum, quibus certa ſalus promittitur. Nos commonefacti præſagijs impendentium publicè calamitatum, flectamus animos ad ſeriam inuocationem, petentes mitigationem iuſtarum pœnarum, quas ſponte accerſitis furoribus multò maxima pars hominum hoc ſeculo attrahit & accelerat, & mores etiam ſerio emendemus. Funus ei fiet hodie hora quarta, id vt Scholaſtici deducant ex ædibus, in quibus habitat M. TEZELIVS, *hortamur. Debetis hoc officium meritis mœſtiſsimi mariti erga hanc Scholam. Nam & concionando Eccleſiæ & docendo in Schola plurimis vtiliter iam in alterum annum inſeruit. P P. 27. Ianuarij Anno 1566.*

CONSOLATIO AD REVERENDVM ET DOCTISSIMVM virum D. M. Christophorum Pezelium, In funere dilectissimæ coniugis, scripta à M. Laurentio Collino Laureacen.

VInce animum, luctusq; tuos, qui cætera vincis,
Est decus hoc animo ferre decente malum.
Sit modus in luctu: nulli fortuna creato,
Siue bono didicit parcere, siue malo.
Sed quid fortunam? Casus miseretur & huius
Qui solet in miseris rebus adesse Deus.
Scilicet hoc totum, quod viuimus, omne malorũ
Ilias, & Lernis crescit vt hydra suis,
Principium vitæ lachrymæ sunt finis & illæ,
Quid mediũ dices inter vtrumq; ? Metum.
Ille tamen, seruare modum qui nouit & audet
Rebus in aduersis, fortior vnus erit.
Sic tua te clarum reddat patientia victrix,
Lumen in ærumnis illa sit vna tuis.
Atq; alijs (vt habent similes mortalia casus)
Exemplum luctus, & tolerantis eris.
Pſammenitus cara Cædi cum coniuge natos
Vidit, et à lachrymis mens aliena viri est.

Sed

Sed suus exemplis locus esto, & cura profanis,
Plus valet è sacro fonte medere malis.
Ad mortem rapitur coniunx, spectante marito
Sancta Petri, quantum robur vtriq; fuit?
Illa animosa manus sæuas, & militis ensem
Sustinet, hic spectans sic stupefactus ait:
Cara mihi, longeq; Deo charissima, coniunx
Quæ moriens ipsi iungere Sponsa Deo:
Esto memor Christi vitæ in discrimine tanto,
Quem rursum viuens, intuitura breui es.
Talia sunt Christi, teneræ & connubia sponsæ,
Talis & est sponsi sanguine pacta fides.
Aspice Cæsareum nomen, fasceſq; gerentem
Mauricium, quantis non cadat ille malis.
Natorum infandæ cædis spectator, & vltrà
Coniugis: hæc oculos ante perempta suos.
Sunt gemitus iusti: tamen hi superantur: & illud
Vox quoq; demonstrat principe digna viro,
Iustus es æternum Domine, & te iudice iusti
Causa stat, & nescis fallere, iusta facis.
Nam tu ceu recta dispensas omnia lance,
Iudicium rectum quis neget esse tuum?
Hoc animo seruo præbet ferienda Tyranni
Colla, nefas tantum est sustinuisse decus.
Id tibi lugenti reprimat, vir docte dolores,
Est virtus grauibus nolle perire malis.

Adde quod (hæreſco dicamne, ſed auguror) ipſi,
Officium loquitur, vis ſacer eſſe Deo.
Omẽ ineſt: etenim quondã ſacra victima, ſeptis
Pars, ouium lecta eſt optima quæq; gregis.
Vbere matris egens, crebris balatibus, intra
Septa, graues queritur agna relicta vices.
Quẽ penes, hinc, fuerat ſacrorũ ſumma poteſtas,
Siſtitur huic cædes illa morata ſuas.
Cæditur inde ſacro ritu, quibus aſtat, ad aras,
Fiat vt irati mitior ira Dei.
Sic alijs, quòd ſit ſeiunctus Apoſtolus, vnum
In quo verſatur, prædicat officium.
Non ſecus in ſacri verſans indagine verbi
Victima tu mundi de fece lecta Deo es.
Delicijs mundi ſeiunctus ſacra ſequendo,
Victima ceu clauſo carcere ſola iaces.
At nunc è ſtabulis traductus, verbera perfer,
Ante ſacros animo nil trepidante focos.
Filius æternus ſummus ſine fide ſacerdos
Aſtat, & obſequio tollitur ira pio.
Leniat ergò tuos, quod nunc profitere, dolores:
Non nobis, ſummum viuimus ante Deum.
At tua ſi redeat coniunx optata, quid illam,
Augurar ad planctus dicere poſſe tuos?
Ipſa ſuos alio, non fallor, nomine queſtus
Ederet, & reditum nollet, vt ipſe, ſuum.

Quis

Quis neget? æternæ memoraret gaudia vitæ
Pluribus, & mœſto diceret iſta viro.
Chare mihi coniunx, lachrymas cur fundis? in-
ulta
Fata manent, vna eſt linea: Diſce mori.
Vixi etiam, vixi quid dico, ſimillima morti
Vita ea, non vitæ nomine digna fuit.
Terge genas, animo coniunx exure dolores,
Speranda eſt melior vita, ferenda grauis.
Ecce patrem, natumq;, & qui procedit vtrimq;
Æternum, atq; vno numine, concilium.
Ecce Dei natum, mirando fœdere maſſam,
Vt gerat humanam, & ſit ſine fine Deus.
Ecce miniſtrantum turbas, primoſq; parentes,
Quæ canit æternum turba beata Melos.
Ecce patrẽ, & proauos illic longo ordine noſtros
Quorum ego pars etiam, laus tibi Chriſte,
feror.
Omnia quid memorẽ? non eſt æterna volenti
Dicere, ſermonis finis & ora ſui.
Ergò tuis victis, animæ pars noſtra, querelis
Lætitiam mecum quam mediteris, habes.
Hæc coniunx gratis hærens amplexibus Abræ
Sentit, & hos cernit quos videt ille, dies.
Nil igitur luctus valeat, viuit tua, viuit,
Et regnat, qui te, quem profiteris, amat.

Epice-

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-62-quod/start.htm?image=00000357

EPICEDION IN IMMATVRVM ATQVE INOPINATVM obitum piæ & honestißimæ Matronæ, coniugis clarißimi viri Magistri Christophori Pezelij Plauensis amici & fratris sui carißimi, scriptum à

M. Paulo Francio Plauensi.

Qvalis vbi turtur, cõstantis imago mariti,
Coniugis ereptæ tristia fata dolet,
Nec magis & latices, vitæ nec pabula curans,
Ilice sub nigra, nocte dieq; gemit.
Talis, & ingentes ducens de pectore luctus
Pezelius, vitam tristis & orbus agit.
Aurea visa prius, cui squalida cuncta videntur, (videt.
Cynthia quem mœstum, Phœbus & ipse
Dum decus ipse domus, sua gaudia regnaq; posse
Quæ moriens secũ Magdalis ipsa tulit. (scit,
Hæc etenim postquam casus ignara futuri,
Ingreditur domui balnea iuncta suæ.
Nec mora, seu fato, quod cunctis imminet æquè
Seu grauidi ventris victa dolore, cadit.
Illa iacens, talis, vita fugiente per auras
Qualis vbi languet flos Hyacinthus, erat.

Vir

Vir stupet, hoc spectans, neq; enim penetralia mentis
Pressa dolore graui fundere verba sinunt.
Dum vim spirituũ cor ad se retrahit omnem,
Orba quibus, cerebri regia & ipsa riget.
At Deus vt misero mentem, vocemq; reduxit,
Sæpè vocat sociam nomine, sæpè vocat.
Spẽq; metũq; fouẽs, quid agis mea cura? quid incidit, ô animæ pars cadis ante meæ? (quit,
Pectoris hos inter gemitus, tristesq; querelas,
Nunc vocat ipse Deũ, nũc hominesq; vocat.
Sed nihil omnis erat labor hîc medicamina & ipsa,
Atq; Machaonia quidquid in arte valet.
Heu quantus dolor est, quàmq; immedicabile
Pectoris: orbari coniuge, parte sui. (vulnus
Non etenim leges thalami, sunt vincula regis
Gnosiaci, flammæ vel cytheræa tuæ.
Quos quis ad arbitriũ deponat & induat ignes,
Qualis amicitiæ est lucra sequentis amor.
Sed Deus hos motus homini, hæc incendia cordis
Indidit, è thalamis pectoris hausta sui.
Hoc vt in igne sciat, quo sponsam diligat igne,
Filius æterno de genitore satus.
Et pariter discat, casti quod causa pudoris
Coniugij atq; author sit Deus ipse sacri.

Sæpè

Ergò tibi offertur iuſtiſſima cauſa doloris
Chriſtophore ipſe mihi fratris amande loco.
Funera qui ſociæ, mœſtis affectibus ardens
Deſles, & lachrymas fundis ab ore pias.
Nã Deus vt noſtro grauiter mœrore mouetur,
Sic homines hominum damna dolere iubet.
Sed moderare tamen luctum: moderare querelas:
In lachrymis pietas debet habere modũ.
Colloquium placidum, ſolamen quære doloris,
Non ale, non auge, dura premendo mala.
Acrius affligunt incluſæ pectora curæ,
Ceu magis oppoſita flumina mole fremunt.
Quod niſi mœſtitiã mens euomet ægra retentã,
Paulatim in cineres totus abibit homo.
Ergò voluntatem cœleſtis reſpice patris,
Vnica quæ cunctis anteferenda bonis.
Scis capitis noſtros numeratos eſſe capillos,
Nec, prohibente Deo, poſſe perire pilum.
Aſpice res hominum fluxas, & ſpicula mortis,
Humanum patitur quæ nihil eſſe diu.
Quæ facies rerum, mundi quæ triſtis imago,
Aſpicis: hei veniet magna ruina breui.
Caſibus eripitur, placida qui morte futuris
Viuit & in cœlo cuncta beatus habet.
Deniq; ſi reputes ſanctorum exempla virorum
Nil tulit hic caſus, ſors & acerba, noui.

Nec

Sæpè fit, vt iuuenis capiatur amore puellæ,
Quæ prius haud ipſi, ſed modò viſa fuit.
Eius at vt vidit faciem, moresq; pudicos
Forma placens, inquit, coniugis omẽ habet.
Iamq; velut ſtipulis ſuccenſa, vel ocyor Euro,
Viribus aſſumptis flamma ſub aſtra volat:
Sic amor ipſe ſubit timidæ penetralia mentis,
Intrat, & arcanus dura per oſſa calor.
Atq; oculos oculi feriunt, & pectora pectus
Allicit, æterno ſic agitante Deo.
Hinc duo, diuini quos iungit gratia verbi,
Æthereis fiunt nexibus vna caro.
Et velut in viridi coaleſcit ſtipite ramus,
Communis quibus eſt ſuccus vtriq; tener:
Sic in coniugio mens altera mentis amantis
Alterius domus eſt plena pudore, fide.
Par labor & ſtudium, par eſt vtriq; voluptas
Quiq; abit hinc rurſũ mox amor, inde redit.
Quare cum durì mors diſtrahit ordine fati
Hos, tranquilla quibus vita iugalis erat.
Tunc extruſa ſuis mens ſedibus ægra relicti,
Auulſam partem fletq; doletq; ſui.
Et niſi ſanctus adeſt, qui præſtet robora flatus,
Exilij opprimitur ſæpè dolore ſui.
Mœror enim tanto eſt grauior, quò mutuus ar-
Et ſocialis amor, firmior antè fuit. (dor

Ergo

Nec tamen ipſa fames, nec mors inopina, vel en-
Separat in Chriſto nos ab amore Dei. (ſis,
Præſtitit ipſa Deo cultum, tua præſtitit vxor
Dum cadit officij munere functa ſui.
Nec fuit huic aliud mors, quàm ſuſpiria pauca,
Sic vt ea ante Deum ſit preciosa tamen.
Flaminis hæc etenim diuini viuida ſedes
Cœleſtis verbi luce renata, fuit.
In qua vera fides, non fitto mixta timori
Et pudor, & caſtæ gratia mentis erat.
Et niſi vera loqui piget, hoc quod, nomine lu-
ges, (*ſuit.*
Quod pia, quod prudens, nec vagabunda
Sueta manere domi, quæ iunxit vota labori,
Corporis in curas ambitioſa tui.
Præterea offenſas blando ſuperabat amore,
Vnde tibi obſequij laus pia Sara venit.
Cui coniuncta comes, cœleſti luce potita
Æthereis gaudet ſedibus illa frui.
Ergò tuis noli lachrymis vrgere beatam,
Reſtituit nullus commoda lapſa dolor.
Viue tibi potius, curas è pectore pelle,
Attrahit ante diẽ mens ſibi mœſta necem.
Deniq; viue Deo facundæ munera linguæ,
Ingenij & dextri qui tibi dona dedit.
Eſt & erit tecum Deus hic, præſentia cuius
Rebus in aduerſis cognita ſæpè tibi eſt.

Quòd

Quòd te non potuit præſens extinguere mœror,
Et fauor & patris eſt omnipotentis opus.
Cuius in infirmis diuina potentia lucet,
Quos triſtis caſus ſors & acerba premit.
Ergo age Chriſtophori tuearis nomina factis,
Chriſtophorus quiſquis, multa dolenda ferat.
Sed Deus ipſe tuas lachrymas in gaudia vertet,
Et dabit vt veniat gratior hora tibi.
Viuat & emergat, licet vndis obrutus eſſet,
Vtile quem multis vas cupit eſſe DEVS.

FINIS.

IN OBITVM LAVDATISSIMÆ FOEMINÆ MAGDAlenæ Coniugis clariſſimi viri D. M. Chriſtophori Pezelij.

Carmen Sebaſtiani Artomedis Franci.

HAs lachrymas, hæc mœſta tuus ſuſpiria Coniunx
Fundit in exequias vxor amata tuas.
Quis Deus, & quæ ſors, aut quæ fata inuida tandem
Eripuere meo commoda tanta thoro?
Pace nurus reliquæ veſtra loquor, haud fuit vlli
Sanctior vlla viro, charior vlla viro. (*Con-*

Consors fida precum & sortis: pro tempore, læto
Læta viro, tristi Coniuge tristis erat.
Officiosa, Dei metuens, & mitis egenis
Formatrix teneræ sedula prolis erat.
Hei cur grata alijs, prolis me mentio turbat?
Causa subest, noli quærere, Causa subest.
Illa meam solata domum spe diuite partus
Maturi, gemino funere strata iacet.
Si quis amat sociamq; thori, iucundaq; lecti
Pignora, de luctu cogitet ille meo. (luntas,
Si tamen est, velut est, hæc numinis alma vo-
Nec lachrymis fas est hanc reuocare meis.
Gratulor ereptam terris, cœloq; receptam
Æternum vera pace bonisq; frui.
Illic ornantur, fatis quæ tristibus vsæ
Officio partus interiere sui.
Hic mea matronas etiam Madalena pudicas
Inter, honoratũ splẽdet adepta decus. (iunx
Salue igitur, partisq; bonis fruere optima Con-
Salue, & cum sponso, lux mea, viue tuo.
Interea hoc nostri monumentũ et pignus amoris
Hoc nostri signum triste doloris habe.

Distichon continens Annum, Mensem
& Diem obitus.

Quinta tibi, & lux quinta quater cum venit
Pezelij consors hei grauis occubuit. (Iane

Rector

RECTOR ACADEMIÆ VVITEBERGENSIS MICHAEL Teuber I.V. Doctor & Professor.

MVLTIS sententijs sacræ scripturæ deploratur caduca & in breuitate misera vita humana, Scriptum est homo natus de muliere breui viuens tempore, repletur multis miserijs, qui quasi flos egreditur & conteritur, & fugit velut vmbra. Item Dies eius sicut vmbra prætercunt. Et sunt similes querelæ sapientiæ externæ, id est, humanæ, non pauciores, Nam has miserias nostras hæc etiam videt atq; agnoscit, et quæ quotidiè in se & in alijs vnusquisq; experitur, de hoc docent & testantur nimis multa. Vix triduum elapsum est, cum lamentabili funere extulimus matronam grauidam & partui vicinam, quæ ex casu vnà cum fœtu miserabiliter extincta est, atq; diaboli, imprimis in hoc sexu, & tali tempore huius, declarant odium suum & inuidiam erga genus humanum & propagationem huius ad æternam consuetudinem cum Deo, atq; cum alijs modis multiplicibus, tum visorum etiam & spectrorum terriculamentis insidiantur vitæ grauidarum & puerperarum, & fœtui harum, præ

cæteris hominibus, vt humanæ etiam diligentiæ custodia singulari, & quasi præsidio perpetuo consuetudinis hominum opus sit huic generi, cui solitudo semper, & multò quàm alijs grauior est atq; periculosior. Heri autem circiter primam pomeridianam mortuus est infantulus, nondum octimestris Iohannes Lemeigerus, Optimi & Doctiss: Viri Magistri Alberti Lemeigeri, Professoris publici, collegæ nostri, filius, cum in dentitione natura succumberet, & πάθος cerebri quod talem commotionem comitari solet, accederet. Hoc etsi minus est calamitosum funus quàm proximum alterum, quanta tamen sit miseria & qui dolor humare liberos, ij nouere qui experti sunt, cæteri non facilè æstimant, & minimè omnium qui non habent liberos. Atq; hunc iam alterum filium effert M. Albertus noster. Ad curas igitur quas vnicuiq; creat quotidiana tanquam impressio occupationum ac solicitudinum, quasq; sua cuiq; negocia afferunt, hæc etiam minimè leuis miseria patresfamilias affligit, atq; ita in labore & in dolore, vel vt alius Poëta fecit, inter spemq; metumq;, & curas inter & iras, mors obrepit vniuersis. Hortamur autem scholasticos vt hora XII. ad funeris deductionem frequentes conueniant in Collegio augusto,

gusto, quod hoc funere primum funestatur, ex quo munificentia Illustrissimi Principis nostri rei Scholasticæ & pietatis & doctrinæ studijs ea domus attributa est & extructa. P. P. Pridie Calend: Feb: 1566.

STVDIOSIS IN ACADEMIA VVITEBERGENSI Auditoribus suis S. D.

GRAVISSIME de orbitate Coniugum scriptum est in quodam Carmine Poëtæ & viri excellentis Domini Stigelij:

Non dolor est maior, quàm cũ violentia mortis
Vnanimi soluit corda ligata fide.

Vt enim nullum est arctius vinculum in genere humano, quàm dulcissimum fœdus Coniugij: Sic non potest homini φιλοσοφῳ tristius atq; acerbius vulnus infligi, quàm cum vitæ sociam, & costam Corporis sui, sine vt verius dicam, partem animæ suæ amittere cogitur. Sed meum dolorem, quem nuper accepi ex obitu dilectissimæ coniugis, multæ res in immensum augent, penè vt magnitudine sua dolor me opprimat. Non enim amisi tantùm fidelissimam vitæ consortem, & domesticæ inuocationis sociam, fœminam optimam, matrem

familiâs diligentißimam, & omnium curarum & ærumnarum mearum dulce leuamen: Sed eo potißimum tempore eam amiſi, quo partui illa vicina fuit, & ſubito ac triſtißimo caſu amiſi, Quem animus meminiſſe horret luctumq; refugit.

In hoc tamen acerbißimo meo vulnere & luctu grauißimo, erigo me & ſuſtento ijs conſolationibus, quas vox diuina in verbo nobis patefacto proponit, quod verè nunc mihi eſt faſciculus myrrhæ & Balſami, vt in Cantico Salomonis ſponſa Eccleſia, ad ſponſum filium Dei inquit: Et te fili Dei Domine Ieſu Chriſte ardenter inuoco, vt tu mihi & ærumnas domeſticas, & dolores animi lenias ac mitiges. Tu enim vis eſſe modum lachrymis, finemq; dolori, Nec tibi vita dolens, nec lachrymoſa placet. Vt autem ipſe quoq; aliquo modo animum abducam à continuo & aſſiduo mœrore & luctu, quem alioqui & στοργὴ erga Cariſſimam vxorem, & miſeriæ orbitatis, Deniq; & conſpectus filiolæ vnicæ & dilectißimæ, quam illa mihi reliquit nondum planè trimulam, ſingulis momentis cum ſumma doloris acerbitate mihi in memoriam reuocant: Conſtitui, Deo iuuante, die Craſtina redire ad meas vſitatas operas, quas aliquot iam

iam diebus propter hunc triſtem & luctuoſum caſum intermittere coactus fui. Bene valete, & me pijs veſtris precibus Deo commendate. Sicut non dubito multos bonos ſocios eſſe ægritudinis & doloris mei triſtißimi. III. Februar. 1566.

Chriſtophorus Pezelius.

IN QVARTI LIBRI THVCYDIDIS TRÆlectionem.

NIHIL aptius eſt ad delectationem lectoris, inquit Cicero, quàm temporum varietas, fortunæq; viciſſitudo, Hæc cùm in vita humana creberrimè incidit, tùm vero in hiſtoria, quæ ſpeculum & imago vitæ eſt, & frequentißime occurrit, & potißimum legentes detinet ac delectat. Non eſt autem alius liber Thucydidis in quo vel fortunæ vices magis mirabiles, vel temporum atq; animorum mutationes maiores conſpiciuntur, quam liber quartus, cuius interpretationem, DEO auxiliante, ad diem Martis proximum auſpicari decreuimus. Athenienſes enim hic blandæ indulgentia for-

tunæ adeò euehuntur in altum, vt vix ipsi sese capiant vel agnoscant amplius, vincunt præter spem & tanquam in somnis Lacedæmonios hostes, & eo desperationis redigunt, vt pacem supplices petere cogantur, Sed illo successu elati, aut verius dementati grauiter delinquunt, denegant pacem petentibus, & deinde dum pœnas dant sæpè deplorant huius temporis infœlicem insolentiam atque incogitantiam suam, accidit enim eis, quod est apud Poëtam:

Nescia mens hominum fati sortisq; futuræ,
Et seruare modum rebus sublata secundis.

Hic præcipuus locus est in hoc libro, vnde doctrina in vniuersa vita adprime vtilis & salutaris peti potest, Nempè vt cum res sunt secundæ, ne insolenter neue superbè efferamur, ne iram diuinam contra nos irritemus, Est ibi etiam Εἰκών *Cleonis turbulenti & seditiosi ciuis, qui fax est patriæ & turbator pacis. Multa præterea insunt, quorum cum in doctrinæ studijs, tum in tota reliqua vita multiplex & infinita est vtilitas. Oratio etiam ipsa hic suauior & luculentior incipit fieri, vt sperem huius libri tractationem auditoribus præ cæteris facilem, & iucundam esse futuram.*

Deinde

Deinde ad diem IOVIS *etiam decreui* DEO *iuuante, auspicari interpretationem Libri XI. Odysseæ Homeri, qui velut pelagus est historiarum & fabularum, atq; eam ob causam omnium librorum Odysseæ explicatu difficillimus. Requirit hic liber inprimis diligentem & non meruditum interpretem, neque cuiuis obuium se præbet, Mea fides, assiduitas & diligentia vtroq; in labore vobis non deerit.*

Oro auditores vt Deum pro me deprecentur, vt mihi in hoc senili corpore vires sufficiat ad has operas scholasticas, inter alias enim molestias & incommoda multa senectutis hoc præcipuè odiosum est, quod etiam munia publica sæpè impedit, & hæc de Senectute communis querela fuit fere omnium honestorum senum, Sed quid faciamus, Solus DEVS *hæc lenire potest, Qui nobis assiduis precibus orandus est, vt & has & alias miserias publicas atq; priuatas pro sua inexhausta bonitate & clementia mitiget Ecclesias, Rempub: nosq; tueatur atq; conseruet in Christo & per Christum redemtorem nostrum. Amen.*

IIII. Id: Februarij. Anno 1566.

D. Vitus Winsemius Senior.

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-62-quod/start.htm?image=00000364

RECTOR ACADEMIÆ VVITEBERGENSIS MICHAEL Teuber I. V. Doctor. atq; Professor.

ETSI scimus scholasticos pios ac modestos per se cogitare, quid sui sit officij, & quæ decent ordinem nostrum, studijs pietatis, sapientiæ, ac virtutum consecratum, facere sua sponte, Commonefactiones tamen de vitandis occasionibus peccatorum et periculorum repeti subinde oportet, & horum causa & aliorum, quos in Academia detinet non discendi cupiditas, sed amor licentiæ, quæ ferocibus & indomitis naturis grata est, Vt cum vsu compererimus, sæpè horum, vel exemplis vel consuetudine, vel persuasu, illos etiam natura alienos à feritate, corrumpi & in discrimen adduci, vtrisq; consulamus: ferocioribus ceu vincula & compedes iniijciendo interdictis publicis: Mitioribus auferendo ex oculis & è conspectu exempla licentiæ, & præcidendo occasiones degenerandi.

Redeunt dies Bacchanaliorum, qui apud Ethnicos & Pontificios fuerunt hominum aut simulantium furores, aut ebrietate, licentia quæ offerebatur summa, & diabolicis impulsibus vere insanientium. Non enim abesse diabolum ab

ab his suis ferijs existimetis. Sed si vnquam alias, in his adnigilat intentissime, vt occupet corda vacua Spiritu sancto, quem affectatio insaniæ studiosè suscepta excutit, & venenatis afflatibus incendat ac perturbet Spiritus cordis: Vt inflammatos & æstuantes impellant ex vno flagitio & scelere in aliud, & occasiones ipse obijcit, quibus capti atq; irriteti autores deinceps hærent in pœnis. Cum ergo multiplex impietas, multiplex & Ecclesiæ indigna deformitas, multiplex animæ & corporum periculum insit huic Ethnicæ & Pontificiæ consuetudini, seuerè prohibemus omnes Bacchantium ritus, prohibemus discursationes diurnas, & nocturnas personatorum, & apparatus conuiuiorum, quæ ad portentosas helluationes atq; compotationes instituuntur, Vnde omnis mali origo existit. Procul hæc abesse volumus ab eo cœtu, qui est pars minimè contemnenda & officina præcipua Spiritus sancti & Ecclesiæ filij Dei, Satis est furiarum, satis furiosorum conatuum ac molitionum vbique in Ecclesia & Imperijs, vt non sit opus ijs furijs, quas Poëtæ fingunt Erinnyas, quæ secundum Poëtæ versum tantum minantur & astant Laudantes, hominumq; dolent plus posse furores. Non sponte accersita insania augeatis confusiones publicas

publicas, nec decorum esse existimetis vel sola simulatione insaniæ induere personam & repræsentare gestus Bachantium. Nec contristato & ejecto Spiritu sancto velitis corda vestra patere afflatibus diabolicis. Modestia vos decet in omni vita, sermone, vestitu, incessu, gestu, & sobrietas, vt sitis idonei ad inuocationem, & maneatis templa Spiritus sancti, vt vestris ille halitibus sinceris ac puris suos misceat halitus, quibus locus non est, si stupeant vestri obruti ac pene oppressi mole halituum crudorum vino & crapula fœtentium, & ceu atra nube caligantium. Curam & exercitia inuocationis acuat in nobis magnitudo periculorum, quæ præ foribus sunt. Non contemnatis aut quotidianos atq; insolitos flatus ventorum, aut prodigiosas exundationes fluminum, quarum similes comperimus antecessisse pestilentiæ infectiones multis in locis hisce annis aliquot. Nec ostenta cœli, quæ visa sunt diuersis in regionibus, irrita fore arbitremini. Sed magis moueamini furoribus hominum, quibus & dilaceratur domi, & impetitur atque oppugnatur foris Ecclesia. Vna hac re occupantur nostri, vt sese mutuis vulneribus conficiant.

Interea Pontificium agmen totis viribus struit interitum puriori doctrinæ, vim & arma

arma experiundo, vbi hactenus nihil profecit atrocitate supplicionum. Nouis & cruentis admodum edictis commoueri Galliam & Belgium, & nouos exercitus comparari ad oppressionem aduersantium Pontificijs decretis, constans fama est.

Harum gentium periculis & difficultatibus afficiamur, & vt leniat est DEVS precemur, qui fortasse in similes coniecti difficultates, non omnes eadem constantia doctrinam, quam extra pericula animose admodum ac pene ambitiose iactitamus, essemus professuri. Die Dominica Sexagesima Anno 1566.

STVDIOSIS DOCTRINÆ ASTRONOMICÆ S. D.

SÆPE dicitur de Vtilitate doctrinæ Geometricæ, & meminisse possunt de hac re nostrarum etiam scholarum, ij qui studiosi sunt doctrinæ nostræ. Præcipuus tamen vsus Geometricæ est, vt seruiat explicationi & demonstrationi eorum, quæ in motu stellarum & sphærarum cœlestium oculis offeruntur, Quæ est doctrina Astronomica. Hæc enim vniuersa Geometricis fundamentis nititur, Neq; numeri &

& logistice prius inseruire ei possint, quam in figuras Geometricas redacta sint ea, quæ in motibus apparent. Sunt autem motus cœlestes duplices: Vnus ab ortu in occasum, qualis est Sphæræ eius quæ à græcis ἀπλανὴς appellatur. Alter contraria conuersione ab occasu in ortum fit, qualis est quinq; stellarum, quæ Planetæ sunt, & duorum luminum Solis & Lunæ, quæ φῶτα nominantur à græcis astronomis veteribus, non stellæ. Et quæsiuit causas Physicas Aristoteles quare & Zodiacum obliquum, & motus tales duplices, neq; vnam & simplicem cœli conuersionem esse oporteat, Atque inde causas vicissitudinis ortus atque interitus in natura deducit, de quibus aliorum scholæ in medio sunt. Quia autem motus hoc modo sunt duplices, doctrinam etiam de his Astronomicam bipartitam esse necesse est. Cumq; doctrina prioris motuum cœlestium generis in ordinaria & publica doctrina peculiariter singulis annis proponatur, Constituimus hoc tempore, alteram partem doctrinæ Astronomicæ, quæ est de Planetarum motibus, ad auditores nostros repetere, Eamq; ad rem vtemur libello Peurbachij cum noto indice Theoricarum: qui veterum & Ptolemaicas hypotheses retinet. In huius igitur libelli explicatione prio-

ne prioribus diebus hebdomados versabimur, posterioribus duobus pergemus in Euclide, & Quadripartito Ptolemæi, vt fundamenta Mathematum discant discipuli, præsertim cum vltra sextum hactenus in doctrina publica non sit progressum. Incipiam autem fauente Christo has operas nostras ad diem Martis hora consueta. 17. Februarij. Anno 1566.

Sebastianus Theodoricus VVinshemius.

DECANVS COLLEGII PHILOSOPHICI M. Iohannes Bugenhagius VViteber-gensis, Lectoribus. S. D.

SÆPE cogitanda & repetenda est dulcissima sententia Psalmi 20: Abscondas me Domine in tabernaculo ad altare tuum. In tantis enim vitæ confusionibus & diabolorum furoribus, mentes multorum anxiæ ac consternatæ disputant, an sit prouidentia, an incerto ac teme-

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-62-quod/start.htm?image=00000367

temerario casu ferantur omnia, an sit cœtus aliquis in genere humano curæ Deo, & non tantùm ad huius vitæ miserias conditus, sed ad æternam lætissimamq; cum Deo consuetudinem electus. His fluctibus dubitationum opponatur dictum Psalmi, quod perspicuè affirmat verè à Deo colligi æternam Ecclesiam voce doctrinæ, & seruari ac protegi eam inter imperiorum collisiones & ruinas, velut in seuissima tempestate iactatam cymbam: Petit etiam David se fieri & manere ciuem illius cœtus, ad quem vitæ æternæ hæreditas pertinet.

Cum autem hoc tempore vndiq; nos circumstent pericula omnis generis, quæ etsi leuia videntur adolescentiæ, de qua dictum est: νέα φρουτὶς ἀλγεῶν ὀυ φιλεῖ: tamen magnam ruinam secum κρὴ ἰλιάδα κακῶν trahent: Vtrumque nunc potissimum coniungamus: diligentiam in discendo curamq; fouendi & propagandi doctrinarum studia: Deinde verò ardentem precationem, vt Deus mentes & pectora nostra gubernet, & nos sibi templa faciat, sua luce nos doceat filius Dei λόγος, & accendat Spiritu sancto in nobis motus ipsi placentes. Firmissima etiam assensione statuamus, & esse aliquam Dei Ecclesiam, & quidem hanc ipsam, in qua sine corruptelis lucet sincera

sincera vox Euangelij, & nos in eam includamus, & tanquàm ad aram in periculis confugiamus. Nec periculorum magnitudine aut Diaboli insidijs deterriti velut ignaui milites abiecto clypeo ex acie fugiamus, nec abstrahamur à cura discendi & retinendi Euangelij, sed modestè officium faciamus, Deoq; in hac togata militia discendo ac propagando literas Ecclesiæ ac communi vitæ necessarias fideliter seruiamus. Quod cùm freti auxilio & protectione diuina fecerimus, illud experiemur, studia nostra, & nobis & Ecclesiæ fore salutaria, & hanc militiam nostram Deo gratam esse, ab eo iuuari & defendi contra Diabolorum, Tyrannorum, & Sycophantarum furores. Pertinent autem ad hoc summum munus costodiendæ cœlestis doctrinæ etiam hæc nostra exercitia scholastica, quibus auditorum iudicia & profectus exploramus, & testimonia eruditionis publicè tribuimus. Cumq; nunc de more aliqui à nobis priuatim auditi sint, qui gradum Magisterij petituri sunt: hoc biduo ijsdem publicum examen aperimus. Hortamur autem viros doctissimos, Magistros & Doctores, vt hodie hora prima in auditorio Medicorum frequentes conueniant, et studia, eruditionem moresq; Candidatorũ placidè amanterq; explorent,

ac de præcipuis maximeq; neceſſarijs partibus doctrinarum opiniones eruditas conferant. Hoc officium ipſorum & Eccleſiæ ac Reipub. neceſſarium eſſe intelligant: quod & nobis eſt gratiſſimum futurum. Benè valete. Propoſitum VVitebergæ vlt: Februarij. Anno 1566.

IN PRÆLECTIONEM Libri, de terræ dimenſione.

DE Vlyſſe inquit Homerus: πολλῶν δ' ἀνθρώπων ἴδεν ἄστεα, κῴλυσόν ἔγνω. *Et Philoſophicam vitam Heraclitus ſic deſcripſit:* πολλὰ πλανηθῆναι διξήμενον ἔσθλὸν. *Etſi verò non omnibus contingit adire Corinthum, & ſtudiorum ac diſciplinæ cauſa exteras regiones perluſtrare, quod alium aliæ difficultates in patria detineant: tamen ex libris atq; ſcriptis ſapientiſſimorum hominũ petere nos & haurire neceſſariam vitæ communi doctrinam, & mundi totius, omniumq; eius partium ſeu regionũ deſcriptionem, decet. Verùm, ad eam ipſam rectè intelligendam, plurimum ſanè momenti habet Geographiæ cognitio, & locorũ ſingulorũ conſideratio, atq; interualli numeratio. Hac enim luce atq; ſubſidio qui deſtituuntur, eos in hiſtoriarum lectione*

multũ falli, planeq; infœliciter verſari, neceſſe eſt. Deinde verò, & per ſe iucundum eſt, animo complecti atq; intueri orbis habitati regiones præcipuas, & locorum ſitum & interualla metiri ac dijudicare: Deniq; & mores ſingularum gentium, ſtudia atq; opiniones, quæ cœli regionibus multum variant, conſiderare, interq; ſe conferre. Cùm igitur ſæpè antehac de pictura circulorum cœleſtium, de climatum differentijs & accidentibus dictum ſit: volumus ea ad terræ globum poſthac accommodare, eius ambitum & magnitudinem, locorumq; ſingulorum diſtantias numeris inueſtigare: ex quibus fundamentis picturæ orbis terrarum, & tabulæ χωρογραφικαὶ *conficiuntur. Ea cùm eruditè, ſummaq; perſpicuitate tradita ſint in libello D. D. Caſp. Peuceri, V. Cl. quem de terræ dimenſione inſcripſit: iuſſus ſum eum explicare diſcentibus, & ante mercatum Lipſicum abſoluere, vt redire nobis ad Sphæricam prælectionem maturè liceat. Interim, vt filius Dei Eccleſiæ cuſtos* κύριος σωτὴρ *pacem nobis & Halcyonia ſtudijs ſalutaria concedat, noſq; clementer ſeruet, doceat & regat, toto pectore oro. Enarrationem libelli ordiar die* δ. θεοῦ θέλοντος, *2. Martij, 1566.*

B. Schonbornius.

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-62-quod/start.htm?image=00000369

DECANVS COLLEGII PHILOSOPHICI MAGISTER Iohannes Bugenhagen, Lectoribus S. D.

HOc die scribitur absolutum iam & perfectum templum Ierosolymitanum post reditũ ab exilio Babylonico, magna celebritate sacrificiorum, & lætitia publica dedicatum esse à populo Iudaico, cùm quidem ædificatio eius annos totos 16. à proximis gentibus in Samaria & præfectis Persicis per aulicas calumnias impedita fuisset. Ac commonefacit nos hæc imago veræ Ecclesiæ & laborum eius de multis magnis rebus, quarum consideratio & mœsticiam horum temporum leniat, & exuscitet in nobis fidem ac spem diuinæ protectionis. Etsi enim tunc dederat Deus illi ætati Monarcham excellentem sapientia, virtute, potentia & bonitate, Artaxerxem Longimanum, quo non videtur in genere humano alius fuisse erga Ecclesiam munificentior, & adiuncti ei fuerunt Consiliarij sapientes & fælices: Esdras, Nebemias, Haggeus & Zacharias: tamen duriter quassatum Dei populum & diuturni exilij calamitatibus penè fractum, & vicinorum hostium infensissimorum odijs exercitatum esse narra-

narrationes in Esdra testantur. Fuitq; omnino difficilimum dissipatas familias iterum colligere, & inermes per tot inimicos ducere, & inter hostes vicinos rursus extruere vrbem ac templum, & collapsam Politiã instaurare, cùm plærique ex longo exilio reuersi & legem & patrios mores obliti essent, nec sine maximis difficultatibus bello vastata regione & desolata tot annis, œconomias instaurare. In his miserijs & periculis Deus tamen mirabiliter ac præter opinionem omnium vexit ac seruauit Ecclesiam, sicut in hac ipsa restitutione consolatur Zachariam Prophetam, anxium de defensione multitudinis imbecillis atq; inermis, cùm nondum receptus suos, tecta, muros ac præsidia haberent, inquiens: Asq; muro habitabitur Ierusalem. Ego ero murus igneus in circuitu eorum. Qui tetigerit vos, tanget pupillam oculi mei, & cognoscetis, quia ego Dominus exercituum. Vt ergò tunc in maximis periculis seruauit Deus Ecclesiam inter acerba hostium odia & ærumnas multiplices, ac deinceps quoq; vsq; ad Ochi tempora mediocrem pacem & Halcyonia ei concesit: Ita consolemur nos quoq; veteri illo exemplo instaurationis Ierosolymæ, nec dubitemus, Deum nunc quoq; inter fluctus sæuissimos imperiorum, & rabiem Dia-

Voli atq; impiorum collecturum sibi Ecclesiam & conseruaturum iuxta promissiones certas et veras, etiamsi inopinatis & varijs terroribus ac difficultatibus, exerceamur, & undiq; obijciantur nobis impedimenta, domi & foris, nec nostris coniecturis euentus respondeant. Sciamus etiam velle Deum voce doctrinæ suæ in ministerio sonante colligere sibi æternam hæreditatem in genere humano, & ad hoc summum munus docendi in Ecclesia non admittit, nisi pietate, eruditione ac multiplici doctrina exultos. Quamobrem & scholas Deus Ecclesijs adiunctas esse voluit, in quibus ingenia necessarijs artibus ad cœlestis verbi explicationem & propagationem, instruantur ac præparentur.

Cùm autem hisce diebus publicè priuatim q; explorauerimus quorundam ex auditoribus nostris, studia, eos q; deprehenderimus laudabiles in Philosophia & linguarum optimarum q; artium ac cœlestis doctrinæ cognitione, progressus fecisse, decreuit Collegium nostrum, quod fœlix & faustum sit, & salutare Ecclesiæ ac Reipublicæ, decernere ipsis ad proximum diem ♂, titulum & gradum Magisterij Philosophici. Eam renunciationem cùm deceat publicam esse in congressibus bonorum & doctorum

ctorum virorum: Petimus amanter, vt ad eam non grauatim conueniant Magistri & Doctores ac Scholastici vniuersi, hacq; sua præsentia testentur se studia veræ doctrinæ & honesta exercitia Scholastica magnifacere, & voluntatem habere tuendæ ac fouendæ honestæ coniunctionis.

Precentur etiam nobiscum filium Dei λόγον Dominum nostrum IESVM CHRISTVM crucifixum pro nobis & resuscitatum, custodem Ecclesiæ suæ & conseruatorem veræ doctrinæ, vt semper nos gubernet, doceat, protegat & efficiat, vt vnum in ipso simus. Die 3. Martij, 1566.

ARTIS MEDICÆ STVDIOSIS S. D.

POSTQVAM intellexi Studiosis Medicinæ ante hoc tempus fuisse gratam exhibitionem simplicium, quæ in Theriacæ compositionem ingrediuntur, antequam illa commiscerentur, Nolui illis nunc quoq; hoc qualicunque meo officio deesse, cum mediante Dei auxilio ambas compositiones Iunioris scilicet Andromachi & Mithridati regis conficere decreue-

vim,& quia alias hunc meum laborem Præceptorum meorum iudicio & præsentiæ submisi, omnibus etiam medicinæ Studiosis, quibus gratum est hoc officium, simplicia dictarum compositionum, quæ sequentibus diebus Iouis & Veneris, in mea officina erunt exposita, inspiciendi & dijudicandi licentiam tribuo,& ijsdem in his etiã officijs meam promptitudinem promitto. Die 5. Martij Anno 1566.

Caspar Pfreundt Pharmacopæus.

RECTOR ET SENATVS ACADEMIÆ VVITEBERGENSIS.

IVSTIS præconijs celebratur in Græcorum historia, Spartani cuiusdam factum, qui cùm in acie stricto iam gladio confossurus esset hostem,& fortè caneretur receptui, oblatam occasionem & sibi gloriosam omittens, à feriendo abstinuit. Hic cùm interrogaretur ab aliquo, cur hostem, quem in potestate habebat, non occidisset. Respondit, quia melius est parere Imperatori, quàm hostem occidere. Ac in Thucydidæis orationibus & concionibus, primarij Duces &

ces & Reges, obedientiam promptam erga Imperatores, præcipuum ornamentum in militibus celebrant. Nam sapientes Ethnici,& virtutum cultores, omnibus triumphis, victorijs, imò propriæ vtilitati ac dignitati, præferunt obedientiam, quæ legibus præstatur & Magistratui, ideoq; Herodotus furentes pronunciat, quà legum derisione delectantur. Hæc si considerarent, & diligenti meditatione expenderent ij, qui ad hanc Academiam tanquam ad officinam virtutum,& omnis honestatis palestram à parentibus missi sunt, nõ adferretur nobis necessitas, toties edictis publicis conquerendi, de exquisita quorundam malicia & petulantia, qua eousq; aliqui progrediuntur, vt non tantùm ad virtutis amorẽ se nõ assuefaciant, sed omni humanitate exuta, leges contemnant, edicta Magistratus ludibrio habeant, ac vt breuibus dicamus, aliqui pro Studiosis ac literarum cultoribus, beluæ quædam immanes ac feræ forma hominum indutæ, existant. Sed si honestis adhortationibus, si nostra paterna commonefactione, iræ diuinæ denunciatione ac pœnis, quas in nostra iurisdictione vsurpamus, contumaces ac ferocientes, & omnis legis ac honestatis reuerentiam contemnentes, cohercere ac reprimere non possumus, dabitur à nobis opera, vt auxilio

& ope illustrißimi Principis Ducis Saxoniæ AVGVSTI electoris Domini nostri clementißimi, hæ pestes ac furiæ exterminari posßint, & confidimus huius oppidi magistratum suo officio non defuturum esse. Cùm autem nostri officij sit, præstare ea, quæ ad disciplinam conseruandam pertinent, publicè significandum duximus, quod ante paucos dies N. N. N. Iohanni N. Gubbinênsi, à tergo vulnus dextro pedi, fraudulenter inflixerit, eumq; nunc claudicare fecerit, cùm paulò antè inter illos exorta esset contentio, quæ intra priuatos parietes sopita & sublata erat. Huius sceleris conuictus, re audita & cognita, iudicio senatus Academiæ condemnatus fuit, ad soluendam mercedem chirurgicam, & vt vulnerato pro vt leges & iura requirunt, pro damno illato satisfaceret. Hanc sententiam lenißimam & æquitati conuenientem detrectauit, & vt nunc consueuerunt malitiosi aliqui, nec legum aut Magistratus autoritatem considerantes, iniustam esse, impudenter adfirmauit. Iußimus igitur eum ingredi carcerem, quod & data fide promisit, postea verò spreta hac promißione, & fidei immemor, periurij ac nefariæ turpitudinis notam sibijpsi inurens, hinc incredibili contumacia aufugit. Quare vt exemplum in iuuenem malitia & perfidia

perfidia contaminatum, ac legum & magistratus authoritatem detrectantem statuatur, hunc N. N. publicè vocamus, ac peremptoriè citamus, vt sese nobis sistat XXIX. Martij hora XII. in loco consiliorum publicorum, vt sententiam iustißimam audiat, quam Academiæ senatus de eius pœna pronunciabit. Sciunt & ij, qui legibus nostris tenentur, præcipuum Iurisdictionis nervum esse vadimonij fidem, & periuros ac infames esse, qui ARESTO, vt vulgò nominant, non obtemperant. Quare cùm N. N. N. retentus mandato nostro, seu aresto, contra voluntatem magistratus hinc discesserit, simul hunc N. peremptoriè citamus, vt & ipse die XXIX. Martij, in Collegio Iurisconsultorum adsit, creditoribus suis respondeat, & nostram quoq; sententiam expectet & audiat: Quod si non comparuerit, fiet id quod leges nostræ statuunt. P. P. X. Martij Anno 1566.

RECTOR ACADEMIÆ VVITEBERGENSIS MIchaël Teuber I. V. Doctor & Professor.

Vere

VERE nunc illud tempus est, de quo in Esaia dicitur, Angeli pacis amare flebunt. Nam in hac tristi confusione orbis terrarum & bonarum rerum omnium dissipatione atq; interitu, & Reipublicæ & Ecclesiæ dolores experimur valdè atroces & sæuos esse, sicut & in Osea scriptum est: Dolores parturientium venturos esse Ecclesiæ. Nec dubium est vniuersam Rempublicam & Ecclesiam expositam esse omnibus casibus subitorum & ingentium malorum, quorum alia alibi eueniunt. Pannonia à Turcis vastatur, quorum bella crescunt & procedunt. Italiam & Hispaniam sua vrgent fata, vbi stabiliuntur sanguine scriptis decretis errores blasphemi in Deum. Gallia propter easdem causas domesticis ardet dissensionibus In Germania verò luem & famem partim sentimus, partim metuimus, quibus magnis detrimentis, si accesserit summum malorũ bellum, & rabies dissensionum ciuilium, quas apparatus in multis locis significant, verè sequetur omnium malorum ilias. Quare huius temporis & fati Ecclesiæ vim consideremus, ac serio & assiduis gemitibus precemur Deum, vt in ira misericordiæ recordetur, & propter filium suum seruet in tantis malis generis humani suam Ecclesiam, & per filium suum nos gestet in ea,

in ea, sicut in gremio pastor gestat agnos recens in campo editos. Vt autem harum rerum petitio sit ardentior, præstetur in vita ac moribus modestia ac pietas, & excitentur animi ad veram vitæ conuersionem, iuxta vocem Dei, Conuertimini ad me & ego conuertar ad vos. Cumq; hoc tristi tempore Illustrissimus Princeps dux Saxoniæ Elector, discedens ex his locis ad grauissimas deliberationes conuentus Augustani, securitatis causa necessario præsidio introducto, munierit hoc oppidũ, mandamus paterno animo & de inclyti Patris patriæ, Domini nostri clementissimi, & de Senatus Academiæ nostræ sententia, sub pœna, quam secundum Leges nostras contumacibus possumus irrogare maximam, vt Scholastici modis omnibus caueant, ne quos militum, vel armis, vel conuicijs, vel clamoribus, vel quocunq; genere iniuriarũ quocunq; tempore lacessant, aut ad pugnas prouocent, aut lacessiti etiam fortè ipsi, vindictæ cupidi, dimicent. Sed hoc præsertim tempore omittentes conuiuia, & helluationes, tranquillius & modestius viuant, Ac præcipuè vespertinas discursationes & nocturnos tumultus, cùm dispositæ & in suas stationes collocatæ sunt excubiæ, vitent, & domum sese conferant cum Lychnis maturè, nec in foro, aut plateis

plateis passim vagentur aut agminatim oberrent. Idq; vt per sese etiã & libentius faciant, moueantur & propria salute, & publica tranquillitate, quarum rerum si quis censet non habendam esse rationem, in eo nimis magnus stupor est, & duricies caucasi scopulis horridior. Ac ferociores vel cupidi, vel non vitantes occasiones digladiationum & pugnarum sint memores præcepti diuini NON OCCIDES, *& terreantur grauissima voce filij Dei dicentis: Qui gladium acceperit, gladio peribit. Neq; verò militibus impunè erit, peccare aut delinquere in nostrum ordinem, sed promulgata sunt ea de re apud ipsos quoq; decreta seueriora, quorum executores seueri erunt, disciplinæ militaris præfecti & custodes, virtmq; igitur æquum est, seruari æqualitatem. Deinde & hoc autoritate publica & serio præcipimus omnibus Academiæ nostræ ciuibus, ne quisquam deinceps, vnquàm ad se recipiat aut occultet vllum vel relegatum aut exclusum ab Academia vel iussum ab Illustrissimo Principe nostro elector ex Academia discedere. Talem enim receptorem vel occultatorem simili pœnâ afficere in posterum senatus Academiæ planè decreuit. Interest enim omnino Reipub. & tranquillitatis communis crimina à Magistratibus huiusmodi exem-*

plis publicis puniri, quibus cæteri commonefacti à similibus sceleribus abhorreant ac deterreantur. Ac seueritate pœnarum deinceps Deo iuuante ostendemus, nobis non defuisse publicæ tranquillitatis & disciplinæ ac virtutis conseruandæ studium, vt sit aliquis cœtus inter nos, qui legum honestarum vocem audiat, errantes cupiditates reprimat, & vitam ac mores suos Deo & hominibus piè probet.

Te igitur fili Dei, qui es perpetuus custos Ecclesiæ tuæ, toto pectore oramus, vt sis in medio nostri et depulsis Diabolis multos in nostro agmine flectas ad obedientiam & amorem erga te, & erga tuas leges, Auerte à nostris nidulis, in quibus sonat vox Euangelij de tuis beneficijs, barbaricas vastationes & contagia periculosæ luis dissipantis Scholas & honestos congressus vitæ, & iuua, vt tibi inserti inter horribiles fluctus mundi pereuntis propter peccatum, perpetuò à te habeamuus defensionem. PP. die 10. Martij, Anno 1566.

LECTORI S.

INTER ea, quæ in differendi arte, à pluribus accuratè disputantur, primas tenere iudico locorum doctrinam, quæ nobis viam præscribit

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-62-quod/start.htm?image=00000375

ſcribit ac monſtrat inquirendi probationes, quibus propoſitionum confirmationes & refutationes nituntur. Cùm enim nulla res per ſe ipſa probari poſsit, medio opus eſt, ſeu ratione & cauſa, quæ oſtendat, cur prædicatum de ſubiecto dicatur in concluſione, & cum eo probabiliter cohærere videatur, & cur ſæpè prædicatũ à ſubiecto ſit alienum, & remoueatur. Hanc cauſam conſtat totius ratiocinationis eſſe fundamentum, quod ſi non fuerit fideliter iactum, tota argumentationis ſtructura concidet & corruet. Ideoq; teſte Cicerone argumentum dicitur, quod ſit probabile inuentum, ad faciendam fidem dubiæ propoſitioni. Multum igitur operæ ac ſtudij conferendum erit in hanc partem doctrinæ, quæ rationem inueſtigandi & inquirendi argumenta præſcribit, quæ niſi plurimum vtilitatis ſuppeditaret omni ſtudiorum generi, non in ea explicanda & tradenda viri ſapientiæ & eruditionis laude celebres, omni ætate totis viribus elaboraſſent. Intellexerunt enim ſtudiorum præſides, neminem rectè alios docere poſſe, niſi qui certis argumentis fidem rebus propoſitis facere conetur, quæ cùm non ſemper obuia ſint, locos quoſdam deſcripſerunt argumentorum, è quibus tanquam ſedibus & theſauris erui poſsint ea, quæ rebus in diſputationem

tionem cadentibus, ſubſeruiunt. Hoc conſilio princeps Philoſophorum Ariſtoteles octo libros Topicorum conſcripſit, in quibus eruditè diſputat de ijs, quæ locorum doctrinam concernunt, ſed prius informandi ſunt diſcentes in ſimpliciſſima eius doctrinæ declaratione, antequam ad huius autoris lectionem accedant, cùm horum librorum materiam anguſtis terminis incluſerit. Secuti ſunt Ariſtotelem & alij, qui in eodem doctrinarum genere deſudarunt, inter quos Cicero præcipuus iudicatur, qui locos aliquot enumerauit, in libro quem ad Q. fratrem de Oratore ſcripſit, & de ijſdem in partitionibus ad filium, diſputationem inſtituit. In Libro autem ad C. Trebatium copioſius omnia perſequutus eſt, cùm huic vni fuerit intentus, vt Trebatio ſummam librorum Ariſtotelicorum quod ad Topica, declararet. Attigit, & Quintilianus in quinto inſtitutionum libro hanc ipſam locorum doctrinam, quam deinceps tractarunt Themiſtius, Boëtius & Rodolphus Agricola. Sed non eſt meæ ætatis, neq; iudicij de tantis viris pronunciare, quis horum rectius doctrinam locorum tradiderit. Tantùm ſciant ſtudioſi me bono conſilio veræ eruditionis cupidis, locorum, doctrinã explicaturum, vt auditoribus vſum eorum demonſtrem in diſputationi-

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-62-quod/start.htm?image=00000376

bus rerum maximarum, quare & loci sint inuenti, & quomodo ex singulis vera argumenta in confirmatione & refutatione cuiusq; causæ sint sumenda. Delegi autem hoc tempore explicationem Topicorum Ciceronis, qui multa vtiliter de his monet. Etsi autem Cicero in Topicorum explicatione, cùm ad C. Trebatium Iurisconsultum scribat, singulis locis exempla ex doctrina Iuris desumpta addat, quibus vsus locorum declaratur: tamen ne tantùm prouectioris ætatis Studiosis, sed & iunioribus inseruiam, quæstiones & disputationes singulis locis adiungam ex Philosophicis & Theologicis materijs, quarum explicationem auditoribus non ingratam fore, confido. Ordiar autem huius doctrinæ explicationem, Deo volente, crastino die hora septima, loco consueto. P. P. 17. Martij. Anno 1566.

Albertus Lemeiger Hamb.

RECTOR ACADMIÆ VVITEBERGENSIS MICHAEL Teuber I. V. Doctor.

PINGENDI artificium omnibus ætatibus fuisse in admiratione testantur historiæ, non solum quod naturæ imitatio mirificam voluptatem spectantibus præbeat & hominum, animantium

tium & plantarum simulacra accendant in bonis mentibus de Deo Opifice, & virtutum exemplis cogitationem: Verum etiam quia liberalium artium professioni maximè id cognatum est, & ingenio potissimum elaboratur, & à mathematis multa de corporum Symmetria, & proportione mutuatur, Adde quod historiarum omnis generis non ignarum esse & naturam rerũ perspectam habere oporteat eum, qui, quæ animo concipiuntur, ea ob oculos intuentium ponere conetur. Ac fuit quidem apud Græcos & Romanos in tanta laude & honore pictura, vt edicto cautũ fuerit, ne seruis eam artem discere liceret, quæ ingenuis solùm & liberalibus ingenijs esset dignissima. Referuntur de pictis tabulis precia penè incredibilia: & Rhodum legimus non incensam à Demetrio rege, ob id potissimum fuisse, ne PROTOGENIS *tabula periret. In ea igitur arte non contemnendam operam posuit, honestus iuuenis,* MARCVS ZIGLER *Ingolstadiensis, qui in patriæ Academia elementa artium honestarum & linguæ latinæ percepit, inde ad nos studiorum causa commigrauit. Sed inopia eum ab instituto ad aliud vitæ genus à priore non omnino diuersum, aut illo indignum auocauit. Traditus enim & commendatus viro ornatissimo* LVCÆ

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-62-quod/start.htm?image=00000377

CRANACH, huius oppidi Consuli vigilantißimo, & artifici in eo genere facile hoc nostro seculo Principi, ibi vltra triennium & inseruijt ei fideliter, & ad imitationem se præceptoris sui laudabiliter adsuefecit: Moribus honestißimis & vitâ castus fuit & timens Deum, quem quidem cùm alias, tùm hoc morbi difficilis tempore adsiduè in agnitione filij Dei Mediatoris inuocabat, seq; pia verbi meditatione, & præcipuarum sententiarum recitatione ad postremum hoc iter suum præparabat & confirmabat: quo superato Deum in omnem æternitatem coràm visurus esset & celebraturus, quẽ neq; mens humana in hac imbecillitate capere, nedum pingendo manus exprimere possit. Decessit verò immatura ætate in ardente inuocatione filij Dei hesterno die, cùm iam diuturno morbo lentaq; phtisi absumptæ vires essent, Ac fiet ei iam funus hora tertia pomeridiana. Cumq; honestæ vitæ testimonium ei familia laudatißima, in qua vixit, dederit, & piè ex hac vita placideq; emigrarit, non dubitamus ad eum pertinere promißionem dulcißimã hæreditatis vitæ æternæ, de qua filius Dei inquit in hesterna concione: Si quis sermonem meum seruauerit, non videbit mortem in æternum. Itaq; hortamur Scholasticos vniuersos, vt ad dedu-

deductionem funeris ante ædes viri integerrimi Lucæ Cranach frequentes conueniant, hocq; officio cùm suum erga defunctum, qui eruditione mediocri, ac linguæ latinæ cognitione instructus, ordini nostro & pictorum disciplinæ adiunctus fuit: studium declarent: tùm optimi viri nobisq; multis officijs coniuncti luctu domestico se adfici testentur. Die Calend. Aprilis, Anno 1566.

RECTOR ACADEMIÆ VVITEBERGENSIS MICHAEL Teuber I. V. Doctor & Professor.

NON dubitamus eas machinas, quibus de cannis æneis & ferreis igniti globi emittuntur, non minore impetu, quàm cùm nubium conflictu ardor se emittit, quæ vt inuentum nouum nomine etiam nouo, & à sono, Bombardæ, sclopeta & sclopi appellari solent, has machinas non dubitamus pronunciare de extremo furore mundi partem vnam esse præcipuam, neq; futurum credimus, vt humana curiositas aut calliditas ante finem mundi reperiat aut excogitet aliquid nocentius, tetrius, & immanius. Infamant narrationes veteres regem quendã Elidis

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-62-quod/start.htm?image=00000378

Salmonea, qui vt pro Deo haberetur, flammas Iouis & sonitus imitatus olympi est, vt Maro canit, inuectus quadrigis curru ærato, & interdum per Pontem æneum sublimem, vt strepitus maior fieret, & facẽ manu tenens, qua quos obuios percussisset, statim curauit interfici, vt hoc modo et tonitrui sonus, & fulminis ictus repræsentaretur. Canit autem hoc etiam Maro, quod propter hoc facinus Iupiter eum ad Tartara fulmine præcipitemq; immani turbine adegerit. Legitur idem feciſſe Sophis Ægyptius, sed hæc in stultis regibus superbiæ elatio, atq; immanitas est, & paucis nocuit, & imitatio fuit per se ridicula, Qui verò bombardas & sclopeta primus excogitauit atq; vsurpauit, is, vt Virgilius existimauit, non imitabile fulmen nimis feliciter imitatus est, & in omni posteritate virtuti & fortitudini hoc inuento suo quasi neruos incidit, & campum ei præclusit, & furiosam ignauiam in vitam introduxit, quæ fuerunt, sunt, & erunt deinceps malorum causa ingentium.

Hæc considerantes ij, qui in pietatis literarum & doctrinæ studijs versantur atque educantur, relinquere harũ machinarum vsum, & tractationem ijs temporibus locis & hominibus debebant, quibus misera & tristis necessitas præ-

tas præsentis seculi hæc permittit aut tribuit, et in remissione animorum quærere & vsurpare delectationes consentaneas studijs ijs, quæ profitentur. De quo sæpè iam publicè & priuatim admoniti sunt Scholastici nostri, & sunt edicta ab Illustrissimo Principe nostro, & à Rectoribus ante nos, ab annis iam aliquot, proposita, quibus omni vsu harum machinarum intra & extra oppidum omnibus interdicitur, quæ omnia tantùm proficiunt apud nostros, vt comperiamus quotidiè has à Scholasticis cum ipsorum & aliorum, qui iam in hortis opus faciunt, periculo præsente, ante oppidum exportari atq; vsurpari, atq; hoc etiam tempore, quo paterno respectu, & solicitudine de suorum vita & fortunis, Illustrissimus Princeps præsidium in oppidum collocauit, quod horum armorum tractatio atq; vsurpatio solum decet, atq; alijs si idem permittatur & conturbari excubias, & irritari necesse est. Quia igitur hactenus & edicendo & monendo nihil apud nostros hac in parte obtinetur, non possumus aliter, quàm vt contumax hoc & proteruum genus, & contemnens tàm Principis nostri, quàm Magistratus Scholastici sui, autoritatem, hoc igitur genus, vt ijs permittamus, quorum opera sit aliquantò efficacior, Et significamus igitur publicè, & scire

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-62-quod/start.htm?image=00000379

Scholasticos & subiectos Iurisdictioni nostræ cæteros vniuersos volumus, Illustriß: Principis nostri præsidiarijs hanc copiam factam esse, & mandata hos habere, vt portis exeuntibus omnibus, qui Sclopos manifestè secum efferunt, quibus ante oppidum vtantur, hos eripiant, & de quibus suspicio est, quòd sub veste occultatos gestent, eos vt excutiant, etiam in agro ante oppidum, erunt, qui iaculatoribus talibus arma hæc intercipiant. Quod si verò aliquis eorum, qui boni publici causa inquisitionem, & direptionem talem vsurpabunt, vim & manus in perniciem suam irritauerit, ijs in præsentia omnem curam, respectum, opem defensionem, vindicationem nostram præcidimus, & hoc prædicimus, nos non aliter, quàm si proscripti à nobis, neq; amplius membra essent communitatis Scholasticæ, tales habituros esse, Nam quo modo alio quieti, & saluti publicæ, & priuatæ nostrorum consuli possit, non reperimus. Hæc igitur & scire, & cauere omnes volumus.

P. P. VII. Idus Aprilis, Anno 1566.

GEORGIVS MAIOR
pio Lectori salutem.

CERTVM est, Deum singulari consilio instituisse

stituisse certis temporibus dies festos, vt in frequenti populi conuentu memoria beneficiorum eius conseruaretur, & illi agerentur gratiæ, sicut testatur Propheta, cùm inquit: Memoriam fecit mirabilium suorum misericors & miserator Dominus, escam dedit timentibus se, Id est, instituit esum agni Paschalis, qui Typus Christi fuit ad conseruandam memoriam liberationis ex Ægypto. Etsi autem cultus noui Testamenti non sint ad certa tempora alligati, tamen liberrima voluntate Ecclesia plerosq; dies festos, qui in veteri testamento diuinitus instituti fuerunt, ad celebrationem nominis diuini, ad precationem, & ad gratiarum actionem retinuit, & hoc quidem tempore, quo pro peccatis nostris delendis filius Dei æterno patri obedientiam præstitit vsq; ad mortem, mortem autem crucis, summi beneficij liberationis à peccato, & morte memoriam tota Ecclesia Angelorum & hominum celebrat, & pro hoc gratias agit. Vt igitur & nos nostra vota cum Ecclesia coniungamus, per hoc biduum Epiphonema Pauli, quo doctrinam de iustificatione hominis in tertio & quarto capite traditã concludit & simul breuiter efficaciam & fructum mortis & resurrectionis Domini nostri Iesu Christi complectitur, enarrabimus. Vbi inquit: Qui traditus

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-62-quod/start.htm?image=00000380

ditus fuit propter peccata nostra, & excitatus est, propter iustificationem nostri. Nam eò vsq; enarrationem Epistolæ ad Romanos deduximus, quasi dicat Paulus de iustificatione hominis disputans, Non habet Abraham pater credentium, & saluandorum, non habent vlli homines, quantalibet, vt Augustinus inquit, fœcunditate iustitiæ præpolleant, quod iudicio & iræ diuinæ, si iniquitates obseruare velit Dominus, vt inquit Propheta, aut opponant, aut in quo consistant, & iudicium diuinum sustinere queant, nisi hanc vnicam verè sacram anchoram, quod Filius Dei traditus est propter peccata nostra, & excitatus est propter iustificationem nostri. In hoc totius fidei nostræ certitudo, & hæc summa & firmissima consolatio est mors filij Dei delens peccata, & iram Dei placans. Deinde eius resurrectio iustitiam & vitam æternam nobis restituens, de quibus hoc biduo nobis dicendum erit. Cùm autem tota historia passionis & resurrectionis Domini nostri Iesu Christi sit commonefactio de pœnitentia agenda, Hortamur auditores nostros, vt vero gemitu, & corde omnes doleamus, nos nostris peccatis offendisse Deum, & quidem adeò, vt necesse fuerit, filium Dei pro ijs tollendis tradi, & confugiamus fide & inuocatione ad immen-

immensam misericordiã Dei, remissionem, propter hunc pro nobis traditum, petentes simul & gratias agentes, quod proprio filio non pepercit Deus, sed pro nobis omnibus tradidit illum. Postremo ambulemus & in nouitate vitæ, quemadmodum excitatus est Christus ex mortuis per gloriam patris, Sic enim participes erimus resurrectionis CHRISTI, & eius vim & potentiam in nobis sentiemus, vbi vna cum CHRISTO resurrexerimus superna quærentes, vbi CHRISTVS est ad dexteram Dei sedens.

Die 11. Aprilis Anno 1566.

RECTOR ACADEMIÆ VVITEBERGENSIS MIchaël Teuber I.V. Doctor & Professor.

EDVCTIO populi ex Ægypto, à qua festo huic Paschatos appellatio tribuitur, & plurimis de causis hoc tempore cogitanda est, Non solùm testimonium est, ostendens certò Ecclesiam æternam in genere humano à Deo colli-

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-62-quod/start.htm?image=00000381

colligi & ſeruari, Sed prorſus etiam diuinæ in hac & in toto genere humano gubernationis imago eſt, Incedit Deus per vniuerſam Ægyptum, & interficit primogenita, Parcit verò ijs, quorum limina ſanguine agni conſperſa ſunt: Ita per totũ genus humanũ incedit Deus omnibus temporibus, multis exemplis oſtendens irã, & puniens atq; abijciens maximam et nobiliſſimam generis humani partẽ, Et tamen excerpens ſimul & ſeruans Eccleſiam ex eo hominũ cœtu, qui ſanguine agni, hoc eſt, filij Dei conſperſus eſt, & vocem Euangelij de hoc filio incorruptam amplectitur & profitetur. Significata hæc eſſe, & tanquam in imagine myſtica procul oſtenſa, euentus teſtantur, & ſeries hiſtoriarũ in Imperijs, quibus interiecta Eccleſia omnibus temporibus, & quaſſata eſt duriter, & tamen ſeruata, & liberata tandem diuinitus, non aliter quàm interfectis in Ægypto primogenitis, & poſtea in mari rubro vniuerſo Pharaonis exercitu ſubmerſo, populus Iſrael inter ſcopulos, & vndas maris ad montium inſtar accumulatus, ſeruatus, & traductus eſt incolumis.

Cùm in Ionia Cyrus deletis omnibus penè vrbibus horribilem vaſtitatem fecit, ſimul in mare demerſa ſunt multa hominum milia, pauci ſuperſtites in alijs regionibus ſedes quæ-

ſiuerunt, Interea fuit Eccleſia in populo Iſrael, quæ inter ruinas Imperij florentiſſimi ſeruata eſt mirabiliter. Sic poſtea cùm ſecuta ſunt in genere humano horribilia bella plurimarũ gentium, quæ toto orbe terrarũ vagatæ ſunt Alexandri, Romanorũ, Iulij, Saracenorum, Gotthorum Vandalorũ, Hunnorum, et aliarũ, quantæ & generis humani mutationes, & vaſtationes factæ ſunt? Nec tamẽ prorſus eſt extincta, aut deleta Eccleſia, ſed ſeruata eſt illa, & ſeruatur etiamnũ inter has quaſi procellas, ac tempeſtates Imperiorum, verè vt in mari rubro, & ſola, vt in Eſaia ſcriptum eſt, omnipotente dextera Dei, vt plantet cœlos.

In Aſia, Græcia, & alijs florentiſſimis generis humani regnis, quantã fecit vaſtitatẽ Turcica immanitas? Et tamen illa etiam, delere Eccleſiam vniuerſam illis ipſis in terris non potuit, quanquã exiguæ ſunt, & ſqualidæ reliquiæ, quæ tamen cùm ſanguine filij Dei aſperſæ ſint, ſeruantur, & proteguntur diuinitus. Verè igitur Paſchate perpetuo eoq; miraculoſo tranſit pergenus humanũ Deus, & facit in hoc ſubinde annos totos 3075. (Tot enim ſunt anni à primo Paſchate) quæ in glorioſo illo tranſitu, & eductione ſui populi ex Ægypto fecit. Hæc ſæpiſſimè, imo aſſiduè cogitanda ſunt, ſed hoc tempore

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-62-quod/start.htm?image=00000382

pore maximè, quo illa & facta sunt olim, et memoria mirabilium illorum testimoniorum ab Ecclesia vniuersa in cœlo & in terra repetitur & celebratur: Et quidem nos illa vt cogitemus attentißimè & indesinenter multæ nos causæ, Sed imprimis præsentium, & impendentium periculorum, ac pœnarum publicarum conspectus, ac consideratio mouere debent. Profectò enim sic res omnes in Ecclesia, in politijs ac regnis omnibus comparatæ sunt, vt totius generis humani mutatio vniuersalis, eaq; horribilis, ante diem & iudicium nouißimum filij Dei, & transitus primo per Ægyptum paschati non absimilis imminere videatur, Ac sine vlla dubitatione nos incidimus in tempora illa tristia, de quibus inquit filius Dei: Erit in diebus nouißimis angustia, tribulatio & pressura gentium, qualis non fuit ab initio. Item, Orate, vt digni fiatis effugere illa omnia, quæ ventura sunt. Sunt in conspectu, & luce meridiana magis manifesta duo horribilia regna Antichristi, Pontificium & Mahometicum, ex professo filium Dei, Dominum nostrum Iesum Christum, & Ecclesiam oppugnantia, Hæc vt vno propemodum tempore orta sunt, & confirmata paulatim, successibus planè prodigiosis, ita multis iam seculis cumularunt, ac stabilierunt

runt blasphemias, idola & scelera horribilia plurima, & omnia in filium Dei contumeliosa. Ab his & vniuerso generi humano, cuius illa partem maximam complectuntur, & sibi ipsis pœnas attractas, ac cumulatas fuisse hactenus, atq; etiamnum attrahi ac cumulari horribiles, nemini esse dubium debet, Quæ vt maturuerunt iam annis plurimis, ita ne & ipsos, & his Ecclesiam interiectam opinione citius opprimant, valde metuendum est. Sunt verò & Ecclesiæ peccata, proh dolor, & numero plurima, & magnitudine horribilia, quibus pœnæ attrahuntur multis gentibus, neq; enim illa nœuis iã leuibus tantùm deformis, aut tanquã sordibus inquinata est, Sed confusionibus ac morbis prorsus sonticis ægra ad eam propemodũ paucitatẽ redacta ac deiecta est, de qua Esaias inquit: Nisi Dominus reliquisset nobis Semẽ, sicut Sodoma essemus & sicut Gomorrha. Itaq; & hanc sua iam vrgent fata, & pœnæ peccatis ac sceleribus hominum iusto iudicio Dei debitæ impẽdent terribiles. Ac ne & ipsæ præter expectationẽ procellæ instar ingruant, vehementer extimescendũ est.

Oppugnari autẽ agmen Ecclesiæ veræ planè hostiliter, ab vtroq; regno impio, Pontificio, & Mahometico, & certare illa inter se non tantum blasphemiarum, aut idolorum impietate, sed & parricidiorũ immanitate, nemo est qui ignoret,

Ac quæ

Ac quæ hoc tempore vtriusq; consilia, molitiones, & apparatus sint, valde metuimus, ne breui res ipsa ostendat, ac maximo malo nostro testetur. Congruunt verò causis pœnarum, & statui rerum præsentium in Ecclesia, regnis, & politijs omnibus, etiam vaticinia vetera, partim diuinitus tradita, partim ab alijs propagata viris, quorum prædictiones euentus nostri temporis comprobarunt, quæ omnia mutationem fatalem, & vniuersalem tanquàm ex propinquo imminentem denunciant.

Conseruauit Deus primi Paschatos ritum in suo populo, vsq; ad deletam Ierosolymã, annis 1583. Nunc à nato filio Dei Domino nostro Iesu Christo, noui testamenti mediatore, & ἐξαρχῶ anni sunt 1566. Paucos deesse annos, ne pares sint vtrobiq; numeri, collatio ostendit, Ac non dissimilem esse nostri temporis statum, rebus Iudaicis, quæ paulò ante illius politiæ finem acciderunt, manifestissimum est. Nec verò coniectura vana est, tempus noui Testamenti non multò fore longius, quàm fuit olim veteris duratio, præsertim cùm scriptum sit, Propter electos abbreuiatũ iri dies temporis nouissimi. Quare impendere, & esse iam præ foribus mutationem horribilem non dubitemus. Et quidem hoc ipso tempore à Tyranno Turcico bellum horri-

1 5 6 6

horribile aduersus orbem Christianum, terra mariq; apparari conatu, & viribus maximis, nõ vanis rumoribus, sed veris indicijs huc nunciatur, Id si ex animi sententia procedet Tyranno incredibili spe successuum maximorum inflammato, duriter exercebitur Ecclesia, & erunt metuenda extrema omnia.

Aduersus pericula hæc, & casus tristes omnes quicunq; futuri sunt, confirmemus, & erigamus animos cogitatione præsentiæ DEI *in Ecclesia, Quam & olim in Paschate, ac liberatione sui populi in Ægypto, imò perpetua conseruatione huius inde vsq; ab initio, testatus est. Seruauit continua serie filius* DEI *Ecclesiam suam annos 3075, à primo Paschate, & agnoscere, ac celebrare eam sua beneficia voluit, seruabit ergo eandem et deinceps hanc ipsam ob causam, ne in genere humano vera ipsius noticia, inuocatio, ac celebratio extinguatur. Itaq; non frangamur spectaculorum, aut euentuum tristicia, non hostium Ecclesiæ potentia, & successibus, non ipsius etiam seu imbecillitate, seu deformitate. Sed cum certo Ecclesiam per & propter filium* DEI *excerpi, & colligi ex genere humano, sciamus, Quæramus hanc, & in eam nos includamus, & nos in ea protegi, & seruari petamus.*

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-62-quod/start.htm?image=00000384

Intuentes etiam nouũ Paſchatos, quod veteri ſucceſſit, gloriam, reſurgente ex mortuis filio DEI, *& paulo poſt ad cœlos cum triumpho dulciſſimo aſcendente, eò alacrioribus animis feramus, quicquid acciderit. Neq; enim reuixit filius* DEI, *aut aſcendit ad cœlos, vt ocioſus gloria ſua fruatur, neglecta, aut abiecta Eccleſiæ ſuæ cura, Sed ſedens ad dexteram Patris, verè efficax eſt, & potenti manu dextera ſua eam protegit, ſeruat, ac liberat, ſicut teſtatur ipſe: Oues meæ vocem meam audiunt. Et vitam æternam do eis. Nec rapiet eas de manu mea quiſquam, Et non peribunt in æternum. Imò aſſiduè etiam, vt Paulus inquit, pro hac apud Patrem intercedit. Ad hunc ergò regẽ, & Pontificem, protectorem, & deprecatorem noſtrũ confugiamus in omnibus periculis, & vt in ira ſua iuſtiſſima Deus miſericordiæ ſuæ recordetur, votis aſſiduis, & ardentiſſimis petamus.*

Sed vt patiente filio DEI, *Sol media in luce diei caligine prodigioſa obductus eſt, & contra naturæ ordinem tenebræ fuerunt toto terrarum orbe, Ita proh dolor in hac mundi ſenecta, in maxima generis humani parte, tenebræ teterrimæ, & quibuſuis Cimmerijs ſeu Ægyptijs triſtiores ſunt, et plurimorum corda ſcopulis, qui tum ceu conterriti diſſiluerunt, duriora ſunt. Nam quoteuſquiſq; hæc, de quibus monemus, vel leuiter*

cogitat, aut pericula immimentia, & his oppoſitam conſolationem ad ſe pertinere exiſtimat?

Indulget hæc ætas, proh dolor, ſuis non cupiditatibus tantum, ſed planè furoribus ſecuritatis, & ἀναλγησίας, & ruit quocunq; impetu furorum impellitur. Hæc neque temporibus, neq; periculis imminentibus conueniunt, Minimè vero noſtri agminis ciues illa decent, qui ſtudijs doctrinæ conſecrati ſunt, & ſeminaria eſſe debent Eccleſiæ præcipua. Quare ſeuerè vniuerſis Iuriſdictioni noſtræ ſcholaſticæ ſubiectis præcipimus, vt feſtis his diebus modeſtè regant mores, vitent conuiuia, & compotationes cẽtauricas, & quæ ab his oriri ſolent graſſationes, ac tumultus nocturnos, aliaq; omnia, quibus inuocatio, & conſiderationis piæ intentio, impeditur ac turbatur. Cogitate tempora vos monere, vt modeſtiores ſitis, quæ profecto indies fiunt aſperiora, vt veternum ſecuritatis, quo hæc ætas velut oppreſſa iacet, DEVS *nobis excutiat, & accendat nos, vt in periculis maiori eum ardore inuocemus, Sicut ſcriptum eſt, Anguſtia clamoris diſciplina tua eſt eis: Nec dubium eſt vehementer diſplicere* DEO *ſecuritatem, & ἀναλγησίαν eorum, qui nunc Eccleſiæ calamitatibus, & periculis non mouentur. Sicut in Amos voce triſtiſſima exclamans Dominus,*

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-62-quod/start.htm?image=00000385

testatur, Veh illis qui nihil patiuntur super contritione Ioseph. Item in Zephania, Scrutabor Ierusalem in lucernis, & visitabo super viros defixos in fecibus suis, qui dicunt in cordibus suis, non faciet benè Dominus, & non faciet malè: Estote igitur modesti, & pijs precibus iram DEI ad mitiganda pericula impendentia flectere studete. Et vt aliqua vestra erga ministerium Euangelij gratitudinis significatio appareat, quæ argumentum est animorum reuerenter de DEO, & de voce diuina sentientium, more consueto ad aram munera vestra, singuli offerte. P. P. in Paschate anni 1566. quod à crucifixo mortuo & resuscitato filio DEI Pascha est 1532.

RECTOR ACADEMIÆ VVITEBERGENSIS, MICHAEL Teuberus I. V. D. & Professor.

POST varios tandem casus, lethiq; labores
Excitus è somno referor vitalibus auris,
(Per Vatem Helciaden Christus sua fata canebat)
Et sopor hic dulcis vita mihi dulcior ipsa est
Morte mea humano generi dum consulo, & illi
San-

Sanguine iter facio, & trãscribo limen Olympi.
Et nunc magna meam pertentãt gaudia mentẽ
Quòd non incassum fusus mortalibus ægris
Ille cruor cecidit, quia dura morte redemi
Mortalem vitam, meaq; illis pœna saluti est.
Hoc cecinit Vates, docuit pòst exitus ingẽs,
Cum radijs claræ resplendens lucis, ad auras
Emicuit, prædam victor longo ordine ducens,
Addens tela quibus Stygios spoliauerat hostes,
In truncis titulos, inimicaq; nomina figens. (thro
Hic morti moriens animam abstulit: ipse bara-
Facta lues: ipse est Serpenti triste venenum.
Pendula Lex fertur transuerso robore trunci,
Index quòd precium nostra pro labe solutũ est.
Et vinctum pòst terga manus nigrum agmen Auerni
Ducitur expositum spectantibus, orbe theatri
In medio, cassum soluto iam robore, & armis,
Omine quo sciret pia gens, se numine Christi
Defensam cõtrà arma dari, stygiosq; Tyrannos,
Cum se fortè fuga recipit sub Principis alas,
Victoris mundi, mortisq;, Erebiq; potentis.
Nam quid Pellæi iuuenis tot rapta trophæa
Deuicto mox orbe? tui quid Magne triumphi?
Et, cuius Pœnos etiam ingemuisse leones
Interitum dicunt, tua quid victoria Iuli
Tot spolijs fœcũda, tot hostibus ampla subactis?

Si palmam hanc ſpectes, Chriſtiq; inſignia ouantis,
Fluxa tui iam conciderit tibi gloria Martis.
Hic ſacrum inſtituit quo crimina noſtra piauit
Antè Patrẽ, & priſci renouauit fœdera amoris
Sanguine depoſito, cœcam quo deinde lituram
Induxit culpæ, ne clara antè ora Tonantis
Se porrò ferat, & ſopitam exuſcitet iram.
Quaq; tenebatur reus, & cui debitor eſſet
Quilibet ex nobis, penitus iam inducta tabella eſt,
Et cautas transfixa notas, & pondere caſſa.
Inde pedem referens tumulo, iam luce coruſcus,
Victorem culpæ ſeſe declarat & Orbis,
Qui mortis fregit ſtimulos, ipſamq; triumpho
Hauſit ouans, nexuſq; omnes, & vincula rupit
Inferni Ductoris, & ipſum in vincla redegit
Suppoſitum pedibus, exutum fortibus armis.
Nobis iuſticiam reditu acquiſiuit ouanti,
Quem pignus dedit eſſe ratum, fore tempus vt olim
Noſtra quoq; ætherias reuocentur corpora ad auras
Splendida luce noua, purgata à ſorde priori.
Huius ope exciti ſenſus, animumq; volentem
Sorte noua vitæ moliri exordia fas eſt,
Factaq; ad exemplar diæ componere mentis,

Et

Et ſtudio ardenti cœleſtem ediſcere vocem,
Amplectiq; fide, nitiq; in tempore duro.
Hoc curru inuictus ducis nunc Chriſte triumphos,
Hoc curru nos alta vobis ſuper aſtra beatos,
Conſortesq; facis vitæ, partiq; triumphi.
Hæc niſi ſubueniat tibi Vox, atq; alleuet ægrũ,
Nil poterit currus Phaëtontis, & ala Platonis,
Nil pons Romanus rectà qui ducit ad Orcum.
Accipite ergo animis Vocem, & reuerenter habete
Præcones Vocis, tacita quam mente Parentis
Orator Patris ipſe tulit, ſparſitq; per orbem,
Pro qua vota dedit Patri, ſine ſorde, ſine omni
Fermento puram, et liquidam per ſæcula ſeruet.
Ergò etſi innumeras educit Turca phalanges,
Millia quot magnis nunquam venêre Mycenis,
Doctorum & furijs accenſa pericula creſcunt:
Extingui penitus ſua iuſſa, patiq; ruinam
Haud tamẽ ille ſinet ſummi moderator Olympi,
Sed ſuberunt cœtus, & regna immota manebũt,
Quà ſuberit pietas, & ſacra immota manebunt,
Et ſtudia & mores inter ſe iuncta ferentur.

In Paſchate, Anno 1566.

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-62-quod/start.htm?image=00000387

RECTOR ACADEMIÆ VVITEBERGENSIS, MICHAel Teuberus I. V. Doctor atq; Professor.

QVÆ in sepulturis fiunt Christianorum, ex ijs ad viuos spectant cætera omnia, ipsi autem mortuo hoc vnum datur, vt testentur superstites officio vltimo deductionis funebris affectionem suam erga eum, qui effertur, & hoc modo ornent merita demortui. Quid enim post mortem à superstitibus rependi potest laboribus & meritis publicis & priuatis nostris, quàm sepulturæ honor, & memoria nominis boni, & desiderium nostri? Præclarissimè autem de doctrina cœlestis & æternæ veritatis, & re Ecclesiastica meritus est tàm in scholis publicis docendo, quàm in concionibus de hac ad populum habendis, optimus Vir, & doctissimus Theologus, dominus IOHANNES DRACONITES Francus, Vir CL: qui, secundum formulam sapientis Ebræi, ἐν ἀγαπήσει κεκοιμημένος, heri sub occasu Solis decessit. Hic prima tempora ætatis suæ in studijs literarum & doctrinæ consumsit Erfordiæ, vbi & summos in his honores consecutus est, & in doctissimorum hominum familiaritate vixit, ex quibus

quibus nominare possumus D. Iustum Menium, Euricium Cordum, Eobanum Hessum, & Ioachimum Camerarium VV. Clariss: & ibidem publicè & priuatim cum laude docuit.

Atq; inde in nostram Academiam commigrans, Doctor in hac Theologiæ renunciatus est ante annos ab hinc quadraginta tres, inter initia instaurationis doctrinæ Euangelicæ, Anno Christi M. D: XXIIII. Postea Marpurgum accersitus, in ea Academia multos annos sacras literas docuit. Sed, quod Deo diuersis in locis Ecclesiæ suæ huius Viri pietate & constantia vti placeret, ex Cattis in Saxoniam deductus, in præcipuis ciuitatibus littoris Balthici & Viciniæ illius Ecclesijs operam nauauit, & in Megalopyrgensi terra Ciuitati & scholæ Rostochianæ docendo inseruijt, Vnde illustriss: Princeps & Dominus, ALBERTVS Dux Borussiæ eum ad se euocauit, & in Sambiensi ditione Ecclesijs præsidere voluit. Fuit hic Theologus & eruditionis copia & quatuor linguarum peritia instructissimus, Ebreæ, Chaldeæ, Græcæ & Latinæ, & liberalis doctrinæ caussa ad ERASMVM ROTERODAMVM aliquando excurrit, & propter Ebreæ & Chaldeæ linguæ studium PAVLVM FAGIVM sectatus est, quo non tantum

 nostra

nostrâ ætate, sed multis retro annis nemo vixit, qui illarum linguarum scientiam & vsum maiorem se habere declarasset, cum Ebræa lingua & in colloquijs familiaribus & in disputationibus cum Iudæis & alijs peritissimis huius, atque in longis etiam concionibus vti potuerit, siue spacium ei siue nullum ad commentandum concederetur. Et demonstrauit hic FAGIVS *nostris hominibus in interpretatione atq; explicatione Targumi seu Paraphrasis librorum Mosis Chaldaicæ sua, qui vsus in Ecclesia illarum linguarum scientiæ esse posśit nostris temporibus præclarissimus et Ecclesiæ vtilissimus, cuius exemplum qui sequentur, & ab ipso inchoata persequentur, iis suam scientiam linguæ Ebreæ orbi Christiano verè probabunt, eiq; hoc modo magis quàm vlla alio, in hoc studiorum genere, operam nauabunt. Et linguarum igitur cognitione & doctrinæ copia instructus* D. DRACONITES, *atq; respiciens ad celebratam monumentis Veterum Origenis operam, qui sacrarum literarum libros, quos excellente nomine Biblia appellare consueuerunt, Ebraicè, atq; simul cum quatuor Græcis versionibus, Aquilæ, Symmachi, Septuaginta duum, & Theodotionis in vno libro coniunctis & contra se positis, atque ita Biblia ἑξαπλᾶ,*

Nam

Nam Ebræa Verba in his primum Ebraicis, & altera serie Græcis literis perscripta fuere, quibus postea & quintam & sextam interpretationem græcam addidit, non nominatorum autorum, vt fierent ἑκταπλᾶ, vt scribit Epiphanius. Ad huius igitur exemplum respiciens, longo tempore animo agitauit opus Bibliorum quintuplex, vt q; hoc perficere posset, splendorem atque emolumenta loci & præsidentiæ Sambiensis reliquit, & in nostram scholam, post multorum annorum interuallum, hac vna de caussa reuersus est. Nam etsi Complutensis editio ante annos XLIX. ἑξαπλᾶ Biblia exhibuit, in quam operam Archiepiscopus Toletanus tàm multa aureorum millia impendit, vt sumtibus illis se exhausisse & æs alienum contraxisse dicatur, cum inter opulentissimos Europæ Archiepiscopatus ille habeatur, neque extant tamen amplius exempla illa venalia, & augeri hanc vtiliter additione interpretationis vernaculæ nostræ eius, cuius Lutherus autor est, censuit, cum, quanta diligentia hæc facta esset, intelligeret, & quid contulerit ad veritatis cùm instaurationem tùm propagationem, publicè notum sit, quibus omnibus ipse à se congruentem interpretationem latinam instituebat.

Est

Etsi autem alijs multis in lucem editis scriptis suis testatam fecit Ecclesiæ fidem & δεξιότητα suam, in explicanda & propaganda doctrinæ veritate: in opere tamen editionis quintuplicis talis librorum sacrorum vnicè sibi laborandum iudicauit, eiq; quicquid vitæ concederetur reliquæ omne destinauerat, atq; sparsim multa quasi δείγματα quædam huius apud nos edita in medio sunt.

Iam verò vt tota res, & ordine absolueretur, Illustriß: Princeps noster Dux Saxoniæ Elector D. AVGVSTVS &c. pro admirabili & ad omnem posteritatem commemorabili benignitate sua & munificentia erga Ecclesiam Christi, & doctores huius, atq; congregationes scholasticas, eisq; operam nauantes, sumtus necessarios decreuerat, & de administris idoneis, qui autori adiungerentur, mandauerat, atq; ita rebus omnibus præparatis, inter hos conatus DEO æterno placuit, vt ex hac vita vir optimus & doctißimus euocaretur, & eriperentur hæc Reipub: & Ecclesiæ commoda, atque fructus interciperetur, qui ex his laboribus percipi potuisset aliquanto amplior fortaßis, quàm ex Origenicis illis sescuplicibus vel Octuplicibus etiam libris, & tantò quidem magis, quò Vir hic fuit & explicator atque inter-

1566.

interpres sacrarum literarum, quàm Origenes, melior, cùm & κακόφρονα appellet Origenem Nicephorus, & Epiphanius disertè scribat, hunc τὰ περὶ πίστεως κακῶς δογματίσαι, & τὰ πλεῖστα τῶν γραφῶν κακῶς φράσαι, & constet, in quinta Synodo Oecumenica multa dogmata huius & sectatores horum damnatos fuisse. Autor etiam libri de S. Spiritu, qui Basilio attribuitur, οὐ πάνυ τοι ὑγιεῖς περὶ τοῦ πνεύματος ὑπολήψεις ὠριγγένην in omnibus habuisse queritur, cum hic noster, Christo gratia, veritatis se præstiterit & doctorem integerrimum, & patronum atque propugnatorem constantißimum & grauißimum vsque ad extremum, qui & vltimo tempore vitæ suæ, cum destillationibus, quibus suffocatus tandem fuit, vox interrumperetur, non destitit tamen confeßionem fidei suæ ad circumstantes religiosißimam edere, seq; vt concordi amicitia & caritate hanc scholam complexus fuisset, ita vnam cum hac salutarem fidei doctrinam profiteri, & in omni æternitate professurum esse testatus est, eiusq; sententiæ suæ testes esse eos, qui aderant, voluit, atque ita non multis horis post mortuus est, cum esset senex maior septuagenario, sed corpore adhuc ita firmo, quod vtiles Ecclesiæ & reipublicæ labores obire atq;

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-62-quod/start.htm?image=00000390

atque perferre potuiſſet, ſi DEO ita viſum fuiſſet. Conſtituta autem eſt funeri huius hora XII. quod omnes ſubiecti Iurisdictioni ſcholaſticæ & ſua ſponte officioſa frequentia deducent, cum, tali Viro & Eccleſiæ Chriſti doctori quid debeatur, intelligant, & nos vniuerſos hoc ita facere volumus & mandamus.
P. P. XII. Cal: Maij Anno 1566.

AD TVMVLVM IOHANNIS DRACONITÆ Franci, Theologi.

Hos cineres, hæc buſta fides innoxia ſeruat,
Dulcisq; ſpes & Charitas,
Filiæ Iouis inclyti, ſorores.
Prima ſacras Lauri frondes, at proxima Palmæ
Spargit virentes ramulos,
Mitis vltima gemmulas Oliuæ.
Salue care ſenex, tu nunc quaſi ſtellula fulges
Celſo micans in æthere:
Hoc tui precium laboris eſto.

P. Scedius Meliſſus.

Rector

RECTOR ACADEMIÆ VVITEBERGENSIS Michael Teuberus I. V. Doctor atq; Profeſſor.

DIES hic ſextus ab eo eſt, quo ante annos ſex & huic vitæ immortali & conſuetudini noſtræ atq; cõuerſationi dulciſſimæ ereptus eſt PHILIPPVS MELANTHON vir Cl: & decus literarum optimarum omniumq; noſtrum præceptor communis. Qui vir qualis fuerit & nunc in confeſſo eſt apud omnes, & Iudicium melius poſteritatis erit. Neq; enim huius loci atq; inſtituti eſt, oratione complecti velle aut ſummi viri raras diuinasq; dotes, aut cùm erga hanc ſcholam noſtram, tùm erga Eccleſiam filij Dei vniuerſam merita eximia atq; præclariſſima. Fama verò, quæ de ipſius in omni genere optimarum diſciplinarum eruditione, & doctrina, virtute, deniq; ſapientia, & humanitate ſumma, totum propè orbem peruagata eſt, etſi quorundam improborum atq; inſolentium animos vehementer pupugit & ad maledicendi peruerſum ſtudium inuitauit: Vigebit tamen nihilominus ad omnem poſteritatem, & diſſipabit virulentos calumniæ plus quàm diabolicæ morſus, inuidiamq; illam, virtutis,

tis, atq; veræ dignitatis comitem iusta tandem vltione profligabit. Nos quidem præceptori de nobis singulis & orbe Christiano præclarissimè merito, illud veteris Poëtæ dicemus:

Mox tibi, si quis adhuc prætendit nubila Liuor,
Occidet, & meriti tibi post referentur honores.

Vt vero interea nostri erga ipsum studij, propensionis, desyderij atque obseruantiæ qualiscunq; extaret significatio, & consuetum fuit hactenus recitari in publico ad auditores nostros orationem, Optimi præceptoris gratissimam memoriam complectentem: & Crastino quoque die anniuersaria eiusdem celebratio ab ijs, quorum pietatem & operam in hoc genere eximiam atque illustrem experti hoc sexennio fuimus, instituta est, Cumq; inter præmia rectè factorum & præclare meritorum etiam Psalmus recitet posteritatis atque superstitum præconia & laudes, cum inquit: In Memoria sempiterna erit iustus: decet vos laudatissimæ ac pijssimæ consuetudini scholæ fauere, & ad recitationem Poëmatis libenter atque cupidè conuenire ad diem Crastinum horam Nonam: Quod vt faciatis frequentes etiam vos hortamur, vt eo ipso officio gratitudinem vestram, pietatemq; cùm Deo imprimis danti salu-

tares doctores, tùm ipsi quoq; optimo præceptori Domino THILIPPO declaretis: & simul vota ad DEVM faciatis pro conseruatione puræ atq; incorruptæ doctrinæ religionis, aliarumq; artium optimarum, quas vir ille, diuinitus ad hoc excitatus & sparsit in hac Academia, & inde in alias velut colonias longè lateq; magna fide, constantia, & successu disseminauit. Propositum die S. MARCI EVANGELISTÆ, Anno 1566.

RECTOR ACADEMIÆ VVITEBERGENSIS, MICHAEL Teuberus I. V. Doctor atq; Professor.

PROPHETA Regius Psalmo 119. vsitatam Ecclesiæ querelam repetit, quod versetur inter acerbissimos inimicos cum exclamat: Hei mihi quod tàm diu peregrinor in Mesech, & habitem in tabernaculis Cedar, quasi dicere velit, videor mihi inter barbaros habitare, non inter Israëlitas. Significat autem appellationibus Mesech & Cedar barbaricas gentes, quas Moscos & Arabes appellamus. Ac consentaneum est quòd Propheta voluerit pingere hæc postrema tempora, quibus pij exulaturi sint in-

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-62-quod/start.htm?image=00000392

ter barbaras gentes, quarum vtraq; iam cerui-
cibus noſtris imminet. & paulatim propius ad
deuaſtandas has terras accedit, niſi diuina cle-
mentia furor truculentiſſimarum gentium re-
preſſus fuerit. A Septentrione enim paula-
tim propius accedunt Ruteni, quos Moſcos no-
minant. Ab altera parte Turcæ arma ex-
pediunt, & indies confirmantur rumores, De
incredibilibus & formidabilibus apparatibus
Turcicis in Pannoniam, quam vbi deuaſtaue-
rit barbarus, calamitas nobis in Germania
proxima erit, quæ heluationibus, luxu, libidini-
bus & multorum petulantia, quæ infinitis mo-
dis exercetur, ebria ac ſomnolenta ſero tan-
dem expergiſcetur, et ſua pericula in ipſo exitio
intelligere diſcet. Obſecramus igitur vos
ſcholaſticos, per & propter gloriam DEI, ne
impendentes calamitates contemnatis, & le-
gum ac diſciplinæ omnis contemptu, pœnas, quæ
iam præ foribus ſunt, & nobis hoc anno non
tantum cœleſtibus ſignis, ſed crebris etiam ac
prodigioſis inundationibus aquarum denun-
ciantur, acceleretis. Vt autem ad modeſtiam
& vitæ emendationem vos excuſcitetis, & pijs
precibus ac ſalutari pœnitentia DEVM placa-
re poßitis, ne totam iram ſuam effundat, nos pro
officij noſtri munere iuſtis cohortationibus vos im-

impellimus, vt multum cogitetis, de Legum &
diſciplinæ cauſis, neceßitate & vtilitate. De
his vt occaſio ſit reuocandi auditoribus noſtris
in memoriam, quid DEVS à nobis requirat,
& quid in diſciplinæ honeſtæ cuſtodia à vobis
præſtari conueniat, publicam inſtituemus A-
cademiæ Legum recitationem hodie hora XII.
in collegij noui loco ad huiuſmodi cœtus deſti-
nato. Seuerè itaq; mandamus omnibus Iuriſ-
dictioni noſtræ ſubiectis, vt tum ad eas audi-
endas conueniant, & ſua promptitudine oſten-
dant ſe leges venerari & diſciplinam magniſa-
cere, ac vitæ honeſtæ præcepta, quæ cum volun-
te diuina congruũt omnibus ſuis cupiditatibus
anteferre. P. IIII. Calend. Maij Anno 1566.

ANTE LEGVM SCHOLASTICARVM RECITATIONEM pronunciata commonefactio.

AD magiſtratus eius quem in præſentia
gerimus, munera pertinere didicimus eti-
am legum Academiæ recitationem publicam,
ad quam ſcholaſticos hoc tempore conuocaui-
mus, cùm hactenus impediti multiplicibus ne-
gotijs facere hoc non potuerimus. Atq; de ſtu-
dijs præſcribere ſcholaſticis, rationem habet ma-
nifeſtam. De vita, moribus, diſciplina leges

ferre ijs qui pietatis & virtutis atque optimarum artium ſtudium profitentur, & diſcipuli ſunt doctrinæ publicæ, hoc inquam eiuſmodi eſt, cuius ratio non ſtatim apparet vnicuique, Neque ego nunc ad Platonicas diſputationes reſpicio, qui ſtultum eſſe putat leges ferre de ijs quæ educationis ſunt & diſciplinæ, qualia ſunt præcepta decori in tacendo, loquendo, honorem habendo ijs, quibus debetur, & quomodo veſtire ſe aliquis, & toto corporis habitu ſe gerere debeat, quod non legibus, id eſt, verbis & ſcriptis hæc conſeruentur, ſed moribus & vſu explicentur atque conſtituantur, ad quæ aſſuefactione atque manuductione & exemplis opus ſit non doctrina.

Hæc igitur Platonica non introduco ego in præſentia, ſed aliquid dico ſimplex & populare, expoſitum vniuſcuiuſque intelligentiæ, Leges tanquam manus ſunt, quibus ducitur & tenetur vulgus, Talis manus ad puericiam noſtram Pædagogi ſunt, ad adoleſcentiam & iuuentutem præceptores, & in ordine Scholaſtico noſtro vniuerſo mens exculta, & recta ratio vnicuiq; lex eſſe & ſubijcere ea debet, quæ leges ſcripto ſanciunt imperitis, Ideo enim cultura animi per tot valetudinis pericula & diſpendia fortunarum à nobis quæritur, vt de

vt de rebus recte cogitare eaq; cogitata oratione aut ſcriptis explicare, atque ita noſtras & aliorum actiones gubernare poſſimus, vt Deo glorioſæ ſint & ſocietati hominum ſalutares. Hoc modo & religionis & pietatis, & de legibus ciuilibus ſcholæ noſtræ, deq; officio & virtute commentationes publicæ & priuatæ quaſi legum quædam promulgatio ſunt perpetua, ſicut & Philoſophiæ doctrina vniuerſa eodem valet, neque ſecundum naturam vita degi poteſt, qui legum finis eſt, cum natura quid poſtulet, quid proprium, alienum, ſincerum, corruptum habeat ignoratur. Et ſibi igitur & alijs lex viua eſt animus excultus, & parendi ſtudium atque voluntas non aliunde proficiſcitur, Nam ad barbaros & in Cyclopum congregatione leges parum proficiunt, quæ ſine moribus nihil proſunt.

Hæc cùm ita ſe habeant, nimirum ſuſpicionem hoc commouerit, nequaquam vel efficacem eſſe doctrinam ſacram & humanam, publicam & priuatam, vel minime diligens ſtudium eſſe quod detur vtriq; ab auditoribus, ſi ad noſtrum ordinem legibus in hoc genere opus eſt. Mores tamen & tempora contagionem huic afferunt, & quia in barbaro ſeculo degit

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-62-quod/start.htm?image=00000394

ordo noſter, ex conſuetudine cum hoc tantam barbariem hic induit, vt non tantum multiplicibus edictionibus ad hunc quoque opus ſit, ſed his etiam ita parum proficiatur, vt nullo tempore videatur noſtra res ſcholaſtica fuiſſe inquietior, aut maior in moribus peruerſitas, quàm hoc, quo legibus præclariſsimè eſt inſtructa, & ad veteres noſtras nouæ iam & ſumtuariæ quædam acceſſerunt.

Hæc verò quæſtio iamdudum exercet ſapientes, quî fiat quod ſemper ijs temporibus, quibus virtutis & ſapientiæ actiones atq; opera maximè floruerunt, minimum fuerit de his verborum & doctrinæ ſparſum, Et contra cum plurimum eſt diſputationum & præceptorum de vtroque, mores ſunt maximè improbi & vita peruerſiſsima, & pauciſsimi vel virtutis vel aliarum rerum artifices reperiri ſolent. Quàm pauca ſcripta extiterunt ijs temporibus quibus ſapientiſsimi & ingenioſiſsimi homines atque artifices vixerunt, vt Moſis & Salomonis apud Ebræos, apud Græcos Homeri, Heſiodi atque etiam Herodoti temporibus. Et Reſpublicæ præclariſsimè conſtitutæ & fortiſsimi Duces & Imperatores permulti fuere, antequam vel de Republica ordinanda vel de re mili-

re militari quicquam publicorum ſcriptorum extaret. Ruentibus autem Imperijs & Rebuſp. & virtute bellica euaneſcente, de vtroque permulti ſcripſerunt. Ita corrupta eloquentia omnes ſcholæ refertæ fuere Rhetoribus, omnesq; tabernæ libris grammaticis cum minimè propriè aut politè loquerentur homines. Idem in alijs rebus & artibus accidiſſe & nunc etiam accidere reperiet, qui cogitauerit, nos tempus facere non ſinit, Noſtro autem ſeculo quo eruditio & diſciplina corruit, finis & modus nullus eſt diſputationum & ſcriptorum de virtute, ſapientia, ſanctitate.

Hoc igitur de legum etiam exaggeratione dicere poſſumus, quæ exiſtit de malis moribus, vt tùm & plurimæ ſint & eſſe oporteat cum vita eſt corruptiſsima. Sed hæ Periodi ſunt in rebus humanis, vt alijs temporibus res præclaræ extent, et hæ quando extare deſinunt, vt verborum vſurpatio ſuccedat. Sapientia tamen & virtus ipſa per ſe efficacia ſunt & ſtrenua abſque verborum diſputatione, Verba non ſemper virtutem excitant. In quo noſtra ſe infelicitas oſtendit atq; profert, de qua non poſſumus facere, quin hoc loco ad virtutis & doctrinæ ſtudioſos queramur.

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-62-quod/start.htm?image=00000395

Etsi enim hoc genus Orationis censorium insuaue est & vsurpantibus & audientibus, Quia tamen hæc legum recitatio hac etiam de causa instituta est, vt occasio sit commonefactionis publicæ de ijs, quæ res & disciplina scholastica quoquo tempore postulat, feramus vtrimque ego dicendo, vos audiendo quod dici & audiri necesse est, præsertim cum boni & morigeri hoc modo confirmentur, cæteri autem qui non sunt desperato ingenio in viam reducantur, & hoc modo hæc opera prosit vniuersis, noceat nemini, Id quod à nobis agitur.

Non potest autem vlla prauitas esse nocentior magisue exitialis rei Scholasticæ, quàm quæ hoc semestri magistratus nostri frequentari incipit, qua non tantum contra leges committitur, sed Sacramenti etiam religio violatur. Scitis in legibus esse scholasticis & iuramenti loco promitti ab omnibus, qui in communitatem nostram recipiuntur quod intercedente interdicto magistratus sui, & ex aresto, vt loquimur, non velint hinc discedere, qui nemus est vniuersæ Iurisdictionis nostræ, & hoc inciso concidere eam necesse est, quiq, hanc legem & promissionem violant, ij rem scholasticam produnt, & quantum in ipsis est, funditus euertunt, qua de causa, & quia periurium simul hoc

hoc facinus complectitur, summa etiam pena, & quasi vltimum supplicium quod vsurpare Iurisdictio Scholastica potest, huic audaciæ legibus constitutum est, nimirum vt eiciantur tales cum infamia ex communitate nostra, neq, vllum eis sit vllo tempore postliminium, sed reditus atq, reconciliatio omnis præcidatur, quam exclusionis pœnam appellare solemus. Excludi autem ex honestißimis cœtibus homini intelligenti pœna est capitali supplicio tristior, declaratur enim sententia exclusionis talis, eum contra quem fertur hominem esse eiusmodi, quem boni secum ferre cuiq, locus esse in bene constituta Repub: non possit neque debeat, atque à quo cauere sibi omnes oporteat.

Huius sententiæ & pœnæ atrocitatem horribilem fuit sane etiam ante hoc tempus vnus & alter repertus, qui contemnere auderet, de quibus & publicè hoc supplicium sumtum est, nunc verò & me quidem magistratum gerente, hoc fit, vt simul totæ ferme decuriæ existant, quæ contenta & iuramenti religione & Rectoris autoritate ex aresto hinc & contra interdictum nostrum discesserunt & reculas suas exportarunt, quorum nomina paulò pòst proscripta legetis. Etsi autem in eos qui hoc faciunt, statim vbi porta exierunt, ferre

exclusionis sententiam licet, quia tamen imperium nostrum paternum est, & magna incogitantia esse solet ætatis iuuenilis, hactenus & alij ante me, & nos quosdam ante q̃ hoc fieret, publicè citari curauimus, non etiam nullos priuatis literis, si resipiscerent fortè, & ad sanitatem reduci possent, Sed sic etiam vocati non comparent, cumq; iuramentum contemserint, has etiam reuocationes nostras aliquanto audacius contemnunt, quod etiam ab ijs fieri experimur, qui alijs de causis per scripta publicè proposita vocati fuere, vt magistratui se sisterent, & citationes nostras non amplius à superba & profana iuuentute curari solere. Quod si verò eò res redit, vt qui pietatis & literarum tam diuinarum quàm humanarum studium profitentur, neq; Sacramentum dictum, neque magistratus legitimi autoritatem, neque pœnæ atrocitatem curent, qua ad omnes bonos infamentur, atque ita neque Dei æterni, neque hominum, neque existimationis suæ: quæ vita carior esse bonis solet & debet: respectu vllo tangantur, ex quibus hoc posterius qui faciunt, in legibus nostris crudeles nominantur: vbi igitur tales mores sunt & sic viuitur, de ea congregatione scholastica, quæ vel in præsentia opinio, vel ad posteritatem spes concipit posſi,

possit, facilè est vnicuique constituere, neque tanto malo quo occurri possit remedium apparet. Nam quod ex nostris legibus aliquis moneat, multis grassantibus pœnarum exemplis opus esse, in eo iampridem nihil omittitur, & sunt iam per me & alios pœnæ sumtæ de quibusdam, & decretæ aliquot facinorosis talibus, quas his diebus exequemur vel ego, vel successor meus, vt Publico scripto proposito excludantur cum infamia ex communitate scholastica nostra, quod est, vt diximus, quasi vltimum supplicium nostrum, nam carnificem non addiderunt Scholasticæ Iurisdictioni Imperatores, quem etiam si haberet, tamen ad eos qui fuga sibi consuluerunt, vti non posset. Ita igitur pœnam etiam augere atque intendere non posse videmur. vt tamen & studium nostrum erga Rempub:, & diligentiam, fidem atq; seueritatem iustam in hac conseruanda omnibus bonis probemus, in tanto periculo rei scholasticæ quale consilium repererimus exponam.

Notum est inueteraſſe hunc morem in Academia nostra, vt sicut alia pleraq;, sic etiam ea scripta quæ publicè tàm à Rectoribus quàm exercentibus doctrinam publicam proponuntur in volumina redigantur & typis exprimantur, vt

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-62-quod/start.htm?image=00000397

vt hoc modo externi etiam de statu rei scholasticæ, & quæ studia in hac sint, cognoscant.

Hæc scripta hactenus Christo gratia cupidè legi per totam Germaniam, atque vlterioribus etiam locis (neque enim de nostris rebus glorioſe nos loqui decet) & non esse dedecori rebus communibus argumenta manifesta sunt, In his verò hactenus hoc factum animadvertere licet, vt eorum qui vel citati publicè sunt vel proscripti vel excluſi, horum igitur nomina vt dissimularentur, neque in illis voluminibus exprimerentur, idq; non temere, sed humanissimo consilio factum esse facilè ab omnibus intelligitur. Ne quid autem à nobis omittatur aut non tentetur, quod ad reprimendam exitialem Academiæ nostræ audaciam illam in scholasticis valere possit, scire omnes volumus, hoc non amplius futurum deinceps, sed nomina & familiarum & patriæ atq; gentis, vt diserte exprimantur, decretum esse, vt non tantum apud nos sciatur, qui sint illi Mezentiani Dei & hominum contemtores, & violenti & periuri homines, sed exteruis etiam indicentur, atque per totam Germaniam, vel vlterius etiam, & fortaſsis ad posteritatem, tàm viuis quàm mortuis huius turpitudinis nota ad ignominiam sempiternam muratur. Hoc enim

enim vno modo augere pœnam huius facinoris possumus, & animaduerti potest, excluſionis pœnam, per se atrociſsimam, ideo minus à quibusdam curari, ijs præsertim qui de longinquis locis & regionibus ad nos veniunt, quod etiamsi in hoc oppido & nostra communitate nomen ipsorum infametur, non resciscere tamen hoc facilè populares aut ciues ipsorum existiment, atque ita spe latebrarum talium peccent audacius, itaq; hoc etiam diuerticulum præcludendum turpitudini huic est, quod non aliter quàm hoc modo quo diximus fieri potest. Quod si hoc etiammodo nihil à nobis proficiatur, quid consilij aut opis restet, non videmus.

Scribit Plutarchus Mileſias virgines horribile quoddam & mirificum malum corripuisse, quod de abalienatione mentis in ipsis extiterit, quam ipse existimat à venenata & ecstatica aëris constitutione commotam fuisse, cum fuerint illi motus diabolici, sed malum hoc fuit, Omnes subito moriendi libido inuasit, & insanus impetus, vt se strangularent, multaq; prius quàm animaduerti posset se strangularunt, neque verba neq; lacrimæ parentum aut amicorum interpellatio quicquam apud has proficiebat, nullaq; custodiæ calliditate aut artificio caueri poterat, quo minus se interficerent,

rent, Ac malum quidem videbatur, vt ipſius verba interpreter, diuinitus immiſſum & grauius quàm cui humana ope poſſet ſuccurri, donec de ſententia intelligentis cuiuſdam viri conſilium fuit perſcriptum, vt quæ ſe ſtrangulaſſent, nudæ per forum efferrentur, quod cum ita eſſet decretum, nõ modo continuit ſed prorſus etiam ſedauit in virginibus illis moriendi libidinem. Hoc Græcus ille celebrat, vt argumentum commemorabile bonitatis naturæ & virtutis in ipſis, quod omnium rerum teterrimas res, mortem & dolorem non reformidantes, turpitudinis ſpeciem ſuſtinere non potuerint, neque infamiam ferre, quæ poſt mortem ipſas eſſet ſecutura. Vtinam autem apud iuuentutem noſtram tantum valeat maximæ turpitudinis & quæ mortuos in ſepulcris perſequitur conſideratio, quantum in puellis Mileſijs potuit deformitatis metus, quæ in nuditate eſſet corporis, atq; indicatus terror grauiſſimus, infamis ad poſteritatem memoriæ, reprimere poſſit profanitatem & audaciam, qua iuramentum violatur & magiſtratus contemnitur. Quia tamen hoc etiam animaduertimus, ad hanc audaciam vſurpandam adigi ferme eos, qui debita contraxerunt maiora quàm ſoluere poſſunt, Hortamur Scholaſticos vt occaſiones fugiant.

fugiant, quæ eſt innocentiæ conſeruandæ regula certiſſima, & ſumtus non neceſſarios præcidant, de quo cum diligenter moneant & cauere vobis ſtudeant leges ſumtuariæ veteres & nouæ, quantum tamen his proficiatur ex eo æſtimamus, quod conſummare poſſumus, ad tria millia aureorum, de quibus his menſibus proximis debiti nomine coram nobis ad ſcholaſticos agitur.

Apud Romanos Priſcos, illos vt leuitas & dolus coherceretur in contrahendo æs alienum, legibus. XII. tabularum permiſſum fuit, vt ſi ſoluendo non eſſet, corpus debitoris inter creditores diuidere liceret, quæ pœnæ immanitas eo conſilio conſtituta fuit, ne ad eam vnquam peruueniretur. Sed per ſe eſt furtum ſceleratum mutuando aut debita contrahendo fidem fallere, & vno in loco impedita ſolutio multas familias conturbat. Etſi minimè ignoramus quæ vulgi oppidani ſint ad debitorum, in quæ ſcholaſtici incurrunt, illecebræ, quæ vt auerterẽtur à noſtris, ſuperioribus annis edicto Publico cautũ eſt, quos, quibus de ſumtibus, & quomodo ſolutionem credere oporteat, Fruſtra autem cauetur ijs, qui ipſi ſibi cauere nõ ſtudẽt, de vita impura, libidinibus, crapula, ebrietate, iniurgitationibus, violentia, legislator eſt alius, quod

quod genus partem cum Deo non habet, & impijs cœtibus ferrì non debet. In quo niſi caue-rimus, periculum eſt ne immittantur nobis, qui concionentur & edicant aliter quàm nos, & Rempub: experiri vtile eſt. Sed me nimis diu hoc quidem loco audiuiſtis, nunc deinceps leges audiatis, ad quarum lectionem hac recitatione publica vos inducimus, vt cum hoc tempore vix paucæ recitari poſſint, reliquas priuata lectione cognoſcatis atque repetatis. Sicut enim ciuem turpe eſt ignorare leges ciuitatis ſuæ, ita ſcholaſticum leges ignorare ſcholæ in qua viuit, turpiſſimum, & hæc ignoratio nuſquam excuſat.

POST LEGVM RECITATIONEM conclusio.

AVDIVISTIS *leges quæ hoc tempore recitari potuere, cæteras ipſi legetis. Nunc hoc reſtat, vt moneamus ſcholaſticos, non eo rem perfici, ſi audiantur cohortationes vtiles, & cognoſcantur præcepta virtutis & honeſtatis, ſed in exequendo & præſtando laudem eſſe poſitam vniuerſam. Quemadmodum enim ægrotus non ſanatur ſalutaribus conſilijs periti Medici,*

dicì ſi non pareat, ſed & ſequi oportet, & vtì ijs, quæ præſcribuntur, ſi morbo liberari debeat, ita hîc etiam fit, vt nõ auditores laudẽ & decus reportent, ſed qui ſe & vitam ſuam ſecundum doctrinam vtilem & ſalutares ſubiectiones inſtituunt, & harum virtutum laus in actione poſita eſt, non in cognitione. Cumq; Magiſtratus mei ſemeſtre iam fermè circumactum ſit, quid rei ſcholaſticæ impenderim, ego ſcio. Et nunc decedens hoc labore, vt ſucceſſori noſtro prouinciam quietam & expeditam relinquamus, cùm nulla crux ſit grauior benè inſtitutis, quàm animaduerſionũ in alios neceſſitas. Itaq; iterum & hortor & oro vniuerſos, vt vnuſquiſq; moribus & vita declaret, ſe eſſe eum, qui perhiberi vult, quemq; ſe eſſe profitetur, ne contra pietatis & virtutis doctrinam & honeſtiſſima ſtudia atq; leges publicas noſtras teſtimonium dicere videamur, & vita profeſſionem redarguat. Cætera commendamus præceptoribus & pædagogis, & doctrinæ atq; diſciplinæ publicæ. Deum oro per Chriſtum, vt miſertus noſtri mitiget ærumnas generis humani, & auertat pericula impendentia, & hanc Academiam ad laudem & gloriã ſanctiſſimi nominis ſui, & Eccleſiæ ſuæ & Reipub. ſalutarẽ vſum benignè conſeruet, protegat, cuſtodiat.

DIXI.

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-62-quod/start.htm?image=00000400

RECTOR ACADEMIÆ VITEBERGENSIS MICHAEL Teuber I. V. Doctor & Professor.

REDEVNT Maij Calendæ, quibus solenne est Academiæ nostræ eligere Rectorem, cui cœtus nostri gubernatio æstiuo hoc semestri demandetur. Ad eam renunciationem quam publicam esse, & in frequentia multorum celebrari decet, volumus Scholasticos nostros vniuersos crastino die ad horam sextam in templo, quod arci adiunctum est, conuenire, non solùm, vt quem deinceps Magistratum sint habituri cognoscant, verùm multò magis, vt coniunctis nobiscum votis Deum pro incolumitate & conseruatione Ecclesiæ, Scholæ atque patriæ communis, ardentibus votis precentur. Quod vt seriò nunc potissimum faciamus omnes, & est atq; erit in posterum necessarium rebus communibus: Vrgent hanc postremam senectam pœnæ fatales, quæ interitum atq; consumationem huius vitæ corporalis, rerumq; omnium allaturæ sunt: Et accersunt hominum scelera & furores tristiora mala, quàm verbis explicari queat, atq; cumulant pœnas ante tempus: Deniq; accedit Diaboli rabies sæuus odio filij Dei grassan-

tis in genus humanum & res diuinas omnes, cùm fremens instare sibi iudicium & condemnationem sempiternam videat. Quæ igitur pericula nos circùmstent, quæ calamitates ceruicibus nostris, ac posteritati, si qua erit, immineant, non iam obscurum est amplius, sed in oculis omnium atq; conspectu non prorsus amentium ἀπηλγηκότων, Sed, proh dolor, tantus est multorum stupor, tamq; altè infixa animis securitas & contemptus periculorum quorumcunq;, vt non solùm nõ afficiantur communibus rebus, ac posteritatis cura ostendant, sed velut in portu nauigantes, atq; triumphantes ociosis animis ludant, aut pro stultis atq; iniustis cupiditatibus suis inter sese acerrimè digladientur. Tales affirmat sapiens Medicus Hippocrates mente ægrotare, qui morbum atq; dolorem in parte aliqua corporis non sentiunt: Et dabunt illi profectò affectatæ temeritatis suæ ac peruicaciæ aliquando pœnas tristissimas, Nos verò officij nostri esse ducimus, has atque alias commonefactiones sæpè multumq; iuuentuti proponere, quibus & horum temporum difficultates ac confusiones vtcunque verbis describuntur, & ad timorem DEI, pietatem, veram conuersionem

ad Deum, morumq; decentem atq; accuratam gubernationem, animi quorundam non Cyclopici ac beluini, aliquomodo flectuntur. Cumq; non iam non solùm terribiles motus Turcici in conspectu sint, verum in limine ipso patrij soli, aliæ quoq; calamitates vagentur, quas hactenus inenarrabili clementia Deus ab his nostris alueolis auertit atq; inhibuit: & circumactus quoque nunc sit scholæ nostræ κλιμακτὴς noni septenarij, quem sub exitum maximè formidabilem esse, ac lætalem senibus experientia docuit: Obtestamur vos per Deum & salutem vestram atq; Ecclesiæ, vt abiectis ijs moribus, quibus non solùm turbari atq; impediri in pijs mentibus inuocationem & excuti Spiritum sanctum, Ecclesiæ doctrina affirmat: verùm & Deum ad vindictam grauissimè commoueri omnium temporum historia perspicuè testatur, deinceps animos vestros ad religionem pietatemq; componatis, vt templa atq; organa Spiritus sancti, salutaria vobis ipsis & alijs fiatis, & hac seria conuersione mitigationem pœnarum publicarum à Deo petatis atq; expectetis. Quæ de re cùm plura à nobis cras dicenda sint, iterũ mandamus Scholasticis, vt indicato loco & tempore conueniant, eosq; hortamur, vt in eo congressu modestè placideq; sese gerant, & pijs precibus filio

filio Dei Domino nostro Iesu Christo Rempub: seq; ipsos fideliter commendent. Propositum pridie Calend: Maij, Anno 1566.

ORATIVNCVLA, HABITA CVM MAGIstratum deponeret Rector Academiæ Michaël Teuberus Iuris V. Doctor & Professor, Calend. Maij, Anno 1566.

ANTE omnia ago gratias æterno & misericordi Deo, patri Domini & Saluatoris nostri Iesu Christi, quòd benignè conseruat rem scholasticam nostram & studia necessaria Ecclesiæ ipsius & Reipublicæ, eiusq; misericordiæ, quæ opplet orbem terrarum, commendo Scholam & studia nostra, quæ protegat, custodiat, prouehat, & gubernet etiam deinceps, ad laudem & gloriam sanctissimi nominis sui & societatis humanæ salutem. Peculiariter etiam ago gratias benignitati diuinæ, quæ affuit & opem tulit laboribus Magistratus scholastici mei, quos difficiliores esse & maiores expertus sum, quàm existimare potui, vel credere etiam narrantibus alijs. Educatus enim in hac

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-62-quod/start.htm?image=00000402

schola in studijs ciuilibus, in qua & præcipua cum dignitate vixit socer meus, non sum oblitus illorum temporum, & nunc in hanc ex politica administratione perhonorificè reuocatus, atq; statim gubernationi scholasticæ præfectus, reperi in hac in pleriſq; parem, alicubi etiam maiorem laborum difficultatem, De cuius rei causis quærere & longum esset & odiosum. Sed vt prouinciam more solenni cum conueniente commonefactione deponam, pauca dicam de ijs, quorum memoria hoc tempore in Ecclesia celebratur, & quæ neq; ab hoc loco, neq; à statu Ecclesiæ Christi & Reipublicæ præsente aliena sint, & vsum habere possint ad resipiscentiæ & pietatis studium. Est autem diligentia necessaria pietatis & doctrinæ studijs, tempora quibus res magnæ gestæ sunt obseruare, & cùm hæc tùm res ipsas inter se conferre, neq; in vita ciuili alia res magis prudentiam hominibus conciliare & augere potest. Sed in historijs sacris hæc cura amplius aliquid præstat, & inter cætera vsum eum, quem pietas Christiana ex his percipere potest maximum, nimirum vt salutarem illam tristiciam, quæ est ad Deum, in animis excitet, & conuersionem à vitæ dissolutione ad pietatis studium efficiat. His de causis sæpè propositæ sunt commonefactiones ad Scho-

lasticos nostros, vt huius temporis historias, quo maximarum rerum in Ecclesia Christi memoria colitur, & quibus rebus æterna salus nostra consumatur, considerent, & de vtroq; Paschate cogitent, vetere illo, quod Moses mandato diuino populo Iudaico tradidit, & nouo antitypo, quod filius Dei Iesus Christus ipse cùm Homo in terris obuersaretur, instituit, atq; cruce & morte, & in vitam reuersione sua consumauit. Etsi autem ita magnæ res & multæ in his considerandæ se pijs offerunt, vt perpetuas ad omnem æternitatem commentationes suppeditaturæ sint, & tanquam iuges putei neq; fando neque cogitando exhauriri possint, hoc tamen vnum peculiariter vt alij antè, ita nos iterum, grauissimis de causis considerandum proponimus, per quot annos vetus Paschа Iudaicum celebratum fuit, eundem fermè annorum numerum iam completum esse in noui Paschatis celebratione. Ita enim DEO placuit, vt post illum commemorabilem exitum ex Ægypto populi sui, & per sinum Arabicum maris rubri glorioſissimum transitum, concederet ei annos ad minimum mille, quingentos, quadraginta vnum (sicut ex maximè consentaneis rationibus colligi potest) per quos memoriam & typum rei maximæ celebrarent,

Et post tot annos elapsos venit plenitudo ea temporis, quo de æterno consilio suo filius Dei typum Paschatis huius tollere voluit, & nouum instituere, quo celebraretur memoria illius æterni consilij Dei de redemptione generis humani ex potestate Diaboli, & misericordiæ immensæ & dilectionis erga nos diuinæ atq; genus nostrum inexplicabilis, quæ eo ipsum adegit, vt naturam humanam assumeret, & Homo in terris nasceretur, & per grauissimos cruciatus mortem obiret, & potentia inferorum deuicta, morteq; superata, nos in æternum cum ipso viueremus. Horum igitur tantorum beneficiorum & salutis acceptæ memoria, vt celebraretur, & monumentum in terris aspectabile constitueretur, quo benignitas ipsius erga nos & voluntas paterna ad omnes credentes Euangelio confirmaretur, nouũ Pascha instituit & consecrauit ad Ecclesiam suam posteritatis vniuersæ, quod hoc anno à nato Christo vertente millesimo quingentesimo sexagesimo sexto celebrat populus ipsius Pascha, (vt nostræ rationes ferunt) millesimum quingentesimum tricesimum secundum. Ita desunt adhuc anni nouem, vt exequetur tempus celebrationis & duratio vtriusq; Paschatis. Etsi autem Deus nihil patefecit de sententia & consilio suo, an quot annos

annos Leuiticum ministerium durauit, tot etiam Euangelicum durare velit, aut producere cursum huius & noui fœderis Paschа vlterius, propius tamen abesse finem mundi huius, & vniuersitatis rerum, atq; illud æternum Pascha, quàm vel pij vel profani homines credere possint, multa argumenta sunt.

Imperium Romanum quo redactum sit ante oculos est, & huius tamen reliquiæ miseræ, quàm ægrè se tuentur: quantum stadiorum ab hoc anuilsere intra annos sex aut septem ad septentrionem Moschi, qui sunt Mossinæci & Rossalani veteres, & Liuoniam vastantes, oppida in hac præcipua & terræ permultum occuparunt. Ab Oriente iam in Pannoniam Solimannus, senex fermè octogenarius, vnà cùm filio Selimo exercitum adducunt tantum, quantum nunquàm antea, repetentes ab Imperatore totum regnum Vngariæ, & quæ huic, Regis Matthiæ temporibus accesserunt, Austriam, Morauiam & Silesiam, cuius belli occasio extitisse dicitur, à Regulo Iazygum, quos opinio non est inconsentanea esse Dacos mediterraneos, & sicut apellantur, Transyluanos quosdam, respectu eorum Dacorum, qui Istri ripas & alpes accolunt.

Atq; cogitare Turcam non de Viennæ tantùm obsidione, sed de vicinis ei regionibus magnitudo exercitus ostendit, de qua rumores sunt horribiles. In mari autem classem habet maximam, vt in summo discrimine sint insulæ et portus maris mediterranei vniuersi, atq; ita terra & mari orbi Christiano ab hoc omnia extrema intentantur. Quæ verò aduersus potentissimos hostes præsidia suppetant in tantis periculis, atq; etiam in præsente statu Germaniæ (qua nititur Imperium Romanum) suppetere omnino possit, ex eo æstimemus, quod ipsa ad se & suos atq; intestinam quasiq; domesticam & familiarem salutem conseruandam non habet tantùm præsidij, quantùm ei opus est, & Imperium nostrum ipsum à se & suis carpitur, conuellitur, cæditur, oppugnatur.

Procerum in hoc quanta est, vt lenissimè loquamur, diffidentia inter se? eaq; crescit etiam & augescit indies, Et horum simul quanta est infœlicitas ad subiectos ditioni ipsorum, eos præsertim, qui plus possunt, quàm vulgus, hoc enim genus formidabile sit imperantibus ipsis, & terrorem affert omnibus ordinibus.

Nunc

Nunc verò etiamsi auxilia in Comitijs decreta sunt, & hoc vno anno magna vis pecuniæ ab Imperij ordinibus contribuitur, cùm tamen, vt in voluntatum distractionibus fieri necesse est, alijs rebus magis intendantur animi, spem debilitari intelligentium necesse est, ne quid ominis causa dicamus tristius, qua consideratione, & quod gentem illam minimè ignauam esse expertus esset, accepimus de sermonibus herois post hominum memoriã celeberrimi Ducis Saxoniæ Electoris MAVRITII, quòd profitentẽ eum audiuerint familiares ipsius, redempturum se si concederetur, optima parte ditionis suæ periculum id, quod intra annos nescio quot, non multos certè, esse posset terris suis à Turcorum exercitu. Quod omen cùm omnes abominemur, in pijs & amantibus patriæ considerationem periculi & fidele precum studium excitare potest huius vocis commemoratio.

Disciplina autem militaris perijt, & virtuti locus non est, & cauponatio esse solet militia nostra non belligeratio. atque animaduerto plerosque magis confirmari Prophetijs sacris de GOG & MAGOG, quibus prædicitur interitus ante aduentum Domi-

Domini, quàm apparatu propugnationis præsente, cumq; ex Daniele hoc etiam discatur, Monarchiam Romanam fore vltimam, necessario sic ratiocinamur, & internicionem Turcarum, & potentiæ eorum qui Antichristicam tyrannidem in populo Dei exercent oppressionem, & diem Domini magnum in extrema tempora, & reliquias Imperij Romani incidere oportere, quas certè exhibet miseras & laceras nostrum seculum, nisi fortè adhuc restat acerbius fatum rebus nostris, vt quo magis pateat externis hostibus Germania, quod reliquum est in hac virtutis & copiarum, intestinis bellis magis exhauriatur, atque præconsumatur. Hæc igitur à Republita & politicis negotijs argumenta offeruntur appropinquantis finis mundi, in quibus nihil est omnium, quod diuturni status ſpem facere possit considerantibus.

Ecclesiæ autem Christianæ status est miserrimus, atq; legitur apud Græcos descripta quædam imago eius, quæ Basilij Magni temporibus fuerit, tristis sanè & turpis, sed nostro tempore Ecclesiæ status est multò quàm ille tetrior, Quàm multò enim plus est nostro seculo idolatriæ apud eos, qui Christianam religionem profitentur, & si vnquam antea, nunc profectò idolum

idolum stat in loco sancto, quem intelligi volumus cœtum euocatorum ad vitam æternam.

Pontificij tanquàm Milesij aut Clazomenij noui, licere sibi volunt, ne frugi sint, neue decenter viuant, de quibus enim iam per annos fermè quinquaginta à nostris Ecclesijs admonentur, quod neque ad Deum neq; ad homines vera sint aut tolerabilia, in ijs nuper contestatione facta declararunt, se nihil quicquam concedere, neq; tractationes vllas, quæ deinceps hac de causa suscipiantur admissuros aut laturos esse, Atq; fortassis laudem meretur diserta voluntatis à nobis alienæ confessio, Minus certè in hoc mali est constare publicè, nihil concessionis, sanitatis atq; resipiscentiæ ab his expectandum esse, quàm si reconciliationes moliantur non reconciliabiles, & simulationes atque dissimulationes in hoc genere multò sunt nocentiores, quàm oppugnationes manifestæ. Hos igitur in obstinata ad interitum voluntate, & vt scriptura loquitur, obturatos corde, permittamus iudicio Dei, qui de ipsis statuet, quod iusticiæ & sapientiæ ipsius videbitur, & suo tempore, atq; fortassis post non longissimum interuallum huius terris ostendet. Qui verò opem attulerunt laboranti Ecclesiæ, ijs nunc ad propria vlcera medico opus est, ab aliquibus enim

tunc non repurgati satis ab idolis Pontificijs, & nondum quasi lustrati templi Domini postulantur. Veritatem autem patefactam produnt alij deficiendo, alij corrumpendo, alij simulando & dissimulando, alij omittendo & negligendo quod fieri oportebat, alius agellum & possessiones suas, alius auram popularem veritati præfert, alius non necessaria agit, & quod tum fieri necesse est, necessaria omittit, Aliqui tacere, aliqui loqui, vel nesciunt vel nolunt, plerique etiam in Ecclesia hodie secundum veteris Theologi querelã non θεολογοῦσι, sed τεχνολογοῦσι. Interq; hæc scelerata crudelitate & mortui lacerantur, & viuis maledicitur, & æmulationes, odia, iræ exercentur immanes, & obscenis vocibus & scriptis omnia perstrepunt, & charitas, quæ est Symbolum discipulorum CHRISTI, nusquam appareat, & veritatis explicatio multipliciter impeditur. Ita rursus in Ecclesiam inferuntur disputationes Nestorianæ, Eutycheæ, Sabellianæ, Arrianæ, Samosatenicæ, Apollinaricæ, quæ in multis regnis grassantur, & in Transyluania sicut Regulus exercitum, ita aliqui religionem cum Turcis coniungere incipiunt: Et docent nos peregrinatores plus esse Arianorum in Germania, quàm credi possit. Sed prima

prima in Ecclesia CHRISTI certamina fuere commota aduersus filium Dei & naturam in hoc vtramq;, quæ cùm iam resumat nostra ætas, nimirum redit labor actus in orbem, & argumentum etiam hoc esse potest propè instantis finis rerum.

Vita autem communis, & mores hominum, qui sint, ante oculos est, tales nimirum prorsus, quales fuerunt ijs temporibus, quibus orbem terrarum aquæ obruerunt, quam ætatem accusat sacra historia Idolatriæ, crapulæ, ebrietatis, violentiæ, direptionum, libidinum, abusus coniugij, & quòd nullo respectu Dei, & hominum tangeretur. Cùm autem scriptum sit filium DEI quando venturus est, non reperturum fidem in terris, haud scio an nullo vnquàm tempore magis expectari potuerit, cùm publicè & priuatim in ciuili vita fides grauissimè laboret, & quæ DEVM profiteri verum debet, nunquàm magis sit & à pluribus simul oppugnata, & quæ misericordia huius niti debet, partim Epicureo contemtu rideatur, partim blasphema iusticiæ propriæ persuasione euertatur. Cætera quæ cœlum & terra exhibet portenta, prodigia & monstra, & quæ ab ætate mundi rationes sumuntur, ita sunt nota omnia, vt moneri de his nihil sit opus, hoc vnũ moneo:

Cùm

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-62-quod/start.htm?image=00000407

Cùm res maximæ impendeant, & mutationes grauißimæ, humiliemur sub potente manu Dei, & pœnas nobis & patriæ ne acceleremus, neue accumulemus molem harum, qua iamdudum miserabiliter premitur, Atque hoc agat vnusquisq́, vt paret se ad occurrendum Christo in magna die aduentus ipsius, qua aperientur cœli, & ostendet se de cœlis iudex, & audientur tubæ Dei, & resurgent mortui, & fiet iudicium iustum, & reddetur vnicuiq́ pro opera sua, quod debebitur, siue in nostram ætatem hic dies incidat, siue hanc paulò pòst sequatur. Quia verò hodierna die ab antiquo Comitia habentur scholastica, Rectori nouo creando, Ego vt modò feci priuatim in consilio nostro, Ita nunc publicè prouinciam magistratus mei depono, & scire vniuersos volumus, consentientibus omnium sententijs præfectum esse rei scholasticæ per hoc semestre æstiuum, clariß: virum, Medicinæ Doctorem eximium, deq́ hac Schola & bonis literis optimè meritum, senem venerandum, D. VITVM VVINSHEMIVM patrem. Quodq́ faustum sit & felix, hunc publico nomine & more solenni Rectorem rei scholasticæ huius publicæ renuncio. Tuæ verò fidei, Magnifice domine Rector, rem Scholasticam & studia publica huius & disciplinam vni-

uniuersam commendo, & magistratus insignia trado, Epomidem & sceptra, vnà cum sigillo Vniuersitatis, & libro publico, & clauibus Fisci. Et oro DEVM, vt adsit Magnificentiæ tuæ, & gubernet atq́ fortunet labores magistratus tui, ne quid tàm formidolosis temporibus, & in tantis gubernationis difficultatibus Res scholastica detrimenti capiat, in qua parte, tua Magnificentia, vt antehac in huius muneris administratione aliquoties, ita nunc etiam labores honoratæ senectutis suæ rebus communibus impendet, & hæc quasi θρεπτήρια Academiæ rependet. Scholasticos autem hortamur, vt morigeratione sua, & vita placida & quieta labores magistratus Rectori creato, & præceptori de ipsis benemerito alleuent, quo nemo viuit ex nostro collegio, qui in hac schola diutius docuerit aut fœlicius. DIXI.

AD ILLVSTRISSIMVM PRINCIPEM MAGNIFICVM D. Rectorem, D. Barnimum Iuniorem &c.

TEMPVS adest, iterum qua Rustica Musa clientes
Ad sua nos princeps Inclyte tecta vocat,

Non ad Pausilypi colles, nec Mergillinam,
Turbida Tyrrheni quam maris vnda ferit,
Vitiferos tamen ad colles, vbi Mergillina
Se nostra extollit fontibus irrigua.
Ergo vbi Libra diem somniq; effecerit horas
Æqua pares, hospes rite vocandus erit.
Cõsilium de quo veniam Dux Inclyte vestrum
Quæsitum, si qua commoditate licet.
13. Septemb:

Celſ: veſtræ deditiſs:

Caſpar Peucer Vice-rector.

AD ILLVSTRISSIMOS PRINCIPES AC DOMINOS Erneſtum Ludouicum Magnificum Rectorem Academiæ VVitebergenſis, & Dominum Barnimum Iuniorem Principes Stetini, & Pomeraniæ &c. Dominos ſuos clementiſs:

INTER præcipuas laudes habendæ
Hæc eſt Principis, ipſe ſi pudici
Leges coniugij colat verendas
Caſtop ectore, ſimpliciq; mente

Patris

Patris excipiat ſacrumq; Nati
Flatum, ſitq; ſimul DEI ſacellum,
Vt cum lætitia queat precari.
Mens polluta Deum fugit tremitq;.
Dignum principibus quoq; eſt id ipſum
Teſtari officijs foris receptis.
Atq; augere decus pijs honorum
Exemplis. Redit illa laus ad ipſos
Autores. Igitur Duces colendi
Quod nos officijs pijs iuuatis
Sacro ſollicitos in hoc iugali,
Id dignum pietate, & id meretur
Laudis eximium decus perennis.

24. Octob. Anno 1563.

Veſtræ Celſ:
deditiſs:

Caſpar Peucerus.

AD ILLVSTRISSIMOS PRINCIPES AC DOMINOS D. Erneſtum Ludouicum & D. Barnimum Duces Stetini & Pomeraniæ &c. Dominos ſuos clementiſsimos.

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-62-quod/start.htm?image=00000409

DENTATVM modò quòd lupum ſimulq́
Cyprinum mihi delicatiorem,
Miſiſtis Domini & duces colendi,
Quîs clarum dedit illa terra nomen
Et genti mare proximum Sidenæ:
Subiecto & memori, velut decebat
Amplector ſtudio, meoq́ gratum
Semper polliceor loco futurum.

Die 11. Octob: Anno 1563.

C. V. deditiſs.

Caſpar Peucerus.

EX BACHILIDE
DE PACE.

Τίκτα δέ τε θνατοῖσιν ἐϊρώκ μεγάλα, &c.

PAX noſtris bona tanta rebus adfert.
Creſcunt diuitiæ rubentis auri
Flos Muſis nitidus ridet, ſonantq́
Paſſim carmina melle dulciora.
Leges iuſticiæ vigent parentes.
Et feruet pietas timor fidesq́
Ardet viſceribus, foriſq́ lucet
Multos officijs iuuans honeſtis.

Non

Non fucos ſimulans opus he fictum.
Stat lex coniugij ſuis ligata
Neruis & Cytharæ ſonant pudicæ.
Exultat choreis decens iuuentus.
Dum vini recreat ſenes voluptas.
Et dum lætitia iociſq́ candor
Implet pectora, pallidusq́ liuor
Mœrens exulat hinc nigros ad Indos.

EPIGRAMMA
DE AVLA.

AVLA ſuis rapidos imitatur moribus ignes,
Errat ad hãc facilem qui putat eſſe viã.
Vreris propius ſi paulo acceſſeris, at mox
Horridus algebis, ſi procul abfueris.
Si medium teneas, calidi ſplendoris ab aulæ
Quæ ſatis eſt nunquam copia deficiet.
Ergo frequens aulæ caue ne ſis hoſpes, eandem
Nec fugias, fœlix ſi cupis eſſe diu.

ORPHEI VERSVS.

Εἰς ἓν λόγον θὲσ βλέψας τόδε πρόσεφρεν
Εὐθάων καδιὴς νοερὸν κῦτος, ἓν δ' ὠλβαινε
Ἀβρατὸν, μῦνον δ' ἐσόρα κόσμοιο ἄνακτα.
&c.

Mente oculisq; Dei sis verbo intentus, et ex hoc
Sensa animi compone tui, vitamq; guberna,
Semita sit pedibusq; tuis, nunquam inde recedas.
Atq; Deum mundi Dominũ simul aspice solum.

IN CHALCIDEN SAXONICAM.

VRBS hæc antiquo celebratur nomine CHALCIS,
Rectius at docti nunc Sicyona vocant,
Hoc talis Figulina loco est, opponere Graiæ,
Clara licet fuerit, fictile vt ausit opus.
Regibus antiquis, regnoq; vrbs Græca superbit,
Inter quos magnum nomen ARATVS *habet.*
Iactat opes sed nostra alias, quas nulla vetustas
Opprimit, aut fracti nulla ruina poli:
Incorrupta sonant diuini hîc dogmata verbi,
Æterni quod sit velle, vel esse, DEI.
Conditur his quoniam sacrata Ecclesia, vitæ
Quæ sit post hæres vnica perpetuæ:
Ipse ideo præsens diuino lumine mentes
Implet, qui patris est lumen, & effigies,
Adflatuq; suo, quæ non fera pectora prorsus
Flexa Deo cedunt, occupat atq; regit.

Cum

Cum pietate vigent & iura tenacia recti,
Et casta passim regnat in vrbe pudor.
Munditiæ studiũ est, & opes industria firmat,
Hospitibus plebs est officiosa bonis.
Confectum multis hæc sæpe MELANTHONA *curis*
Iam fouit grata commoditate senem.
Sæpe via fesso longa, dapibusq; refecto,
Concessit dulci nocte quiete frui.
Diligit hanc propter ciues, & gaudet eodem
Hospitio doctius nunc Camerariades.
Haud fuit hoc illi quisq; coniunctior vnquam,
Nec toto quisquam carior orbe fuit.
Scilicet vna fides, ardorq; in cordibus vnus,
Ambos æterna iunxit amicitia.
Ergo GNATE DEI *ciues & mœnia serua,*
Et circum Angelico protege præsidio.
Ex his æternum verbo tibi collige cœtum,
Extingui lucem nec patiare tuam.

VVITEBERGÆ
EXCVDEBAT IOHANN.
SCHVVERTEL.
1568.